RATIONALE
LIBRI QVINTI
IVRIS PONTIFICII.

Auctore
IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE
Presbytero, & Iuris Conf. Romano.

DE ACCVSATIONIBVS,
inquiſitionib. & denunciat.

In Decretal. Cap. 1. Si legitimus.

DE perſona accuſatoris, prius quærendum eſt in iudicio.

QVIA iniuriæ inde naſci non debent, vnde iura naſcuntur. infr. c. qualiter. & l. meminerint. C. vnde vi. Et quoniam ſi quilibet admitteretur ad accuſandum, ſæpe quis ex alterius odio, & malitia indebite condemnaretur. c. accuſatoribus. 3. q. 5. Et melius eſt ante tempus occurrere, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere. l. fin. C. in quib. cauſ. in integr. reſt. non eſt nec. Ideo ſi legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus. vt in tex. & c. accuſatio. 2. q. 7. Perſonæ autem, quæ accuſare non poſſunt, notantur in his verſibus.

Fœmina, pupillus, delatus, crimine tentus,
Suſpectus, quæſtu corruptus, ſortilegusque;
Infamis, ſeruus, pauper, cum milite princeps;
Libertus, ſocius ſocium, necnon inimici;
Clericus eccleſiam, nullus deferre valebit.

Gloſ. hic. & l. qui accuſare. ff. eod. Vnde tales accuſatores repelluntur, & reus abſoluitur ab obſeruatione iudicij. c. accuſator. 6. q. 5. niſi fuerit

infamantus, quia tunc debet ei indici purgatio. c. cum P. de purg.can. & c.presbyter.il 2. 2.q.5.

Cap. 2. Si quis.

A denunciatione repellitur is, qui non præmonuit.

QVIA denunciatio debet esse charitatiua, dicente Domino: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum; quod si non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Matth.cap.18. Et quoniam qui sine præmonitione denunciat, regulariter peruertit ordinem diuinitus traditum, & ex charitate procedere non videtur. c.indigne, & ibi glos. 12.q.2. Ideo in denunciatione regulariter requiritur, vt præcedat admonitio. vt in tex. & c.nouit. de iudic. Quod procedit tam in denunciatione Euangelica, quam iudiciali, canonica, & regulari. Abb. hic. Quæ autem sit differentia inter has denunciationes, vide Host. in d. c. nouit. Et ad hæc S. Thom. 2.2.q.33.art.7.

Cap. 3. Illa.

CRIMINATIO Prælati debet tractari cum illis, quorum interest.

QVIA causarum merita, partium assertione panduntur. l.2. C. si per vim, vel alio mod. Et accusatus, si fuerit inuentus culpabilis, est condemnandus, si vero non, est absoluendus. vt in tex. & l.quid. §. si arbiter. ff. de arbitr. & similiter accusans, si in probatione defecerit, est repellendus, & puniendus. c.accusator. 6.q.5. Et quoniam facti veritas non bene posset haberi, si accusans, vel accusatus abesset. c.absente. 3.q.9. Nec ille eorum, qui esset culpabilis, in absentia posset corporaliter puniri. c.qui accusare. d.q.9. Ideo necesse est secundum sacrarum scripturarum documentum, ac secundum iustitiæ tramitem, & accusatum, & accusatorem simul adesse; & vnam partem, quantacunque, & qualicunque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, vt alteri parti nullum præiudiciũ irrogetur. vt in tex. & c.necesse. 3.q.9. & ad hæc S.Tho. 2.2.q.33.art.4.

Cap. 4. Omnipotens.

QVI de aliquo crimine accusatur, vel denunciatur, interim promoueri non potest.

QVIA cum aliquis accusatur, aut denunciatur, vel inquiritur de crimine, statim grauata est eius opinio. c.fin. de testib. Et quoniam eorum, qui ad ordines, vel honores promouentur, in nullo debet opinio vacillare. c.cum in cunctis. de elect. & c. laici. dist. 33. Ideo pendente accusatione, seu denunciatione contra aliquem, ipse non debet ad ordines, vel

vel beneficium promoueri. vt in tex.& c.tantis. dist. 81. Sed ne fraudulenter crimen obijciatur, vt promouendi impediatur commoditas, debet præfigi terminus accusatori, intra quem probet: quo elapso, & nihil probato, poterit superior ferre sententiam interlocutoriam super innocentia illius, & postea ipsum promouere. Archid. in d.c.tantis.

Cap. 5. Nulli.

EPISCOPVS per exceptionem criminis, illum ab accusatione sua repellere non potest, quem ante à sua familiaritate neglexerit separare.

QVIA familiares Episcoporum, debent esse personæ prouidæ, & honestæ. c.cum pastoris. 2. q. 7. Et quoniam talis exceptio videtur ab Episcopo post accusationem fraudulenter inuenta, vt euitet criminis, de quo accusatur, punitionem. c. suggestum. de appellat. Ideo nulli Episcoporum ab accusatione sua eos repellere licet, quos antequam se ab eis impetendum cognosceret, à sua communi familiaritate neglexerit separare. vt in tex.& c.nulli. 3.q.5. Iudex tamen ex officio poterit tales repellere, si verisimiliter cognouerit, eos calumniatores esse. Abb. hic, & Bart. in l.inter. §.recté. ff. de iureiur.

Cap. 6. De his.

ABSOLVTVS de certo crimine, de eodem iterum accusari non potest.

QVIA sententia, quæ transit in rem iudicatam, pro veritate accipitur. l.ingenuum. ff. de stat. hom. Et quoniam lites sunt amputandæ. c.finem. de dol.& cont. nec in iudicijs debent homines iniuste grauari. l.properandum. C. de iudic. Ideo de his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari. vt in tex.& l.si cui. §. 2. ff. eod. Et diuina clementia dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur. c.diuina. de pœnit. dist. 4. vnde de delicto vnius hominis sæpius quæri non debet. l.licet. §.fin. ff. naut.caup.& stab.& c. veniam. 35. q.6. & hoc intellige, nisi in duobus casibus; primus est, si secundus accusator doceat, primum præuaricatum fuisse. L.3. ff. de præuaric. & l. si quis homicidij. C. de accusat. quod locum habet etiam vbi ex officio proceditur. c.fin. de collus. deteg. Secundus est, si dolorem proprium prosequatur, & ignorauit accusationem ab alio institutam. d.l.si cui. Forte, & tertio, quando scilicet reus non absoluitur, sed accusatori silentium imponitur, vt indigno. vt not. infr. in c.veniens. Et superius dicta intellige, quando in foro contentioso absolutio facta fuit, nam pœnitentialis accusationem non impediret. c.admonere. 33.q.2. nisi dispensatum esset. vt not. in c.quia circa. de bigam. & c.si illic. 23.q.4. In foro enim animæ, delinquenti imponitur pœnitentia, vt satisfaciat Deo, & animæ. c.pla-

cuit. 21.q.5. In foro autem contentioso punitur, quia læsit rempubl. l.licitatio.ff.de public. Vnde cum ista tendant ad diuersos effectus, impositio vnius pœnæ non impeditur per impositionem alterius. argum.l.& an eadem. ff.de except.rei iud.

Cap. 7. Repellantur.

COHABITANTES inimicis accusati, ab accusatione repelluntur.

QVIA tales præsumuntur accusatoris amici, & illius, qui accusatur inimici.c si inimicus.dist.93.& l.liberi.C.de inoffic. test. Et quoniam inimici consueuerunt infamare, & blasphemare, non ex rei veritate, sed ex odio, & malitia.c.quatuor. 11. q. 3. Et in iudicijs est veritas attendenda.c.si testes.4.q.3. Ideo ab accusatione repelluntur cohabitantes inimicis; quia infestationes blasphemiæ, affectio solet amicitiæ, vel inimicitiæ incitare. vt in tex.& infr. c.cum oporteat. Aduerte tamen, quod ille, qui fuit causa inimicitiæ, indistinctè non repellit inimicum; sed debet considerari, an hoc fecerit malitiose, vnde relinquitur arbitrio iudicis. l.1.§.cum quis. ff. de quæstion. ne succedat sicut de illo, qui cum sciret, non posse probari debitum contra eum, nisi per vnum testem, dedit illi alapam, vt sic postea, si produceretur in testem contra eum, posset repelli prætextu inimicitiæ, vt recitat Bart. in d. l. 1. hoc autem iudex considerabit ex circunstantijs. l.3.ff.de testib. fraus enim, & malitia cuique prodesse non debent. infr.c.inquisitionis. §.2.

Cap. 8. Accusasti.

PONIT pœnitentiam accusatoris calumniosi, cum sequitur indemors, vel membri debilitatio.

QVIA falsi calumniatores grauiter peccant.c.per scripta. 2.q.8. Et quoniam eo grauius debent puniri, quo maius damnum calumniose inferunt accusato.c.quisquis.d.q.8.Ideo si accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, si calumniose hoc feceris, quadraginta dies in pane, & aqua (quod carena vocatur) cum septem sequentibus annis pœniteas. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, per tres debes quadragesimas pœnitere. vt in tex.& c.qui crimen.2. q.8. De iure autem veteris testamenti, falsis testibus, & accusatoribus pœna talionis inferebatur. Deuteron. cap. 19.

Cap. 9. Euidentia.

SVPER notorio procedit iudex, nemine accusante.

QVIA regulariter accusator requiritur, vt crimen manifestetur, & in iudicio per probationem publicetur. c.quisquis.2.q.8.& l.fin.C. de accusat. Et quoniam hæc manifestatio habetur per euidentiam facti. c. fin.de cohab.cler.& mul.Ideo euidentia patrati sceleris, non indiget cla-

clamore accusatoris. vt in tex. & l.2.§.si publico.ff.ad leg. Iul. de adult. Et in talibus nullæ sunt partes iudicis, nisi in sententiando, l.qui sententiam. C.de pœnis.

Cap. 10. Cum P.

LAICI, vel inimici clericos accusare non possunt.

QVIA curandum est, vt accusationes non sint calumniosæ, sed reales.c.quisquis.2.q.8. Et quoniam laici, vel inimici præsumuntur ex odio, & calumniose clericos accusare; cum eis oppidò sint infesti. c.laicos. 2.q.7. Quos potius debent tanquam patres reuereri. c.oues. 2.q.7. Ideo laici, vel inimici in accusationem, vel testimonium clericorum non sunt admittendi, vt in tex. & c. laici. 2. q.7. Et hoc est regulare, nisi suam, vel suorum iniuriam prosequantur. c.omnibus.4.q.6. (nec tamen tunc ad testimonium admittuntur, quia in facto suo nemo est testis idoneus. c.de cætero.de testib.& c.prohibentur.2. q.1.) Et hoc quod non accusent, vel testificentur, est verum, nisi in criminibus exceptis, vt est crimen simoniæ, hæresis,& læsæ maiestatis. c.tanta. de simon. & c. sacerdotes. 2.q.7. sed etiam in his casibus, & consimilibus admittuntur, si bono zelo, & non ex odio procedant, quia tunc nec in talibus ad accusandum, vel testificandum admittuntur. c.licet hæli. & c.per tuas. de simon. Inimici autem in nullo casu admittuntur. c. si testes. 4. q.2. laici vero bonæ famæ admittuntur in huiusmodi exceptis criminibus; sed si laici sint malæ famæ,& viles personæ; tunc distinguitur; si clericus super illo crimine sit infamatus, & malæ opinionis, admittuntur laici, & viles personæ; si verò sit bonæ famæ, & opinionis, non admittuntur. d. c. tanta, & c. per tuas.de simon.& c.in primis.2.q.1.Et hoc,exceptis cõspiratoribus,& inimicis,& exceptis particibus criminis. c.veniens.de testib.Et his testibus vilibus sine corporali tormento credi non debet.d.c.in primis, in fin.sed accusator non torquetur.d.c.si testes.§.si autem ea rei. & glos. hic. Et ad hæc vide Iul.Clarum in pract.crimin.q.71.§.fin.

Cap. 11. Ex parte.

MONACHVS accusare potest Abbatem.

QVIA ad accusationem quilibet admittitur, cuius interest. sup. c. illa. & c.filijs.16.q.7. Et quoniam interest monachorum, & monasterij non habere malum abbatem, & quasi pro pastore lupum. c.nos si. 2.q.7. & in hoc, quod abbas malus est, monachus non tenetur ei obedire. c.non semper. 11.q.3. Ideo monachi (nisi alia rationabilis causa impediat) ex eo quod de obediẽtia,& subiectione abbatis esse noscuntur,ab eius accusatione nullatenus sunt repellendi; licet alios accusare non possint.vt in tex. & c. quapropter. 2. q. 7. Indistinctè tamen non admittitur monachus ad accusandum abbatem, sed causæ cognitione præcedente

(etiam sine præsentia partium) vt summarie appareat, an procedat bono, vel malo zelo. Innoc.hic. & c.quærendum.2.q.7.

ET de bonis monasterij expensas litis necessarias habebit.

QVIA talis monachus procurat vtilitatem monasterij.d.c.nos si.& ipse nihil habet de proprio. vt in tex. & c.cum ad monasterium. de stat.monach.Et quoniam vbi quis procurat vtilitatem alicuius, de illius bonis expensæ necessariæ ad illud negotium sunt faciendæ.l.fin.C.de ord. cogn. cum officium suum nemini debeat esse damnosum. c. 2. de fideiuss. sed qui sentit commodum, debet etiam sustinere incommodum. c.1. de sepult. præsertim, si ille, qui agit ad commodum alterius, non habeat de suo, vnde se sustentet.c.quanto.de offic.ord.cum,vno concesso,videantur omnia concessa, sine quibus illud expediri non potest.c.prudentiam. de offic. deleg. Ideo huiusmodi monacho de rebus monasterij expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari. vt in tex. & infr.c.olim. Et similiter abbas debet habere expensas, vt se defendat vsque ad finem litis.l.si instituta.ff.de inoffic.test.& Gemin.consil. 55.nam si ipse est idoneus (vt asserit) interest monasterij non mutare superiorem.c.cum in cunctis.de elect. & Specul.in tit.de inquisit. §.fin.

Cap. 12. Si constiterit.

PRESBYTER ebriosus missam celebrans, non præmissa digestione, Ecclesia priuari debet.

QVIA vt inquit S. August. placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi; & ita per vniuersum orbem mos iste seruatur. in lib.responsionum ad Ianuarium,epist.118.cap.6.tom.2. Et quoniam qui post mediam noctem, aliquem cibum, vel potum assumpsit, & non digessit, in illa die non potest dici ieiunus. S.Thom.par.3.q.80.art.8. & ob id si taliter celebrat, venit contra prohibitionem Ecclesiæ, & grauiter peccat.c.sacramenta.de consecr.dist.1. Ideo ob tam graue peccatum, presbyter potest ecclesia priuari. vt in tex.& c.nihil. 7.q. 1. Potest verò illam celebrare, si ante mediam noctem cibum, vel potum assumpsit, nec refert, vtrum post dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines, propter insomneitatem, vel indigestionem; ex quibus si mens multũ perturbetur,homo redditur ineptus ad sumptionẽ huius sacramenti. S.Tho.d.art.8.& c.liquido, & ibi glos.de cons.dist.2.

Cap. 13. Meminimus.

INIMICVS etiam à voluntaria exceptione repellitur.

QVIA inimici præsumuntur excipere, vel accusare,non ex zelo veritatis, sed ex odio, & calumnia. sup.c.cum P. Et quoniam in iudi-

cio

eio nemini est facienda iniuria. l. meminerint. C. vnde vi. Ideo inimicus, nedum repellitur ab accusatione, sed etiam à voluntaria exceptione. vt in tex. & sup. c. repellantur. & dicitur exceptio voluntaria, quando non molestatus venit ad iudicium; sed sponte se opponit, nec prætendit aliquid speciale. Abb. hic. Hæc enim exceptio voluntaria in multis habet vim accusationis. vt not. Innoc. in c. super eo. de elect. & in c. cum inter. de except. Si verò non sponte excepisset, sed per iudicem coactus fuisset, secus esset. Host. hic. tunc enim bonum obedientiæ, ab omni suspicione, & calumnia excusaret. c. quid culpatur. 23. q. 1.

Cap. 14. Licet.

DICENS se aliquem accusaturum coram iudice, ante inscriptionem potest sine pœna desistere, & non accusare.

QVIA ante inscriptionem quis se non adstrinxit in accusatione ad pœnam talionis. l. libellorum. ff. de accusat. Et quoniam nemo compellitur accusare. c. si quem. 2. q. 3. & C. vt nemo inuitus. l. vnic. cum potius sit desiderandus odor bonæ opinionis proximi, quam de eius infamia delectandum. vt in tex. & c. cum in iuuentute. de purg. can. Ideo ante inscriptionem ab accusatione desistere licet, nec ei ad pœnam iniustæ accusationis imputatur, etiam si coram iudice dixerit, se velle accusare. vt in tex. & l. miles. §. soror. de adult. Tamen ille, qui infamauit, tenetur iniuriarum. l. item apud. §. si quis libello. ff. de iniur. In ciuilibus autem actionibus, bene quis compellitur agere post libellum oblatum, reo instante. Auth. qui semel. C. quom. & quand. iud.

SED ei desistenti, silentium imponitur in perpetuum.

QVIA diffamari statum ingenuorum, seu errore, seu malignitate quorundam, periniquum est. l. diffamari. C. de ingenu. manumiss. Et quoniam qui semel desistit, si vult postea accusare, non videtur bonam causam fouere. l. qui crimen. C. de ijs, qui accus. non poss. Ideo qui dixit coram iudice, se velle aliquem accusare, & ante inscriptionem desistit, non potest amplius de illo crimine talem accusare. vt in tex. & c. Epiphanium. 5 q. 6. Destitisse autem eum accipimus, qui in totum animum agendi deposuit, non qui distulit accusationem. l. destitisse. ff. ad Turpillian.

Cap. 15. Veniens.

AD prosequendam accusationem criminalem, non admittitur procurator.

QVIA procurator non potest in iudicio interuenire pro alio, nisi legitimet personam suam per satisdationem de iudicato soluendo. l. qui proprio. ff. de procur. & Instit. de satisd. §. si vero. Et quoniam vbi delinquens esset in causa criminali corporaliter puniendus, non posset

in absentia, debitâ pœna coerceri, nec iustum esset, vt alius pro ipso illa afficeretur.l. in absentem. ff.de pœnis. Ideo in causa criminali regulariter non interuenit procurator, nec ad agendum, nec ad defendendum. vt in tex.& l.penult. §. 1.ff.de publ. iudic. Et hoc est generale; Fallit autem in certis casibus, vt in crimine iniuriarum. c.absens. §.nisi.3. q.9. & l.fin. C.de iniur. sed ad excusandum, vel excipiendum, admittitur procurator. vt in tex. & c.reos. 5. q. 3. Item cum agitur de crimine non criminaliter.c.tuæ.de procur. Item in leuibus criminibus. l.leuia.ff.de accusat. Item si crimen non excedit pœnam relegationis. l. 1.ff.an per al. cau. appell.red.poss. Item in crimine suspecti tutoris. l.non solum. §.fin. ff. de procur. Item cum quis accusat alium de ingratitudine. l. sed & hæ. ff. de procur. Item in actione populari. l.licet. ff. de procur. & tunc ad defendendum, sed non ad agendum. l.qui in populari. ff.de popul. act. Item dominus defendit seruum in crimine. l.si cui. §.penult. ff.de accus. Et de hac materia vide late per Ant. Rubeum tract. de potestate procur. in causis crimin.

LICET posset allegare causam absentiæ, seu alias exceptiones non tangentes crimen propositum.

QVIA cum talis excusator non habeat mandatum, potest prodesse, & non obesse. Abb.hic n.19. sed procurator potest etiam obesse.l.quacunque. ff.de procur. & cum exceptiones per eum propositæ non tangant crimen, per illas non pronunciatur super crimine, & sic non venit pœna corporis afflictiua imponenda. Bart.in l. penult. §. ad crimen. ff.de publ.iudic.Et quoniam melius est, quod aliquis defendatur per aliquem, quàm à nemine.l.seruum. §.publice. ff.de procur. Ideo ad proponendam exceptionem non concernentem crimen, potest procurator interuenire, puta, ad proponendam exceptionem dilatoriam contra accusatorem, vel contra iudicem,& similem. vt in tex.& c.reos, & ibi gloss. 5.q. 3. Et supradicta, quod non admittatur procurator, intellige procedere, nisi reus sit in vinculis. Abb. hic. nam tunc communiter tenetur, & obseruatur, quod admittatur procurator; cum iudicium non possit esse delusorium, ex quo sententia potest in reum executioni mandari. Bart. in d. §. ad crimen. & Bald. in l. reos. §. super his. C. de appell. licet etiam tunc melius sit, quod quis agat causam suam per se, quàm per alium; & ob id reus debet interesse in auditorio iudicis, & vinculatus duci ad iudicium, vt etiam per seipsum se defendat. l. 1. ff. an per alium caus.appell. Itē limita hæc esse vera, vt procurator non possit interuenire ante conclusionem in causa, sed post sic. Abb.hic.n.20.& Ant.Cors. singul. 233.ver.procurator. Cū tunc non possit obesse. l.quamuis. C.de adult.

ET qui iurauit stare mandato alicuius, non admittitur ad accusandum illū, si virtute iuramenti sibi fuit iniunctum, vt non accusaret.

QVIA

QVIA non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ. c. si verò. de iureiur. Et quoniam qui abstinet ab accusando, ex eo, quod ille, cui iurauit parere, ei præcipit, vt non accuset; apparet, quod non abstinet, vt sit patronus turpitudinis alicuius; sed vt pareat, cui iurauit, & obseruet iuramentum. c. quemadmodum. §. illud. de iureiur. Ideo qui iurauit, se non accusaturum aliquem, amplius non auditur contra illum. vt in tex. & c. si illic. 23. q. 4.

Cap. 16. Super his.

DENVNCIATOR criminis non se inscribit.

QVIA inscribere, est se obligare ad eandem pœnam, si non probauerit, quam reus debuisset pati, si ipse, qui crimen obijcit, probasset. c. quisquis. 2. q. 8. Et quoniam denunciatio non fit ad pœnam, sed ad correctionem. vt in tex. & c. nouit. de iudic. Ideo quando crimen in modum denunciationis opponitur, non est inscriptio necessaria. vt in tex. & infr. c. qualiter. il 2.

ACCVSATOR autem inscribit.

QVIA accusator in causa accusationis constituitur pars, intendens ad pœnam accusati. c. accusatorum. 2. q. 8. Et quoniam ad iudicem pertinet, vt inter eos iustitiæ æqualitatem constituat. infr. c. prox. & l. meminerint. C. vnde vi. Iustitiæ autem æqualitas hoc requirit, vt nocumentum, quod quis alteri intentat, ipse patiatur, secundum illud; oculum pro oculo, dentem pro dente. Exod. cap. 25. Ideo iustum est, vt ille, qui per accusationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipse etiam similem pœnam patiatur. vt in tex. & c. qui non probauerit. 2. q. 3. & S. Thom. 2. 2. q. 68. art. 4.

EXCIPIENS verò inscribit ad pœnam extraordinariam, si per exceptionem deijcitur ab obtento, aliàs secus.

QVIA exceptio propriè, & secundum suam naturam tendit ad repellendum, non autem ad aliquid petendum. c. 2. de ord. cogn. & l. 2. ff. de except. Sed quoniam quandoque propter connexitatē iuris obtenti cum iure, à quo repellitur, quis deijcitur à iure etiam quæsito. vt in tex. Ideo, cum excipiendo fuerit crimen obiectum, distinguendum est, quare opponatur, & quando; si autem obijcitur, vt ab accusatione, vel testificatione aliquis repellatur, non est inscribi necesse; sed cum opponitur, vt quis à promotione officij, vel beneficij excludatur, si ante confirmationem obijcitur, non cogitur quisquam inscribere; quia crimen hoc modo probatum impedit promouendum, sed non deijcit iam promotum. Post confirmationem verò, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam consecrandus, quia etiam ab obtinendo repellit, & deij-

cit

sit ab obtento, ad extraordinariam pœnam, secundum arbitrium iudicis discreti, citra vinculum inscriptionis, est excipiens adstringendus, si defecerit in probando; pro eo quod, crimine sic probato, perdit quod per electionem, & confirmationem ei fuerat acquisitum, sed ob hoc prius habita non amittit. vt in tex.& d.c.2.de ord.cogn.

DVM discutitur de crimine per modum exceptionis, potest interuenire procurator.

QVIA tunc prohibetur procurator in causa interuenire, cum illa criminaliter intentatur, & delinquens pœnam meretur maiorem relegatione.sup.c.prox.& l.1.ff.an per al.caus.appell. red. poss. Et quoniam quando discutitur de crimine per modum exceptionis, licet de crimine agatur, non est tamen huiusmodi quæstio criminalis. vt in tex. & c.illud.dist.23.Ideo talis causa potest tunc per procuratorem rite tractari. vt in tex.& c.tuæ.de procur.

Cap. 17. Qualiter, il 1.

GENERALES inquisitores, si non seruauerunt debitum inquisitionis ordinem, prudenter, & cautè se corrigere debent.

QVIA magnæ sapientiæ est, reuocare hominem, quod malè locutus est. c.magnæ.22.q.4.& melius est, quod quis corrigat seipsum, quàm quod corrigatur ab alijs.c.quod quis.35.q.9. Sed quoniam iudex debet laborare, ne vilescat eius auctoritas; imo debet suo ingenio studere illam augere. l.obseruandum, in fin. ff. de offic. præsid. Ideo sicut tales inquisitores debent se corrigere, si male processerunt, ne inde nascantur iniuriæ, vnde iura nascuntur;& si tanquam homines excesserunt, non debet eos pudere, suum errorem corrigere, qui positi sunt, vt aliorum corrigant errores; nam apud iudicem districtum, in qua mensura mensi fuerint, remetietur eis; ita debent curare, vt inueniant occasionem aliquam congruentem, per quam, ne eorum vilescat auctoritas, quanto cautius, & prudentius poterunt, per eos male gesta emendent; ex his enim, quæ inordinate sunt acta, non potest ordinabiliter quicquam agi. Si verò debitum ordinem custodiuerunt; omni gratia, & timore postpositis, Deum solùm habentes præ oculis, via regia incedentes sine personarum acceptione, in negotio procedere debent. vt in tex. & infr.c.qualiter.Iudex autem quando possit in sententia suum corrigere errorem, vide hic late per Abb. & Innoc.in c.fin.de re iudic.

ET ponitur hic forma iuramenti, quam inquisitores exigunt ab inquisitis.

QVIA ad corrigendos subditorum excessus, tanto diligentius debet Prælatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas.infr.c.qualiter.Sed quoniam in inquisitione non discu-

titur

titur de occultis criminibus, nam non debet fieri inquisitio de veritate criminis, nisi præcedente infamia. d.c.qualiter. Accusatio autem potest fieri etiam de occultis criminibus, dummodo probari possint. c. plerunque. 2.q.7. Ideo forma recipiendi iuramentum ab inquisitis, seu à testibus recipiendis super inquisitione, est, vt iurent se dicturos plenã, & merã veritaté, exceptis criminibus occultis. vt in tex. & infr. c. inquisitionis.

Cap. 18. Cum dilecti.

SI is, contra quem inquiritur, iurauit respondere tantum ad interrogata, post confessionem auditur, volens probare excusationes, quæ confessionem non perimunt, sed exponunt; secus si iurauerit plenam, & meram veritatem dicere.

QVIA iuramétum præstitum specialiter super certo capitulo, non se extendit ad alia capitula ab illo diuersa. c. clericus. de iureiur. cum actus agentium non operentur vltra intentionem eorum. l. non omnis. ff. si cert. pet. Et quoniam qui iurauit respondere ad interrogata, non potest inculpari, cur non expresserit omnia, quæ pertinent ad eius confessionem; sed qui iurauit dicere plenam, & meram veritatem, nihil debebat tacere in sua confessione, quod ipsum factum attingeret, neque admiscere aliquid falsitatis. c. 2. §. fin. de iuram. cal. in 6. Et declarare, non est addere. glos. in c. vnic. ver. & filio. de sum. Trinit. in 6. Ideo confessio facta per inquisitum, sub forma iuramenti, quod respondebit ad interrogata, recipit excusationes, quæ tamen confessionem non perimant, sed exponant; sed confessio facta præcedente iuramento, quod plenam, & meram veritatem dicet, ex post facto non recipit excusationes, cum à principio nihil debuerit de illo facto tacere. vt in tex. & Bald. in c. 1. §. item si vasallus. in tit. de controuer. inuest.

Cap. 19. Cum oporteat.

DE veritate criminum non inquiritur, nisi prius constet de infamia.

QVIA in iudicijs est cauendum, ne fortè per leue compendium, ad graue dispendium veniatur. infr. c. qualiter. Et quoniam si contra aliquem fieret inquisitio, nisi prius cõstaret de infamia, sæpe quis indebitè molestaretur, & eius opinio grauaretur. infr. c. inquisitionis. Ideo sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denunciationem charitatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire. vt in tex. & c. de manifesta. 2. q. 1.

ET tunc non inimici, vel periuri, sed idonei viri, ad prosequendum inquisitionem, & ad testimonium admittuntur.

QVIA inimici, vel periuri præsumuntur prosequi inquisitionem, & perhibere testimonium, typo malitiæ potius, quàm iustitiæ zelo

In ducti. sup. c. cum P. Et quoniam iniuriæ inde nasci non debent, vnde iura nascuntur. sup. c. qualiter, & l. meminerint. C. vnde vi. Ideo inimici, vel iuramenti præstiti transgressores, aut alijs criminibus irretiti, ad prosequendam inquisitionem, vel testimonium ferendum non admittuntur. vt in tex. & infr. c. prox. Quæ autem inimicitiæ in talibus repellant, relinquitur iudicis arbitrio. sup. c. super his. & Authent. de testib. §. si vero. coll. 7. cum non semper testis repellatur propter inimicitias; sed iudex debeat æstimare, an ei sit credendum, vel non. l. 1. §. præterea. ff. de quæstion.

ET non purgato crimine, indicitur propter infamiam purgatio.

QVIA sicut quis non debet de crimine non probato puniri. l. qui accusare. C. de edend. ita quando infamia habet ortum ex probabilibus coniecturis, debet meliori modo, quo potest, remoueri. c. cum in iuuentute. de purg. can. ne populus scandalum patiatur. c. presbyter. 2. q. 5. Et quoniam per iuramentum de veritate, quod præstatur à tali infamato, & per illud de credulitate, quod subeunt eius compurgatores, infamia illa sufficienter extinguitur. c. quoties. d. tit. de purg. can. Ideo inquisitus, contra quem non est crimen probatum, non est condemnandus; sed si infamia laboret, est ei purgatio canonica indicenda, vt in tex. & c. omnibus. 2. q. 5.

Cap. 20. Cum dilectus.

A denunciatione repellitur publicus concubinarius, excommunicatus, & conspirator.

QVIA huiusmodi criminosi non præsumuntur denunciare fraternæ charitatis zelo, sed malitiæ typo, & liuore. sup. c. prox. eisq. potest dici; Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Matth. cap. 7. Et quoniam iniuriæ inde nasci non debent, vnde iura nascuntur. sup. c. qualiter. & denunciatio debet esse charitatiua. c. nouit. de iudic. Ideo tales criminosi à denunciando repelluntur. vt in tex. & c. cum in tua. de sponsal. & ad hæc vide Bernard. Diaz in pract. crim. canon. cap. 6.

ET is, qui non præmonuit.

QVIA, vt inquit Dominus: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Matth. cap. 18. Et quoniam talis ordo correctionis fraternæ cadit sub præcepto. S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. Ideo cum agitur in modum denunciationis ad pœnitentiam, necessaria est prius admonitio. vt in tex. & sup. c. 2. & ad hæc vide S. Thom. in d. art. 7. vbi ponit differentiam, quæ in hoc est seruanda inter peccatum publicum, & occultum.

Cap.

Cap. 21. Inquisitionis.

CRIMEN probatum per modum inquisitionis, regulariter pœna ordinaria non punitur.

QVIA qui in vno grauatur, in alio releuari debet. c. 1. de paroch. & l. eum, qui. ff. de iureiur. Et quoniam ille, contra quem proceditur per viam inquisitionis, grauatur in eo, quod quis non se inscribit ad pœnam, si deficiat in probatione contra eum, sicut fit in accusatione. sup. c. super his. Ideo non est mirum, si in alio releuatur, vt sic mitior pœna ei imponatur. vt in tex. & infr. c. qualiter.

SED si impedit ordinis executionem, fit depositio, sicut in accusatione, & si impedit tantum beneficij retentionem, fit priuatio à beneficio.

QVIA crimina sunt punienda, vndecunque claruerint. c. ecce. 23. q. 4. Et quoniam maiora crimina, maiorem pœnam merentur. c. disciplinam. dist. 45. Ideo si sit tale crimen, quod ordinis executionem suscepti, aut retentionem beneficij, etiam post peractam pœnitentiam impediret, puta, si homicidium quis commisisset, vel adeptus esset ordinem, aut beneficium vitio simoniæ, tunc contra inquisitum, est sicut in accusationis iudicio procedendum. vt in tex. & c. licet Heli. de simon.

NEC poterit iudex hanc pœnam moderare.

QVIA vbi lex pœnam imponit, regulariter iudex non debet esse clementior lege; nam cum lex sit fundata super æquitate, & ratione; iustum, & æquum est, quod fit secundum legem. Authent. de iudic. §. oportet. coll. 6. Ideo cum in his casibus sit in iure pœna expressa, etiam si agatur in modum inquisitionis, pœnam illam iudex imponere debet; alioquin secundum personæ merita, & qualitatem excessus, pœnam poterit iudicantis discretio moderari. vt in tex. & c. de causis. de offic. deleg. & ad hæc vide Iulium Clarum in pract. crim. q. 6.

§. Tertiæ.

CONTRA non infamatum, super veritate criminum inquiri non debet.

QVIA rebus debemus vti eo modo, ad quem sunt institutæ. c. is autem. 22. q. 2. Et quoniam inquisitio fuit instituta, vt solum fieret super illis, de quibus clamores aliqui præcesserūt. infr. c. qualiter. Et Ecclesia non iudicat de occultis. c. si omnia. 6. q. 1. & potius odor bonæ opinionis proximi, quàm malæ opinionis est desiderandus. sup. c. licet. Ideo fama alicuius debet esse læsa, antequam inquisitio fiat contra eum. vt in tex. & sup. c. cum oporteat.

ETIAM

ETIAM si libellus famosus contra eum oblatus fuerit in secreto.

QVIA huiusmodi schedulæ non infamant. vt in tex. in fin. imo illas sic occulte porrigentes sunt puniendi. c.quidam. 5. q. 1. & tales sunt deteriores, quàm illi, qui substantias, & prædia aliorum diripiunt. c.deteriores.6.q.1.vnde dicebat propheta: Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. psal. 100. Et quoniam inquisitio solummodo fit contra infamatum, vt dictum est superius. Ideo ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, non est procedendum ad inquisitionem, super contentis ibidem criminibus faciendam. vt in tex.& infr. c.qualiter. Et hoc intellige, quod non debet procedi, nisi is, cui schedulæ porrectæ fuerunt, instet, & petat statui terminum porrigentibus ad probandum ea, quæ scripserunt. d. c. quidam. & l.diffamari. C.de ingen.manu.

NEC super principali creditur testi, qui iuratus dicit, se illius, contra quem inquiritur, inimicũ: idem, si hoc dixit ante iuramentum.

QVIA inimici non sunt testes idonei, cum non præsumantur dicere veritatem, sed ex odio censentur infamare. sup.c. repellantur. Et quoniam testis, qui deponit aliquid cum iuramento, præsumitur dicere veritatem.c.tuis.de iureiur.& cum quis deponit de facto proprio, seu propria conscientia, non est necesse exprimere causam. Abb. hìc. Ideo aduersus eos, contra quos fit inquisitio, regulariter fides non est adhibenda dictis eorum, qui post iuramentum, vel ante, tacitè, vel expresse, inimicos se asserunt eorundem.vt in tex.& sup.c.cum oporteat. & quod hic dicitur de inimicitia, intellige de capitali. Auth.de testib. §. si vero quis dicat. coll.7.& not.in c.cum causam. de testib. nam si inimicitia non sit capitalis, potest recipi testis, sed quanta fides ei sit adhibenda, relinquitur arbitrio iudicantis. Abb.hìc. Quæ autem inimicitia dicatur capitalis, statur arbitrio iudicis. Bald.in Auth.si testis.C.de testib.

NISI præsumatur, hoc dixisse in fraudem.

QVIA fraudibus est obuiandum. c. sedes. de rescr. Et facultati probandi est fauendũ.l.1. ff.de testib. Et quoniam posset esse, vt quis diceret se inimicum alicuius, non ex eo, quod verè sit, sed ne cogeretur in illa causa testificari. gloss. hìc. Ideo si sit de tali fraude præsumptio, ille à testimonio non est repellendus. vt in tex.& Bart.in l.eos. ff. de fals. Secus si hoc dixisset, postquam iurauit, sed antequam deponeret; nam etiam si præsumatur hoc dixisse in fraudem, tunc non est ei adhibenda fides super principali. Io. And. hìc; quia aut dixit verum, & ei non debet credi tanquam inimico; aut dixit falsum, & non debet credi tanquam periuro; & ob id in hoc tex. dicitur solum de tali fraude facta ante iuramentum. Si verè postquam iurauit, & deposuit,

fuit, dixit se inimicum; & tunc, aut in continenti in fine depositionis, in generalibus interrogatorijs, prout solet communiter fieri, & creditur. Abb. hic; nam si hoc fecit in continenti, antequam recesserit à conspectu iudicis, propriè non corrigit dictum suum, sed censetur eadem depositio. c. præterea. de testib. cog. & l. error. C. de iur. & fact. ign. Si verò primò deposuit, & ex interuallo dixit se inimicum, non debet sibi credi, sed statur priori dicto. d. c. præterea. Dic tamen, quod licet ex toto dictum super principali non reprobetur, debilitatur tamen in aliquo. Innoc. in d. c. præterea.

5. Quæsiuisti.

NON punitur quis de crimine, de quo non constat, nisi per famam, & testium credulitatem.

QVIA in criminibus requiruntur probationes, luce clariores. l. sciãt. C. de probat. Et quoniam fama per se solam, nihil probat, licet habeat vim vnius testis, & coniuncta cum altero teste de veritate, faciat plenam probationem. glos. in c. 1. de appell. Et testimonium de auditu, vel de credulitate, regulariter non valet. l. in summa. §. idem labeo, & ibi glos. ff. de aqu. pluu. arc. Testes enim propriè debent deponere de his, quæ ipsi suo sensu perceperunt; non de his, quæ audierunt esse percepta ab alijs. c. cum causam. de testib. & debent testificari, sic esse, vel non esse; non autem de credulitate, quæ disponit in modum, quòd res aliter se habere potest. l. testium. C. de testib. Ideo propter famam, & deponentium credulitatem duntaxat, non est ad criminis pœnam quis condemnandus, licet ei possit canonica indici purgatio, secundum arbitrium iudicantis. vt in tex. & c. omnibus. 2. q. 5.

ET per dicta paucorum, non debet quis apud iudicem infamatus reputari.

QVIA infamis dicitur ille, cuius opinio est læsa apud bonos, & graues, & multos; non autem apud paucos, præsertim si sint viles. glos. hic. & infr. c. qualiter. Et quoniam inquisitio non fit, nisi contra infamatum. sup. c. cum oporteat. Ideo is, cuius opinio apud bonos, & graues læsa non existit, propter paucorum dicta infamatus reputari non debet; nec contra eum de crimine sit inquisitio; cùm prius debeat constare de infamia, quam de crimine contra aliquem inquiratur. vt in tex. & c. Deus. 2. q. 1. Et intellige, quod dicta paucorum non infamant, quando deponunt de fama apud eos existente. Abb. hic. nam si deponunt de fama apud bonos, & graues existente, duo tantum possunt probare infamiam, seu famam. Goffr. hic, & Lud. Rom. cons. 67.

Cap. 22. Ad petitionem.

SI is, de cuius crimine in iudicio constat, petit restitutionem, propter

pter iudiciarium ordinem non seruatum, non est audiendus, sed eum tanquam notorium criminosum, debet superior de nouo priuare.

QVIA probationes factæ coram iudice suo valent, licet sententia priuationis ob defectum ordinis, post probationes commissum, sit nulla. Abb. hic. & not. in c. ad probandum. de re iudic. Et quoniam criminosis, & infamibus non debent patere portæ dignitatis. c. infamibus. de reg. iur. in 6. nec debent permitti in Dei Ecclesia ministrare. c. presbyter. 2. q. 5. Ideo ex quo constat de indignitate condemnati, non est ei restitutio facienda, licet sententia sit de nouo ferenda, si iam lata sit inualida. vt in tex. & Abb. sup. in c. si constiterit.

Cap. 24. Accedens.

AGENTI possessorio adipiscendæ in beneficialibus, non obstat exceptio criminis.

QVIA exceptio proportionatur iuri venientium ad conflictum iuris, Host. hic. Exceptio enim est propriè actionis exclusio. l. 2. ff. de except. Et quoniam ille, qui petit beneficij possessionem, non petit aliquid iuris, sed aliquid facti, consecutiuum ad ius obtentum de præterito. Abb. hic. Ideo regulariter agenti possessorio adipiscendæ in beneficialibus, non obstat exceptio criminis. vt in tex. & Innoc. sup. in c. super his. secus esset, si crimen obijceretur electo, nam cum ipse tractet de iure acquirendo, scilicet confirmationem, statim est audienda exceptio antequam ille confirmetur. glos. hic. & c. constitutus. de appell.

NISI de eo sit infamatus.

QVIA turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes. c. quemadmodum. de iureiur. Et quoniam etiam si iam esset in possessione, propter infamiam, & scandalum, beneficiatus deberet ab ea suspendi, vsque ad purgationem. c. presbyter. 2. q. 5. Ideo multo magis non debet mitti in beneficij possessionem ille, contra quem excipitur de crimine, de quo ipse est infamatus; sed tunc debet iudex supersedere, donec huiusmodi exceptio examinetur. vt in tex. & c. super eo. de elect.

ET infamato, accusatore non probante, vel non apparente, indicitur purgatio, in qua si defecerit, punitur vt conuictus.

QVIA probabilis præsumptio, quæ insurrexit ratione infamiæ contra reum, transit in violentam præsumptionem, si postea ipse deficit in purgatione. glos. in c. insinuatum. de simon. Et quoniam ex violenta præsumptione quis dicitur conuictus, & potest de delicto condemnari. c. afferte. de præsumpt. Ideo vbi quis de crimine est infamatus, si legitimus apparuerit accusator, iudex debet audire, quæ hinc inde fuerint proposita; & si crimen fuerit legitime probatum contra reum, ipse de-

eo eſt debita pœna afficiendus; ſi verò non, eſt abſoluendus; ſi autem contra eum legitimus accuſator non apparuerit, & ipſe ſuper crimine dignoſcitur reſperſus infamia, purgatio canonica eſt ei indicenda, in qua ſi defecerit, vt conuictus eſt puniendus; Si autem purgationem præſtiterit, contradictores ab eius moleſtia ſunt compeſcendi, & in expenſis legitimis condemnandi. vt in tex. & c. 2. de purg. can.

Cap. 24. Qualiter, il 2.

***SVPERIOR** contra ſubditum, maximè Prælatum, de his tantum inquiret, ſuper quibus præceſſit infamia; & tunc vocabit eum, & tradet ſibi capitula, & nomina, & teſtium dicta publicabit, & ipſius legitimas exceptiones admittet, & probato graui crimine, eum ab adminiſtratione remouebit.*

QVIA qualiter, & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus, ex auctoritatibus noui, & veteris teſtamenti colligitur euidenter, ex quibus poſtea proceſſerũt canonicæ ſanctiones. vt in tex. & ſup. c. qualiter. Legitur enim in Euãgelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audiuit ab illo; quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare. Luc. cap. 16. Et in Geneſi Dominus ait: Deſcendam, & videbo, vtrum clamorẽ, qui venit ad me, opere compleuerint. cap. 18. Et quoniã ex his auctoritatibus manifeſte probatur, quod non ſolũ cum ſubditus, verùm etiam cum Prælatus excedit, ſi per clamorem, & famam, ad aures ſuperioris peruenerit, non quidẽ à maleuolis, & maledicis, ſed à prouidis, & honeſtis, nec ſemel tantum, ſed ſæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat; debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari, vt (ſi rei popoſcerit qualitas) canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tanquam idem ſit accuſator, & iudex, ſed quaſi denunciante fama, vel deferente clamore, officij ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſit obſeruandum in ſubditis; diligentius tamen eſt obſeruandum in prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam: Et quia non poſſunt omnibus complacere; cum ex officio ſuo teneantur, non ſolùm arguere, ſed etiam increpare; quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam verò ligare; frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur: & ideo ſancti patres prouidè ſtatuerunt, vt accuſatio Prælatorum non facilè admittatur, ne concuſſis columnis, corruat ædificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſæ, ſed etiam malignæ criminationi ianua præcludatur. Verum ita voluerunt prouidere Prælatis, ne criminarentur iniuſtè, vt tamen cauerent, ne delinquerent inſolenter: cõtra morbum vtrumque inuenientes medicinam congruam, videlicet, vt criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis, ideſt, degradationem intenditur,

tenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur; sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, vt iã clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo, ad inquirendum, & puniendum eius excessus, non ex odij fomite, sed charitatis procedatur affectu, quatenus si fuerit grauis excessus; etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoueatur omnino; quod est secundum sententiam Euangelicam, à villicatione villicum amoueri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. vt in tex.& c.accusatio. 2. q.7. Ideo debet esse præsens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaret; & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi seipsum, & nõ solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (vt quid, & à quo sit dictum, appareat) publicanda; nec non exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ; ne per suppressionẽ nominum, infamandi; per exceptionum verò exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur. Ad corrigẽdos itaque subditorum excessus, tanto diligentius debet Prælatus assurgere; quanto damnabilius eorũ offensas desereret incorrectas. Contra quos, vt de notorijs excessibus taceatur; & si tribus modis possit procedi; per accusationẽ videlicet, denunciationem, & inquisitionẽ ipsorũ; tamen vt diligens adhibeatur in omnibus cautela, ne fortè per leue compẽdium, ad graue dispendium veniatur; sicut accusationẽ legitima debet præcedere inscriptio, sic & denunciationẽ charitatiua monitio, & inquisitionẽ clamosa insinuatio prævenire; illo sẽper adhibito moderamine, vt iuxta formã iudicij, sentẽtiæ quoq; forma dictetur. vt in tex.& c.licet Heli. de sim.

IN regularibus verò Prælatis, adunguem seruandus non est hic ordo.

QVIA regularibus facilius permittitur iura ignorare, quàm sæcularibus. c.quoniam. de simon. & Innoc. in c.cum in cunctis. de elect. Et cum non habeant titulos ita firmos, sicut sæculares, non multũ debent curare, quod remoueantur ab administratione. Io.And. hîc. Ideo circa eos non est vsquequaque iudicialis ordo hîc traditus, seruandus. vt in tex. & arg. c.veniens. de simon. Debet tamẽ etiã circa eos seruari aliquis ordo; vt in tex.& intellige, quod remouetur ordo quoad subtilitatẽ, nõ quo ad veritatẽ. Abb. hîc; nã veritas nunquam est omittẽda. Clem. sæpe. de verb. sign.

Cap. 25. Sicut olim.

METROPOLITANI ad correctionem excessuum, & reformationem morum, singulis annis facere debent prouinciale Concilium; in quo statuere debent personas idoneas per singulas diœceses, quæ solicitè inuestigent; & in sequenti Concilio referant corrigenda; & Episcopi debent facere synodos Episcopales singulis annis, & publicare agitata in Prouinciali Concilio.

QVIA

QVIA pastores, seu Ecclesiarũ Prælati debent inquirere, & corrigere excessus subditorũ, maximè clericorũ, ne sanguis eorum, de suis manibus requiratur. c. irrefragabili. de off. ord. Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit. S. Greg. in regist. lib. 2. epist. 52. Et quoniã ad talia peragẽda, optima via sunt prouincialia & diœcesana concilia. c. propter. dist. 18. Et ad ea nec nimis breue, nec nimis longũ tẽpus est assignandum. c. in singulis. de stat. mon. Ideo singulis annis præcipiuntur facienda, & quæ ibi spectant ad moderandos mores, corrigendos excessus, controuersias cõponendas, aliaq. ex sacris canonibus permissa, sunt proponenda, & tractanda. vt in tex. & c. quoniam. dist. 18. Et hodie ex decreto Concilij Trid. prouinciale Concilium saltem quolibet triennio præcipitur celebrandum. sess. 24. de refor. cap. 2.

ET hæc negligentes, ab executione officij suspenduntur.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltẽ coerceat seueritas disciplinæ. c. cũ in cunctis. de elect. Et quoniã quis puniẽdus est in eo, in quo peccauit. c. literas. de tẽp. ord. Ideo statuitur, vt quisquis hoc salutare statutũ neglexerit adimplere, à sui executione officij suspẽdatur. vt in tex. & c. si quis. dist. 18. Cõc. Trid. d. cap. 2.

Cap. 26. Olim.

SENTENTIAE excommunicationum, suspensionum, vel interdicti, latæ post denunciationem per abbatẽ denunciatum, vel alium pro ipso in monachos denunciantes, vel adhærentes eisdem, relaxantur; spoliati restituuntur, & iuramenta de tacenda veritate relaxantur, dicta testium denunciato traduntur; & expensæ de bonis monasterij monachis denunciantibus ministrantur.

QVIA ex denunciatione solent inter denunciantẽ, & denunciatum graues inimicitiæ oriri. sup. c. cũ P. & l. 1. ff. de his, quib. vt indig. Et quoniã corã suspecto iudice, vel inimico, quis non est cõpellendus litigare. sup. c. repellãtur. & de off. deleg. c. suspicionis. Ideo ex quo causa est cœpta inter prælatũ, & subditos, intelligitur esse suspẽsa iurisdictio prælati, ac si esset appellatũ ab eo. vt in tex. & sup. c. cũ dilectus. & totũ iudiciũ ad superiorẽ, corã quo litigatur, intelligitur esse delatũ; vnde si procedat inferior, pẽdente tali iudicio, iniuriã videtur facere superiori. arg. c. nomẽ. 2. q. 1. & ideo superior, quicquid per inferiorẽ, qui ex odio procedere præsumitur, pẽdente negotio, attentatũ fuerit, reuocabit. vt in tex. & Host. hic.

PROPTER hoc tamen ab obedientia abbatis non eximuntur, sine tamen litis præiudicio.

QVIA sicut est consulendum, ne subditus à superiore irato indebitè offendatur. vt in tex. ita est prouidendũ, ne bonum obedientiæ sol-

tatur.c.significauit.de offic.ord.Ideo vt vtrique remediũ adhibeatur, iudex ille denunciatus, pendente negotio coram superiore, super articulo pendente, vel ex eo, siue eius occasione dependente, vel ad impedimentum ipsius, nihil debet innouare. vt in tex. super alijs autem indistinctè procedet, nisi forsan occasione sic pendentis negotij, vel aliàs fuerit legitimè recusatus. c.ad hæc.de appell. &c.nonne.8.q.4.

Cap. 27. Prælatorum.

CONTRA prælatum denunciatum de dilapidatione, fit commissio super veritate inquirenda; & pendente negotio, debet interdici potestas alienandi.

QVIA prælati,& ecclesiarũ rectores, & cæteri beneficiati,non sunt domini,sed dispẽsatores, & rebus Ecclesiæ debent vti tanquã commendatis, non tanquam proprijs.c.expedit.12.q.1.& ob id sine legitima causa,& debita solemnitate,res Ecclesiæ alienari non debent.c.nulli. de reb.eccl.non alien.Et quoniam melius est ante tempus occurrere, quam post causam vulneratã remedium quærere.l.fin.C.in quib.caus.in integr. rest.non est nec.Ideo si prælatus sit de dilapidatione denunciatus, contra eum fit inquisitio, & illa pendente, ei specialiter inhibetur, ne de bonis Ecclesiæ aliquid alienet, vel aliquo contractu Ecclesiam obliget. vt in tex.& c.venerabili.de offic. deleg.

In Sexto. Cap. 1. Postquam.

EX confessione coram delegato inquirente, super certis criminibus deputato, facta, punitur confitens.

QVIA per confessionem factam in iudicio,crimen fit notorium.c.fin.extr.de cohabit.cler.& mul.Et quoniã in notorijs nullæ sunt partes iudicis,nisi in sententiando. l.qui sententiam.C.de pœnis.Ideo confessio iudicialis facta in causa criminali includit probationem, etiam quo ad pœnæ impositionem.vt in tex.& extr.c.euidentia.

LICET dicat, se prius diffamatum non fuisse, vel inquisitionis capitula non habuisse.

QVIA quando aliqua præambula sunt ordinata ad finem obtinendum,si habemus finem,non curamus de præambulis, quando illa præambula non sunt de substantia actus.glos.in c.cum quid. infr. de reg. iur. Et quoniam ordo ille,vt in inquisitione facienda cõtra aliquẽ, prius quæratur,an ipse sit de tali crimine diffamatus,quàm super illo crimine contra ipsum processus per iudicem formetur, nõ est de substantia ordinis iudicialis,sicut nec est,quod per ipsum iudicem inquirentem, illi capitula

pitula tradantur continentia, super quibus inquisitio est facienda, sed est ordo congruitatis. glos. infr. in c. prox. cui ordini ipse confitens censetur renunciasse, ex quo non appellauit, quando iudex illum non seruabat. glos. hic. Ideo sibi imputet, si tali ordine non seruato, crimen est confessus. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 2. Si is.

VALET inquisitio facta super veritate criminum, omissa inquisitione infamia, si reus præsens tacuit.

QVIA fauori pro se principaliter introducto quisque renunciare potest c. ad apostolicam. ext. de regular. Et quoniam est principaliter introductum in fauorem rei, vt de crimine contra ipsum non inquiratur, nisi prius constet, quod de illo sit infamatus. extr. c. qualiter, il 2. Et qui tacet, consentire videtur. c. qui tacet. infr. de reg. iur. Ideo taciturnitas partium in iudicio, habet vim renunciationis exceptionum dilatoriarum eis competentium; & si is, cui contra te commissa fuerat simpliciter inquisitio, super certis criminibus facienda, processerit, te præsente, nec reclamante, aut quicquam super hoc excipiente (infamiæ inquisitione omissa) ad veritatem eorundem criminum inquirendam; processum huiusmodi, ex eo quod non fuit de infamia primitus inquisitum, vlterius impugnare nequibis. vt in tex. & sup. c. prox.

Liber Quintus. Titulus II.

DE CALVMNIATORIBVS.

In Decretal. Cap. 1. Cum fortius.

SVBDIACONVS calumniose accusans diaconum, subdiaconatu priuatur, & publicè verberibus castigatur, & in exilium mittitur.

QVIA ille, qui male accusat, peccat, & contra personam accusati, & contra rempublicam; vnde propter vtrumque punitur. S. Thom. 2. 2. q. 68. art. 4. Et hoc est, quod dicitur in Deuter. Cumq. diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit; quod pertinet ad iniuriam personæ. & postea quantum ad iniuriam reipublicæ subditur: Et auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. cap. 19. Et quoniam crimen augetur dignitate personæ, cui iniuria infertur. l. omne. ff. de re milit. Ideo cum fortius sint punienda crimi-

na, quæ insontibus (& maximè sacratis hominibus) inferuntur, vt tantæ nequitiæ malum sine digna vltione non transeat, subdiaconus, qui calumniosè diaconum accusauit, subdiaconatus debet officio priuari, & verberibus publicè castigatus, in exilium deportari. vt in tex. & c. quia iuxta. 5. q. 6. Accusatorum autem temeritas tribus modis detegitur; aut enim calmniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur. Calumniari est falsa crimina scienter intendere. Præuaricari est vera crimina abscondere. Tergiuersari est in vniuersum ab accusatione desistere. c. si quem. 2. q. 3. & l. 1. ff. ad sen. cons. Turp. & S. Thom. 2. 2. q. 68. art. 3.

Cap. 2. Cum dilectus.

DENVNCIATOR in probatione criminum deficiens, ab officio, & beneficio suspenditur, donec innocentiam suam purget.

QVIA infamare alium, est graue delictum. c. deteriores. 6. q. 1. Et quoniam ille, qui denunciat aliquem de delicto, quod non probat, videtur ei indebitè voluisse infamiam irrogare. c. prælatorum. sup. tit. prox. Et crimina non debent remanere impunita. l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. Ideo licet denunciator non agat ad certam pœnam, & ob id non se inscribit. c. super his. sup. tit. prox. tamen si in probatione defecerit, & innocentiam suam non purget, extraordinarie punitur propter infamiam, quam conatus est irrogare, vt cæteri simili pœna perterriti, non facilè prosiliant ad infamiam aliorum. vt in tex. & l. fin. C. de calumn. Sed licet regulariter, eo ipso, quod quis deficit in probando, præsumatur calumniari. c. qui non probat. 2. q. 3. ista tamen præsumptio non est iuris, & de iure, vnde admittit in contrarium probationem innocentiæ, scilicet, quod ex aliqua verisimili causa quis denunciauerit. Abb. hic, & Bart. in l. 1. §. item præuaricator. ff. ad sen. cons. Turp. & S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 8.

Liber Quintus. Titulus III.

DE SIMONIA, ET NE aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

In Decretal. Cap. 1. In ordinando.

EPISCOPVS pro ordine ab eo conferendo, vel ministri, vel notarij, nihil temporale exigere debent.

QVIA

QVIA ordo est sacramentum, & quid spirituale. Magist. sent. lib. 4. dist. 24. Et quoniam recipere, vel dare temporale pro re sacra, & spirituali, est simonia. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. Ideo sicut non debet Episcopus manum, quam imponit, ita nec minister, vel notarius in ordinatione eius, vocem, vel calamum vendere. Pro ordinatione igitur, vel vsu pallij, seu chartis, atque pastellis, is, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibetur. vt in tex. & c. sicut. 1. q. 2. Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex pacto, neque exactus, ac petitus, post acceptas chartas, & pallium, offerre aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibetur, quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit. d. c. sicut. Dic ergo, quod sacramenta nouæ legis sunt maximè spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & eius rationi repugnat, quod non gratuitè detur. Dispensantur autem sacramenta per Ecclesiæ ministros, quos oportet à populo sustentari, secundum illud Apost. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altario deseruiunt, cum altario participant? 1. ad Corinth. cap. 9. Sic ergo dicendum est, quod accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari; quia consuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino. c. fin. de consuet. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cuius pretium potest pecunia æstimari. c. totum. 1. q. 3. & Philos. 5. Ethic. cap. 5. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum; Non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2. Vnde super illud 1. ad Timoth. cap. 5. Qui bene præsunt presbyteri, & c. dicit gloss. Augustini: Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. S. Aug. lib. de Pastor. cap. 2. tom. 9. Et nouissime, quid notarij accipere possint pro litteris dimissorijs, vide Conc. Trid. sess. 21. de refor. cap. 1.

Cap. 2. Qui alium.

DEPONENDVS est, qui per pecuniam aliquem eiecit de Ecclesia sua, se postea intrudendo.

QVIA talis dupliciter peccat, primo scilicet, dando pecuniam pro Ecclesia adipiscenda, quod est simonia. infr. c. non satis. habere enim beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, & ex spiritualibus pendere, quia non competit, nisi habenti officium clericale; vnde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus; & propter hoc, ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis, intelliguntur etiam

spiritualia venditioni subijci. S.Tho.2.2. q. 100. art.4. Secundo peccat, quia beneficium viuentis occupat.c.1. de conc. præb. quæ occupatio dicitur vsurpatio, & inuasio.c.non furem. 7. q.1. Et quoniam grauia delicta, grauem pœnam merentur.c.disciplina.dist.45. Et quis puniendus est in eo, in quo peccauit. c.literas.de temp. ord. Ideo qui alium in Ecclesia ordinatum, per pecuniam expulerit; eamq. sibi taliter vendicauerit, omnimodo est deponendus. vt in tex. & c. inquisitionis. de accusat. Et ad hæc vide Conc. Trid.sess.24.de refor.cap.14.& constit.Pij V.incip. Durum nimis.

Cap. 3. Si dominus.

QVILIBET catholicus admittitur ad accusandum de crimine simoniæ.

QVIA si id, de quo minus videtur inesse, inest; & id, de quo magis. c.si in laicis. dist.38. Et quoniam omnis Christi actio, debet esse nostra instructio. S. August. serm. 10. de verbis Domini. tom. 10. Ideo si dominus, & magister omnium, qui sine peccato fuit. 1. Petri cap. 2. accusandi licentiam vni dedit. vt in tex.dicendo: Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. cap. 8. & iterum dicendo: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo.Ioan.cap.18.non igitur quilibet catholicus est respuendus, sed vt veritatem asserat, ad propalandum simoniacam rabiem, magnis est precibus exhortandus.vt in tex.& c.si quis Papa.dist.79.

Cap. 4. Accusatum. & Cap. 5. Quoties.

SIMONIACVS, pendente accusatione, ab administratione diuinorum prohibetur.

QVIA simonia est maximum crimen.c.fin. 1.q.7. Et quoniam fama illius, qui diuina administrat, in nullo debet vacillare. c.omnipotens. de accus. Ideo accusatus simoniacus prohibetur, ne missarum solemnia celebret, donec quid sit, verius constiterit. vt in tex. & c.si mala. 2. q. 5. Vnde nota casum, in quo, lite pendente, quis priuatur quasi possessione beneficij, & officij; sed hoc intellige, quando accusatus erat infamatus de simonia, alias non deberet suspendi. glos. hic. nam licet etiam occultus criminosus sit suspensus quo ad se, non tamen est quo ad alios. c.fin.de cohab.cler.& mul. & c.sacerdotes. 1.q.1. propter atrocitatem autem peccati, concurrente infamia, sit suspensio, donec causa finiatur.c.inter.de purg.can.& c.presbyter.2.q.5.

Cap. 6. Sicut, il 1.

SIMONIACVS est deponendus.

QVIA pro mensura peccati, debet esse & modus plagarum. Deuter. cap.25. Et quoniam simonia est maximum delictum. c. fin.1.q.7.& in clericis depositio est maxima pœna. c.si quis Episcopus.1.q.1. Ideo sicut

cut

cut simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit, ita sine dilatione, mox vt eius signa per aliquam personam claruerint, de Ecclesia Dei debet eliminari, atque repelli. vt in tex. & infr. c. de hoc, & S. Thom. 2.2.q.100.art.6.

Cap. 7. Tanta.

SIMONIACVM accusare potest seruus, meretrix, & criminosi.

QVIA simonia est vnum de exceptis, & maioribus criminibus. c. patet. 1.q.7. Et quoniam in detestationem talium criminum admittuntur etiam testes, non vsquequaque idonei. c. si quis Papa. dist. 79. Ideo tanta est labes huius criminis, quod etiam serui aduersus dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem. Item omnis peccator missam cantare potest, præter simoniacum; quem quilibet (vt ab ordine male accepto remoueatur) accusare potest, vel etiam meretrix. vt in tex. & c. 1. de testib. in 6. Et in quantum tex. dicit; *omnis peccator, &c.* vide hic glos.

Cap. 8. Non satis. & Cap. 9. Cum in Ecclesiæ.

SIMONIACVM est, pretium recipere pro ingressu religionis, pro Prioratibus, vel capellis concedendis, & pro Prælatis instituendis, pro concedenda sepultura, pro chrismate, pro oleo sancto, pro benedictionibus nubentium, vel alijs sacramentis.

QVIA simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. S. Thom. 2.2.q.100.art.1. Et quoniam omnes isti actus hic enumerati, vel sunt spirituales, vel spiritualibus annexi. S. Thom. d.q.100.art.2.3.& 4. Ideo prohibetur, ne ab ijs, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur, nec prioratus, vel capellaniæ quælibet monachorum, aut clericorum annua distractione vendantur; nec ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione vllum pretium exigatur; vnde quisquis contra hoc decretum attentare præsumpserit; tam ille, qui dederit, quàm ille, qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quoque, & chrismatis, & olei receptione, nulla cuiusquam pretij exactio attentetur. vt in tex. & c. statuimus. 1.q.1. & Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 14. Quando tamen aliqua puella recipitur in monialem, si sponte, sine aliqua conditione, & pura intentione aliquid dare voluerit, non prohibetur. infr. c. tua nos. & S. Thom. d. art. 3. sed prohibetur dare ex pacto. infr. c. veniens. Et si monasterium esset ita tenue, quod non posset sufficere, tunc posset exigere hoc modo: Frater, vel soror, scias, quod non possumus tibi prouidere; si vis intrare, porta tecum, vnde viuere possis. glos. hic. & c. si quis propter. 1.q.2. In simonia enim, & vsura, amor lucri prohibetur. c. si quis oblitus. 14.q.4.

NEC

NEC valet consuetudo in contrarium.

QVIA consuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino.c.fin.de consuet.sed tanto grauiora sunt crimina,quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam.vt in tex.Et quoniam actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. S.Thom.1.2.q. 18. art.2.Et emptionis, ac venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione; Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, vt de Sapientia dicitur: Pretiosior est cunctis opibus, & omnia,quæ desiderantur, huic non valent comparari. Prouerb.cap.3. Vnde S.Petrus in ipsa sui radice simoniacam prauitatem condemnans,dixit: Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Act.cap.8. Secundò, quia id non potest esse debita venditionis materia, cuius venditor non est dominus. c.quod autem.de iurepatr.Prælatus autem ecclesiæ, non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, secundum illud: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. 1.ad Corinth.cap.4. Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proueniunt; Vnde & Dominus dicit: Gratis accepistis, gratis date. Matth. cap.10. Ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreuerentiam exhibet Deo, & rebus diuinis; propter quod peccat peccato irreligiositatis, & nulla consuetudine potest excusari. vt in tex.& c.fin.1.q.3.& S.Thom.2.2.q.100.art.1.& 2.

Cap. 10. Cum sit.

PRO Ecclesiarum consecratione nihil est exigendum.

QVIA Ecclesiarum consecratio est actus spiritualibus annexus, sicut fini. c.solemnitates. de consecr.dist.1.& S.Tho.2.2.q.100.art.4. Et quoniam exigere temporale pro re spirituali,vel spirituali annexa,est simonia.S.Thom.d.q.100.art.1.Ideo pro ecclesiarum consecratione,Episcopus nihil exigere potest.vt in tex.& c.si quis obiecerit.1.q.3.

PRAETER procurationem.

QVIA huiusmodi procuratio est annexa visitationi,& ecclesiarum consecrationi. c.venerabili. de censib.& datur non pro aliquo sacramento,vel pro ei annexo, nam hoc esset simoniacum.c. si quis obiecerit.1.q.3. sed præstatur in signum cuiusdam superioritatis,& vt Prælati facilius inducantur ad visitandum, & procurandum. c.procurationes.de cens. Et quoniam qui spiritualia administrat, non est magnum, si carnalia metat. 1. ad Corinth. cap. 9. Ideo licet Prælatis accipere procurationem, quando subditos visitant, vel ecclesiam consecrant, non quasi pretium correctionis, vel consecrationis,sed quasi debitum stipendium laboris, & superioritatis.vt in tex.& c.sopite.de cés.& S.Th.d.q.100.ar.3.

Cap.

Cap. 11. De hoc.

CONVICTVS de simonia, deponendus est.

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Et quoniam simonia est maximum delictum. c. fin. q. 7. Et depositio in clero est maxima pœna. c. si quis Episcopus. 1. q. 1. Ideo conuictus de simonia, est deponendus. vt in tex. & c. qui per pecuniam. 1. q. 1. Praeterea, nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem domini acquisiuit, puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille, qui acciperet, licitè retinere non posset. c. cum tu. de vsur. Et quoniam Dominus, cuius ecclesiarum Praelati sunt dispensatores,& ministri, ordinauit, vt spiritualia gratis darentur, secundum illud: Gratis accepistis, gratis date. Matth. cap. 10. Ideo qui muneris interuentu spiritualia quaecunque assequitur, ea licite retinere non potest; & in simoniae pœnam, tam vendentes, quàm ementes spiritualia, aut etiam mediatores, alijs pœnis puniuntur, scilicet, infamia, & depositione, si sint clerici,& excommunicatione, si sint laici. d. c. si quis Episcopus,& S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 6.

IDEM in infamato, qui se purgare non potest.

QVIA probabilis praesumptio, quae ex infamia surrexit contra reum, transit in violentam, ex eo, quod non habet testes suae honestatis. glos. infr. in c. insinuatum. Et quoniam ex violenta praesumptione quis potest condemnari. c. afferte. de praesumpt. Ideo infamato de simonia, vel alio delicto, debet canonica purgatio indici; in qua si defecerit, potest vt sceleris auctor puniri. vt in tex.& c. accedens. de accus.

Cap. 12. Cum essent.

SIMONIACVM est, pro temporali obsequio beneficium Ecclesiasticum promittere.

QVIA beneficium ecclesiasticum est res spiritualis c. quaesitum. de rer. permut. Et quoniam obsequium temporale, est res temporalis. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. nomine enim pecuniae intelligitur omne illud, cuius pretium potest pecunia aestimari. c. totum. 1. q. 3. & Arist. 5. Ethic. cap. 5. manifestũ est autem, quod obsequium hominis ad aliquam vtilitatem ordinatur, quae potest pretio pecuniae aestimari; vnde pecuniaria mercede ministri conducuntur; & sic idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium aestimari posset. Similiter etiam, quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quaerendam, ordinatur ad aliquam vtilitatem, quae potest pecuniae pretio aestimari. S. Thom. d. art. 5. Ideo sicut contrahitur simonia, accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exterio-

rem

rem (quod pertinet ad munus à manu) ita etiam contrahitur per munus à lingua, vel ab obsequio. vt in tex. & c. sunt nonnulli. 1. q. 1. Si aliquis tamen clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum, puta, ad Ecclesiæ vtilitatem, vel ministrorum eius auxilium, ex ipsa deuotione obsequij redditur dignus ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera; vnde tunc non intelligitur esse munus ab obsequio; Si verò sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, puta, quia seruiuit prælato ad vtilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonij sui, vel ad aliquid huiusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum. S. Thom. d. art. 5. & c. saluator. 1. q. 3. Vnde potest licite quilibet seruire Episcopo, vel alij, spe futuræ remunerationis; nec simonia committitur in tali spe; cum sine pacto, & conditione seruiat; dummodo principaliter hac intentione non seruiat; nec Episcopus directè pro hoc seruitio, ei prouidere in beneficio intendat; sed secundario bene potest haberi talis spes, & sic secundariò remunerari. glos. hic. & glos. in c. quid proderit. dist. 61.

Cap. 13. Insinuatum.

NOTORIVS simoniacus in beneficio, ab illo deponitur.

QVIA nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquisiuit. c. peccatum. de reg. iur. in 6. Et quoniã Dominus, cuius ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri. 1. ad Corinth. cap. 4. ordinauit, vt spiritualia gratis darentur, dicendo: Gratis accepistis, gratis date. Matth. cap. 10. Ideo si constat, aliquem per simoniam beneficium esse adeptum, ab illo est remouendus. vt in tex. & sup. c. de hoc. Et alia pœna etiam potest multari, cum ista non sit propriè pœna c. cum clerici. de pact. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. Et idem est in infamato, qui se purgare non potest. vt. in tex. quia probabilis præsumptio, quæ ex infamia surrexit contra reum, transit in violentam ex eo, quod non habet testes suæ honestatis. vt not. sup. in d. c. de hoc.

Cap. 14. Nemo.

SIMONIACVM est, pretio, vel fauore, celare peccatorem; vel reconciliare non pœnitentem, vel dignè pœnitentem à reconciliatione remouere.

QVIA quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus, vel quibuslibet præmijs venũdari penitus debet. c. quicquid. 1. q. 1. Et quoniam omnia huiusmodi spiritualia per inuisibilem gratiam tribuuntur. S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 3. Ideo nemo presbyterorum, xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imo spirituale detrimentum, à quocunque publicè peccante accipiat, vt Episcopo, vel ministris eius, peccatum illius celet, nec pro respectu cuiusque personæ consan-

conſanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Epiſcopo innoteſcere detrectet; nec quemquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem, gratia, vel fauore ad reconciliationem adducat, & teſtimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocunque liuore dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat, quia ſimoniacum eſt vtrumque. vt in tex. & inf. c. ad aures. & ad hæc vide Silueſt. in verb. ſimonia, q. 5.

Cap. 15. Querelam.

ECCLESIA emi, vel redimi non poteſt.

QVIA vendere, vel emere ſpirituale, vel ſpirituali annexum, eſt ſimonia. ſup. c. non ſatis. Et quoniam Eccleſia eſt annexa ſpiritualibus, in quantum ad ſpiritualia eſt ordinata, & in ea ſpiritualia exercentur. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Ideo Eccleſia non poteſt emi, vel redimi, aut vendi. vt in tex. & c. ſi quis obiecerit. 1. q. 3. Emere autem, & redimere hic accipiuntur pro eodem. Hoſt. hic.

Cap. 16. Ea, quæ.

PRO Chriſmate ab Eccleſiis pecunia exigi non debet.

QVIA Chriſma eſt vnum de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis. c. vnic. §. per frontis. de ſacr. vnct. & Conc. Trid. ſeſſ. 7. de Confirm. can. 1. Et quoniam ſacramenta nouæ legis, ſunt maximè ſpiritualia, in quantum ſunt cauſa ſpiritualis gratiæ, quæ pretio æſtimari non poteſt, & eius rationi repugnat, quod non gratuitè detur. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. & c. placuit. 1. q. 1. Ideo nec à confirmato, nec ab eccleſijs, vel ab alijs, pro Chriſmate, aliquid temporalitatis eſt exigendum. vt in tex. & c. fin. 1. q. 3. Sicut nec etiam pro oleo ipſius Chriſmatis; cum illud non æſtimetur, niſi ratione ſpiritualis. Caiet. in 2. 2. S. Thom. q. 100. art. 3.

ETIAM ſi hoc habet conſuetudo.

QVIA dare ſpirituale pro temporali, eſt ſimonia, quæ à iure diuino in vtroque teſtamento eſt damnata, & deteſtabiliter prohibita. c. qui ſtudet. 1. q. 1. Et quoniam nulla conſuetudo poteſt iuri diuino, vel naturali præiudicare. c. fin. de conſuet. Et diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget. ſup. c. non ſatis. Ideo accipere pecuniam pro Chriſmate, vel alio ſacramento, eſt crimen ſimoniæ, quod nulla conſuetudine poteſt excuſari. vt in tex. & infr. c. in tantum.

Cap. 17. Ex diligenti.

PRO habendis ſpiritualibus homagium facere, ſimoniacum eſt.

QVIA homagium continet temporale commodum illius, cui præſtatur; nam is, qui præſtat, efficitur illius ſubditus, & vaſallus, & obligatur illi ad certa ſeruitia. gloſ. in Clem. 2. ver. homo. de re iud. & Specul. in tit. de feud. §. 2. Et quoniam iſtud eſt munus ab obſequio, pro

ſpiri-

spiritualium adeptione indebitè impenso. glos. hic; cum sit dare temporale pro spirituali. S.Thom.2.2.q.100. art.5. Ideo indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, vt pro spiritualibus habendis, quis homagium faciat. vt in tex. & c. indignum. infr. de reg. iur. Iuramentum verò fidelitatis, quod præstatur superiori ecclesiastico, post habitum beneficium, scilicet quod talis erit ei fidelis, bene est licitum; cum illud præstetur proprio superiori, & post beneficium adeptum, nec sit promissio alicuius temporalitatis pro spirituali consequendo. c. Ego N. de iureiur. & c. antiqua. de priuil.

Cap. 18. Etsi quæstiones.

ORDINATIO, vel consecratio, non censetur simoniaca, licet ordinatori aliquid donatum fuerit, non ex pacto.

QVIA simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. S.Thom. 2.2.q.100.art.1.& glos. in sum. 1.q.1. vnde in simonia, & vsura, amor lucri prohibetur. c. si quis oblitus. 14. q. 4. Et quoniam quando non pro ipsis spiritualibus principaliter, sed ex charitate quadam aliquid sponte confertur, non potest dici, quod ibi adsit voluntas emendi, vel vendendi spirituale. Abb. sup. in c.1. & à quocunque remouetur definitio, remouetur & definitum. l. 1. §. dolum, & ibi glos. ff. de dol. Ideo si in ordinatione, vel consecratione, aut alio actu spirituali, interueniant aliqua xenia modici pretij, pacto omnino cessante, vt ex quadam charitate, & non pro ipsa re spirituali conferantur, non est simonia. vt in tex. & infr. c. ad apostolicam. Quod autem scriptum est: Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere. Isaias cap. 33. de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel peruertere solent. vt in tex. vnde si ipsa persona electi offerat ordinatori, vel consecratori suo [illegible], aut de vino, siue de alijs huiusmodi, quæ modici pretij fuerint; ex quo voluntatem recipientis inclinare, vel mouere non debeant; non consueuit Ecclesia Romana interpretari, accipientem in his delinquere, vel donantem. vt in tex. Si autem huiusmodi, pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simonia esset. infr. c. ex tuæ, & S.Tho. 2.2.q.100. art.3.

Cap. 19. Veniens.

ABBAS, & maiores de conuentu, si pro receptione monachi receperunt pecuniam ex pacto, ab officio, & beneficio suspenduntur; & taliter recepta pecunia restituitur, & in aliud monasterium ita receptus transfertur.

QVIA receptio ad religionem est actus spiritualis ex parte principij, licet ius alimentorum non sit aliquid spirituale, nec annexum spirituali antecedenter, aut consequenter. Siluest. in verbo, simonia. q. 15.

Et

Et quoniam pro actu spirituali recipere aliquid temporale, est simonia. sup.c.non satis. Ideo pro ingressu monasterij non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterij exhibere; sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterij opes. Similiter etiam licitum est, si propter deuotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosinas faciendo, facilius in monasterium recipiatur. Sicut etiam licitum est, aliquem è conuerso prouocare ad deuotionem monasterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad monasterij ingressum, licet non sit licitum ex pactò aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterij; & ob id tunc pecunia est restituenda, & recipientes, & receptus pro tali simonia sunt puniendi. vt in tex. & c. quam pio. 1.q.2.& S.Thom.2.2.q.100.art.3.Pecunia autem illa datur alteri monasterio, vbi talis ingreditur. vt in tex. ne remaneat ad dispositionem monachorum, qui eum recipiendo in priori monasterio, deliquerunt, & ne iste sit secundo monasterio onerosus. Abb. hic. compellitur autem iste ingredi aliud monasterium, ne damnabiliter in sæculo euagetur. S.Thom.2.2.q.100.art.6.

Cap. 20. Ex tuæ.

SI ordinandus præsentatori suo aliquid dedit ex pacto, simoniacum est.

QVIA accessorium sequitur naturā sui principalis. c.accessorium. de reg.iur.in 6. Et quoniam dare aliquid ex pactò Episcopo ordinatori, est simonia.sup.c.etsi quæstiones. Ideo non solum prohibetur Episcopus, qui ordinem confert, aliquid pro ordine recipere, sed etiam præsentator, & alij ministri, qui sunt accessorij, & coadiuuant ipsum Episcopum in celebratione. vt in tex.& sup.c.1.& S.Thom.2.2.q.100.art.3.

NON tamen deponitur, si est occultum.

QVIA illa crimina sunt corripienda coram omnibus, quæ coram omnibus committuntur. Ipsa verò corripienda sunt secretius, quæ secretius peccantur. c.si peccauerit.2.q.1. Et quoniam depositio est publica pœna. c.si quis Episcopus. 1.q.1. Ideo si hoc non est publicum, sed secretum, Episcopus debet illum ordinatum, taliter præsentatum, admonere, vt ordinem alicuius religionis assumat, & perpetuò ab officio abstineat, quod illicitè acquisiuit; Alioquin non erit tutum (cum sit secretus excessus) ipsum inuitum ab eodem officio coercere; cui tamen secretam pœnitentiam, secundum quod ipsi Episcopo visum fuerit, iniungere debet. vt in tex. & infr. c.Matthæus, & S.Thom. 2. 2. q. 100. art. 6.

Cap.

Cap. 21. Ad nostram.

PRO ministerio ecclesiastico exercendo, non debet exigi pecunia.

QVIA ministerium ecclesiasticum, vel est spirituale, vel spirituali annexum. sup.c. non satis. Et quoniam pro talibus exigere aliquid temporale, est simonia.c.qui studet.1.q.1.Ideo pro ministerio ecclesiastico exercendo, siue pro vicarijs assignandis, seu pro Chrismate, nullatenus pecunia est exigenda. vt in tex. & sup.c.prox. & S.Thom. 2.2. q.100.art.3.

Cap. 22. De simoniace.

CVM simoniacè ordinato, qui simoniacus non est, dispensari potest.

QVIA qui alieno vitio laborat, misericordia est dignus. l. legem. C. de natur.lib. Et quoniam qui, ipso ignorante, simoniace ordinatur, in culpa simoniæ ex suo defectu non reperitur. c. præsentium. 1. q. 5. Ideo cum in tali casu ipse non sit simoniacus, conceditur Episcopo; vt cum eo possit in suis ordinibus dispensare. vt in tex.& infr. c. ex insinuatione. Quod intellige, dummodo simonia non sit cum ipso Episcopo commissa.d.c.præsentium.& c. penult. de elect. Dispensare autem cum eo, qui est ordinatus, vel beneficiatus simoniacè scienter, solus Papa potest.c.statuimus.il 2.1.q.1.& S.Thom.2.2.q.100.art.6.

Cap. 23. Matthæus.

SI contradicens electo, pro pecunia de voluntate electi tradita, à contradictione cessat, electus postea confirmatus est simoniacus.

QVIA talis electus videtur consentire traditioni pecuniæ, vt liberius possit consequi confirmationem,& istud ius spirituale.c.penul. de elect. Et quoniam dare temporale pro spirituali, est simonia. sup. c. non satis. Ideo pro iure spirituali quærendo non est licitum dare pecuniam, etiam ad redimendam vexationem. vt in tex. & sup.c.nemo.secus pro iure quæsito. infr. c. dilectus. nam quando ius est quæsitum, & quis vexatur in eo; tunc pecunia propriè datur pro vexatione auferenda, & non pro aliquo spirituali consequendo.S.Th.2.2.q.100.art.2.& Inno.hic.

ET beneficio renunciare tenetur.

QVIA nihil prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Matth.cap.16. Et quoniam beneficium sine canonica institutione obtentum, non potest licite retineri.c.1. de reg.iur.in 6.Ideo qui muneris obtentu beneficium ecclesiasticum consequitur, illud dimittere tenetur.vt in tex.& sup.c.querelam.

Cap. 24. Ad aures.

PRO absoluendo excommunicato, pretium aliquod exigi non debet.

QVIA

QVIA absolutio ab excommunicatione, est ministerium ecclesiasticum, & spirituale. c.sacro. de sent.excom.& c.nullus Episcopus. 1.q.1. Et quoniam exigere temporale pro spirituali, est simonia. sup.c. ea, quæ. Ideo indignum est, & ecclesiasticæ rationi contrarium, vt absolutionis beneficium, pretio aliquo ab excommunicato redimatur. vt in tex.& c.non solum. 1. q.3. & S.Thom.2.2.q.100.art.2.

Cap. 25. De regularibus.

MONACHI per simoniam recepti, si sunt simoniaci, ad arctiora monasteria transferuntur; aliàs post renunciationem, in eisdem, vel in alijs monasterijs eiusdem ordinis, poterunt collocari.

QVIA erga simoniacos nulla misericordia in dignitate seruanda, est habenda; sed iuxta canonum sanctionem, & sanctorum patrum decreta, damnandi sunt, ac deponendi. c. erga. 1.q.1. Sed quoniam qui alieno vitio laborant, mitius sunt tractandi. l. legem. C.de natur. lib. Et qui, ipso ignorante, simoniacè promouetur, non est simoniacus. sup. c. de simoniacè. & per renunciationem, quam facit, de officio sibi male collato, purgat vitium, quod in illo existebat. c. penult. de elect. & est prouidendum, ne monachi damnabiliter in sæculo euagentur. sup. c. veniens. Ideo monachi, qui per simoniam ingressum, ipsis scientibus, habuerunt; locum, quem taliter adepti sunt, omnino dimittere debent, & solitudines, seu alia monasteria districtiora adire, in quibus tam execrabilem excessum, sine intermissione deplorent; si autem, ignorantibus ipsis, pecunia data fuerit, cogendi sunt ad renunciandum loco eidem, & postmodum in ipsum redire, si ibi absque scandalo poterint remanere, vel in alio, qui sit de ordine ipso, ad seruiendum Deo, poterunt collocari. vt in tex. & infr. c. quoniam. Quando autem ab ingrediente religionem, possit aliquid licitè recipi. not. sup.in c. veniens. & S.Thom.2.2.q.100.art.3.

Cap. 26. Ex insinuatione.

SI quis canonicatui renuncians, ad quem per simoniam ignoranter assumptus fuerat, postea de nouo assumatur ad illum; non potest ex prima receptione sibi aliquid vendicare.

QVIA actio semel extincta, amplius non reuiuiscit. c.quæris. de consecr.dist.4.& l.qui res.§.aream. ff.de solut. Et quoniam per huiusmodi renunciationem, totale ius primò acquisitum extinguitur. c.penult. de elect. Ideo si talis, qui renunciauit, misericorditer de nouo ad eundem canonicatum assumatur, ratione primæ receptionis, nihil sibi potest in ipsa ecclesia vendicare, vt in tex. & sup. c.prox.

C Cap.

Cap. 27. Nobis.

ELECTIO simoniaca est cassanda, si propter hoc electoribus promissa fuit pecunia.

QVIA nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem domini acquisiuit. c. cum tu. de vsur. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. Et quoniam Dominus, cuius ecclesiarum prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinauit, vt spiritualia gratis dentur, dicendo: Gratis accepistis, gratis date. Matth. cap. 10. Ideo qui muneris interuentu spiritualia quæcunque assequitur, ea licite retinere non potest; & sic electio simoniaca cassatur, seu potius cassa declaratur. vt in tex. & sup. c. Matthæus.

QVAMVIS electus ignoret.

QVIA licet electus tunc non peccauerit, electio tamen est vitiosa propter eligentes, qui peccauerunt, simoniacè eligendo. glos. hic. Et quoniam in electione spirituali debet adesse omnis puritas, & abesse omnis turpitudo, non solum ex parte electi, sed etiam ex parte eligentium. c. fin. de pact. & præsertim simonia est crimen maxime odiosum, & omnino extirpandum. sup. c. tanta. Ideo quamuis talis electus, conscius promissionis non fuerit, eius tamen electio tanquam simoniaca prauitate præsumpta, est penitus reprobanda. vt in tex. & c. Cumana. de elect.

NISI hoc factum fuerit in fraudem electi.

QVIA malitijs hominum non est indulgendum. c. sedes. de rescr. & l. in feudo. ff. de rei vend. nec debet quis alterius odio prægrauari. l. si quis in suo. C. de inoffic. test. Et quoniam quis posset per fraudem in damnum illius, qui erat eligendus, malitiose alicui eligentium promittere pecuniam, si ille eligeretur, vt sic postea electio simoniaca denunciaretur, & ille beneficio priuaretur. vt in tex. Ideo si constat, quod aliquis fraudulenter promiserit pecuniam alicui eligentium, in dispendium illius, qui sperabatur eligi, electio de illo facta per hoc non vitiatur. vt in tex. & infr. c. sicut tuis.

CVM electo reprobato per vitium simoniæ non dispensat Episcopus.

QVIA Episcopus non potest dispensare, nisi in casibus in iure expressis. vt not. in c. dilectus. de temp. ord. & per Archid. in c. licet. de elect. in 6. & regulariter in iure exprimitur, vt dispenset in adulterijs, & alijs criminibus minoribus adulterio. vt in c. at si clerici. §. fin. de iudic. Et quoniam crimen simoniæ est grauius. sup. c. sicut, & infr. c. licet. Et in iure non reperitur expressum, vt cum simoniaco, qui expectauit sententiam condemnatoriam, Episcopus possit dispensare. Abb. hic. Ideo si electus simoniam commisit, vel alius, eo sciente, & ratum habente,

bente, Episcopus cum tali dispensare non potest. vt in tex. & infr. c. penult. Vnde dispensare cum eo, qui est beneficiatus simoniacè scienter, solus Papa potest. In alijs autem casibus potest etiam Episcopus dispensare, ita tamen, quod ille prius abrenunciet, quod simoniacè acquisiuit; & tunc dispensationem consequatur, vel paruam, vt habeat laicam communionem; vel magnam, vt post pœnitentiam in alia ecclesia in suo ordine remaneat; vel maiorem, vt remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus; vel maximam, vt in eadem ecclesia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat. c. præsentium. 1. q. 5. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6.

Cap. 27. Dilectus, il 1.

QVI dat prælato pecuniam, ne ipsum in iure suo de facto molestet, illam repetit, si prælatus promissa non seruat.

QVIA licet, antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel prouisionem, seu collationem, simoniacum sit, aduersantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. sup. c. Matthæus. tamen postquam ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta remouere. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. cum tunc pecunia non detur pro aliquo spirituali consequendo, sed pro remouenda vexatione facti, & indebite illata in re, quam iam ille habet. Abb. hic. Et quoniam non seruanti fidem, alter fidem seruare non tenetur. c. peruenit, il 2. de iureiur. Ideo si quis dat alicui pecuniam, ne in iure suo de facto molestetur, potest illam repetere, si alius promissa non seruat. vt in tex. & c. 1. de vsur. Sed etiam si contra promissionem talis non venisset, si constiterit, quod iniuste acceperit, compelleretur ad restituendam, & crimine concussionis puniretur. l. quod euitandi. C. de cond. ob turp. caus.

Cap. 29. Suam.

PRO benedictionibus nubentium, & exequijs mortuorum, nihil exigi debet.

QVIA huiusmodi actus sunt ministeria ecclesiastica, & spiritualia. sup. c. cum in ecclesiæ. Et quoniam pro talibus exigere aliquid temporale, est simonia. c. qui studet. 1. q. 1. Ideo pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, aliquid exigi non potest. vt in tex. & sup. c. non satis. Dic tamen, quod accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui huiusmodi spiritualia ministrant secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum; Non enim sumitur tunc tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. infr. c. ad apostolicam, & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2.

Cap. 30. Dilectus. il 2.

SI per accusationem constat, monachum simoniacè fuisse receptum; receptus, & recipiens deponuntur; Si verò per inquisitionem, receptus in arctius monasterium detruditur; recipienti verò, & maioribus pœna condigna imponitur; & interim ab executione ordinum sacrorum suspenduntur.

QVIA crimina, de quibus constat per modum accusationis, grauius puniuntur, quàm illa, de quibus constat per modum inquisitionis. c. inquisitionis. de accusat. Et quoniam depositio in religiosis est maior pœna, quàm suspensio, & detrusio in arctius monasterium. c. si quis Episcopus. 1. q. 1. Ideo si tales religiosi per alicuius accusationem fuerint detecti simoniaci, deponuntur; si verò per inquisitionem superioris, de hoc constat, in arctius monasterium detruduntur, & respectiuè suspenduntur. vt in tex. & infr. c. quoniam, & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. & de varijs pœnis simoniacorum, vide practicam crimin. Diaz. cap. 85.

Cap. 31. Licet Heli. & Cap. 32. Per tuas.

ABBAS contra testes, qui deposuerunt contra eum de simonia in iudicio inquisitionis, excipere potest, quod sunt inimici, & conspiratores; alias verò exceptiones criminum opponere non potest.

QVIA simonia est crimen admodum graue, & maximè odiosum. sup. c. tanta. ita vt cætera crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputentur. c. patet. 1. q. 7. Et quoniam in huiusmodi grauioribus exceptis criminibus, in eorum odium, etiam testes non vsquequaque idonei admittuntur. c. in fidei. de hæret. in 6. & c. sane. 15. q. 3. ita tamen, vt per falsum testimonium alicuius, nullus innocens damnetur. c. cum P. de accusat. & si inimici, & conspiratores ad testificandum admitterentur, sæpe quis indebitè puniretur. c. si testes. 4. q. 2. Ideo ne innocentiæ puritas confusa succumbat, vel simoniæ prauitas effugiat impunita, æquitate pensata, illæ duntaxat exceptiones oppositæ probandæ admittuntur, quæ probatæ, non de zelo iustitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videntur. vt in tex. & sup. c. si dominus. Vnde est in hoc distinguendum, & considerandum, vtrum is, contra quem agitur de simoniaca prauitate, denuncietur ciuiliter, aut criminaliter accusetur; & vtrum agatur secundum iuris rigorem, an secundum temperantiam æquitatis. Item vtrum ipse sit regularis, qui iam renunciauerit mundo, an sæcularis, qui adhuc in mundo existit;

existit; & an inferioris gradus, an excellentioris sit dignitatis. Adhuc, vtrum ante fuisset claræ opinionis, & bonæ famæ, an grauiter infamatus, & valde suspectus, & vtrum de facili possit puniri, an sine scandalo nequeat condemnari. Præterea vtrum testes sint honesti, an criminosi; & an sint emendati de crimine, an adhuc in crimine perseuerent. Rursus si crimina sint eadem, vel minora, an paria, vel maiora; vtrumuè testes ex zelo iustitiæ, an ex malignitatis fomite deposuisse credantur. Denique, vtrum ad prauitatem simoniacam detegendam sola dicta testium inducantur, an alia etiam adminicula suffragentur. vt in tex. & ad hæc vide Iulium Clarum in pract.crim.q.21.vers.scias etiam.

Cap. 33. Sicut, il 2.

NON imputatur electo confirmato, si eo prohibente, pro ipsius confirmatione pecunia data fuit.

QVIA quamuis secundum sacrorum canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur. sup. c. de regularibus. & 1. q. 5. c. præsentium. Tamen quoniam longe diuersum est non præbere consensum, & expressè aliquid prohibere. c. maiores. §. fin. de baptism. & l. inuitum. ff. de seru.vrb. præd. Ideo ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem electi (à qua postmodum minime recessit) aliquis, ipso penitus ignorante, promisit pecuniam, & exoluit, præsertim cum is nulla sit illi consanguinitate coniunctus, nihil debet electo ad pœnam, vel culpam imputari, nisi postea consenserit, pecuniam soluendo promissam, aut reddendo solutam; alioquin contingeret, quod alicuius factum insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret; & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret. Illos autem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum constat esse culpabiles, quod si eorum excessus esset Ecclesiæ manifestus (quæ non iudicat de occultis) pœna essent canonica feriendi. vt in tex. & infr.c.cum detestabile, in extrauag.com.& S.Thom.2.2.q.100.art.6.

Cap. 34. Tua nos.

SI clericus cum pacto confert ecclesiæ bona sua, vt in ipsa recipiatur in canonicum, & illa sibi retineat pro præbenda, simonia cõmittitur.

QVIA ius canoniæ est quid spirituale. c.2. de institut. Et quoniam dare temporale pro habendo spirituale, est simonia. sup.c.cum essent. Et in huiusmodi spiritualibus omnis pactio, omnisq. conuentio debet omnino cessare. c. fin.de pact. Ideo si quis clericus cum conditione, vel pacto largitur, aut offert bona sua, vt illa postmodum pro præbenda retineat, & in canonicum admittatur; huiusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ. vt in tex. & c. quam pio. 1. q. 2.

SECVS *si hoc fiat sine pacto*.

QVIA in simonia, & vsura, amor lucri prohibetur. c. si quis oblitus. 14. q. 4. Et eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit. c. sicut. 1. q. 2. Et quoniam quando quis libere offert Ecclesiæ bona sua, facit opus pietatis, nec potest dici, quod illa det in pretium, pro aliquo spirituali emendo. c. si quis. 1. q. 2. Ideo si pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet, clericus ecclesiæ offerat bona sua, rogans humiliter, vt in canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & clerici eiusdem ecclesiæ purè consentiant, huiusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ prauitatis; Et hoc quo ad ecclesiam, quæ tantummodo de manifestis iudicat; si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci; & clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam illi, quàm isti, apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles iudicantur. vt in tex. & c. qui studet. 1. q. 1. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3.

Cap. 35. Per tuas, il 2.

NON *debet quis ordinem recipere ab eo, quem credit simoniacum*.

QVIA nullus debet aliquid recipere ab eo, qui non habet potestatem conferendi. c. Daibertum, 1. q. 7. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. Et quoniã simoniacus in ordine, ipso iure amittit ordinis executionem. c. reperiuntur. 1. q. 1. Et qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. c. omnes. 28. q. 1. Ideo qui credit aliquem in ordinibus conferendis esse simoniacum, ab eo ordinem suscipere non debet. vt in tex. & c. si quis à simoniacis. 1. q. 1.

SED *ministrare potest in illis, quos prius ab isto recepit*.

QVIA facilius impediuntur facienda, quàm facta. c. quemadmodum. de iureiur. Et quoniam potest esse, quod ille falsò credatur simoniacus, ex quo re vera non constat, sed solum ipse ordinatus hoc credit. Abb. hic. Ideo licet talis ad superiores ordines ascendere non debeat, in ordinibus tamen susceptis securè ministrare potest. vt in tex. & Innoc. hic. A quibus autem simoniacus sit suspensus, distingue, per tria membra; Aut enim est simoniacus in ordine recipiendo, aut in ordine conferendo, aut in beneficio. Primo, cum est simoniacus in ordine recipiendo; dic, quod est suspensus, ne dum ab isto ordine simoniace recepto, sed etiam ab omnibus alijs ordinibus etiam licitè receptis, & per consequens est etiam remotus ab administratione temporalium beneficiorum suorum; quamquam enim multi sint ordines, vnum est sacramentum ordinis;

dinis; ideo si committit simoniam in vno, vulnerat totum sacramentum ordinis; & ob id est suspensus ab executione omnium, & per consequens ab administratione bonorum. Innoc. hic, & sup. in c. tanta, & fac. c. præter, & sequen. dist. 32. & d. c. reperiuntur. Quod intellige in eo, qui commisit simoniam, secus in eo, qui recepit ordinem, alio simoniam committente, eo ignorante; tunc enim iste est tantum suspensus ab ordine simoniace recepto, non autem ab alijs, quos prius licitè recepit, nec à beneficijs prius licitè adeptis, vel postea adipiscendis. sup. c. de simoniacè, & ibi Innoc. Et idem dic in eo, qui recepit ordinem ignoranter à simoniaco suspenso. d. c. si quis à simoniacis. Secundo, quando quis est simoniacus in ordine conferendo; Doctores videntur varij; vnde Goffr. tenuit, talem non esse suspensum quo ad alios, & sentit etiam hic Innoc. nisi per triennium tantum, vt infr. in c. penult. & sic plus puniatur recipiens ordinem simoniace, quàm sic conferens; quia recipiens habet ordinem vitiosum, non sic conferens, licet peccet indignè conferendo. Sed ipsemet Innoc. sentit oppositum. infr. in d. c. pen. & illud credit verum; Vnde conclude, quod conferens ordinem per simoniam, ipse est ipso facto suspensus perpetuò ab ordinibus; pro hoc tex. iuncta glos. in d. c. si quis à simoniacis, & tex. hic, & d. c. præter, & sequen. & ibi glos. dist. 32. vnde à tali simoniaco, quantumcumque occulto, non debemus recipere aliqua sacramenta, nisi baptismum, & corpus Christi, tempore necessitatis tantum, vt in d. c. præter, & sequen. Tertio, quando quis est simoniacus in beneficio, aut est notorius simoniacus, & est suspensus ipso iure, vt in d. c. præter, & Innoc. hic, & sup. in c. tanta; aut est occultus, & non est suspensus, sed suspendendus. arg. 1. q. 3. in c. 1. & 2. Dicit tamen notabiliter Innoc. hic, quod respectu illius beneficij, quod simoniacè acquisiuit, est suspensus ab omnibus ordinibus; vnde si quis emit, exempli gratia, Episcopatum, licet non ordinem, non potest valide clericos ordinare, quia illa collatio procedit ex illa emptione beneficij, & ideo ordinati ab eo, non haberent executionem. arg. c. ea, quæ. 1. q. 3. Innoc. & Abb. hic.

Cap. 36. In tantum.

***PRO** Chrismate, vel inuestitura Ecclesiarum nil exigi debet.*

QVIA Chrisma est quid spirituale, cum sit sacramentum. c. 1. de sacr. non iter. Et inuestitura ecclesiarum, est quid annexum spirituali, cum ex spiritualibus dependeat, & non competat nisi habenti officium clericale. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Et quoniam exigere temporale pro spirituali, vel ei annexo, est simonia. S. Thom. d. q. 100. art. 1. Ideo pro Chrismate, vel ecclesiarum inuestitura, aliquid exigi non potest. vt in tex. & sup. c. cum in Ecclesiæ. Chrisma autem non licet vendere, etiam quo ad oleum sanctum, licet illud sit quid corporale, quia non æstimatur, nisi ratione spiritualis. Caiet. in d. q. S. Thom. art. 3.

NEC excusat consuetudo.

QVIA consuetudo non praeiudicat iuri naturali, vel diuino. c. fin. de consuet. Et diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget. sup. c. non satis. Et quoniam est de iure diuino, vt spiritualia gratis dentur. S. Thom. d. q. 100. art. 6. secundum illud Matth. Gratis accepistis, gratis date. cap. 10. & de annexis idem est iudicium. c. translato. de constitut. Ideo talis consuetudo non excusat, sed tanquam praua, & corruptela est abolenda. vt in tex. & infr. c. Iacobus.

VEL nominis variatio.

QVIA lex non est imposita verbis, sed rebus. l. 2. C. commun. de leg. Et quicquid fit in fraudem legis, est habendum pro infecto. l. iubemus. C. de lib. caus. Et quoniam certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. c. certum. de reg. iur. in 6. Ideo talis variatio nominis non prodest, sed quodcunque nomen imponant, isti committunt simoniam, sicut simile est in vsura. vt in tex. & c. plerique. 14. q. 3.

Cap. 37. Per tuas. 3.

ORDINATVS in subdiaconum, qui prius praesentatori suo promisit, quod nil ab eo peteret, in suscepto ministrare, vel ad superiores ordines ascendere, sine dispensatione non potest.

QVIA iste remisit ius, quod sibi competeret ex tali praesentatione contra praesentatorem, vel ordinatorem, qui tenebantur sibi ad prouisionem. c. cum secundum. de praeb. quae quidem portio ab eo remissa, consideratis fructibus, est quid temporale. Abb. hic. & not. in c. 2. de institut. Vnde remisit obligationem rei temporalis, vt adipisceretur ius spirituale. Host. hic. Et quoniam remittere in istis idem est, quod dare. c. veniens. il 1. de testib. & l. quin etiam. ff. de calumn. Et dare temporale pro adipiscendo spirituale, est simonia. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. Et quis puniendus est in eo, in quo peccauit. c. literas. de temp. ord. Ideo iste sic ordinatus, tamquam simoniacus punitur, vt nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debeat ordine ministrare. vt in tex. & infr. c. penult.

ETIAM si peccare non crediderit.

QVIA talis sic credendo, errat in iure. sup. c. non satis. Et quoniam iuris ignorantia non excusat à delicto. c. ignorantia. de reg. iur. in 6. potuit enim consulere peritiores. c. non omnis. §. fin. dist. 37. licet minus quis peccet ex ignorantia, quam ex studio, & scienter. c. sciendum. de poenit. dist. 2. Ideo ex eo, quod iste se in hoc illicitum egisse non intellexit, non excusatur. vt in tex. & infr. c. si quis.

Cap. 38. Consulere.

SIMONIA est, dare pecuniam pro vicariatu, vel pro alia administratione rerum spiritualium, seu ecclesiasticarum.

QVIA huiusmodi officia ecclesiastica sunt annexa spiritualibus. S. Thom. 2.2.q.100.art.4. Et quoniam de annexis idem est iudicium. c. translato. de constit. & qui talia vendit, nec spiritualia inuendita relinquit. c. si quis obiecerit. 1.q.3. Ideo quicunque vicedominatum, vel aliam ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam emens, quam vendentes cum Simone percelluntur, vt in tex. & sup. c. non satis.

ET dantes, & recipientes, ab illa ecclesia sunt eijciendi.

QVIA iniuria irrogatur illi ecclesiæ, quæ acquiritur, pecunia interueniente. sup. c. de hoc. Et idem si administratio in ea conceditur per pecuniam. infr. c. audiuimus. Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. literas. de temp. ord. Ideo ab illa ecclesia, in cuius contumeliam tales dare pecuniam, & accipere voluerunt, iuste excluduntur. vt in tex. & sup. c. cum in ecclesiæ. & S. Thom. 2.2.q.100.art.6.

Cap. 39. Sicut, il 3.

SIMONIACVM est, aliquid exigere pro consecratione Episcoporum, & benedictionibus abbatum, & ordinationibus clericorũ.

QVIA huiusmodi actus sunt spirituales. sup. c. non satis. Et quoniam exigere temporale pro spirituali, est simonia. c. qui studet. 1. q. 1. Ideo pro his, siue conferendis, siue collatis, nemo aliquid quocunque prætextu exigere, aut extorquere præsumat; alioquin & qui receperit, & qui dederit huiusmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi, & Simone condemnetur. vt in tex. & c. si quis Episcopus. 1.q.1.

NEC excusat consuetudo.

QVIA simonia est prohibita de iure diuino. c. cito turpem. 1.q.1. Et quoniam iuri naturali, vel diuino, nulla consuetudo potest præiudicare. c. fin. de consuet. Ideo talis consuetudo, est magis dicenda corruptela, & penitus extirpanda. vt in tex. & sup. c. cum in Ecclesiæ, & S. Th. 2.2.q.100.art.2.

Cap. 40. Quoniam.

RELIGIOSI pretio recepti, vnà cum recipientibus, de monasterio expelluntur, & in arctioribus monasterijs ad agendum pœnitentiam detruduntur. Sed recepti ante istud concilium, ponebantur sic recepti in alijs locis eiusdem ordinis, nisi multitudo sit in causa;

causa; ita tamen quod renuncient primæ receptioni, & de nouo recipiuntur.

QVIA ingressus religionis est actus spiritualis. sup.c.non satis.cum sit quædam promotio ad statum spiritualis perfectionis. S. Thom. 2.2. q.100. art. 3. Et quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecerat, vt vix aliquas sine pretio reciperent in sorores, paupertatis prætextu, volentes huiusmodi vitium palliare. vt in tex. Ideo ne id de cætero fiat, penitus prohibetur, & statuitur, vt quæcunque de cætero talem commiserint prauitatem, tam recipiens, quam recepta, siue sit subdita, siue prælata, sine spe restitutionis, de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudenda. De his autem, quæ ante hoc statutum conditum per Innocentium III. in Concilio generali, taliter erant receptæ, ita fuit prouisum, vt remotæ de monasterijs, quæ perperam erant ingressæ, in alijs locis eiusdem ordinis collocarentnr. Quod si fortè propter nimiã multitudinem, alibi nequiuerint commodè collocari, ne damnabiliter in sæculo euagentur, recipiantur in eisdem monasterijs dispensatiuè de nouo, mutatis prioribus locjs, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa monachos, & alios regulares decernitur obseruandum. Verùm ne per simplicitatem, vel ignorantiam, se valeant excusare, præcipitur, vt diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari. vt in tex.& c.quam pio.1. q.2. Dic tamen, quod si monasterium ita esset pauper, vt non posset ibi aliquo modo alium sustentare, posset illi dici sub hac forma; Non habemus quid demus tibi pro victu, nisi tu portes tecum, vnde viuas; dum tamen hoc non dicatur in fraudem, & sine aliquo pacto. arg.c.si quis propter. 1. q.2. sed tutius est, vt nullo casu taliter aliquis, vel aliqua recipiatur. glos. hic. Vnde est dicendum, quod pro ingressu monasterij non licet aliquid exigere, vel accipere, quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterij exhibere; sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterij opes. S. Thom.2.2. q.100. art. 3. & not. sup. in c.veniens.

Cap. 41. Audiuimus:

EPISCOPI nil exigere debent, vt permittant in Ecclesiis sibi subiectis clericos institui, monachos profiteri, vel mortuos sepeliri.

QVIA huiusmodi actus sunt spirituales.sup.c.non satis.Et quoniam exigere temporale pro spirituali, est simonia. sup. c.ad nostram. & & secundum Apostolum: Non solum à malo, sed ab omni specie mali est abstinendum. 1. ad Thessal.cap. 5. Ideo exactiones huiusmodi penitus inhibentur. vt in tex.& sup.c.cum in ecclesiæ.

ALIO-

ALIOQVIN exacta restituentur duplicata.

QVIA quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c.literas.de temp. ord. Et quoniam iniuria irrogatur illi ecclesiæ, & loco, vbi talia exiguntur. sup.c.consulere. Ideo si quis in his transgressor extiterit, exacta debet restituere duplicata in vtilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter conuertenda. vt in tex. & sup. c. de hoc. vt sic ista duplicata solutio, partim sit restitutio, partim pœna. c. procuratores, in fin. de cens. Dic tamen, quod aliqua temporalia dantur, Deum laudantibus in celebratione ecclesiastici officij, siue pro viuis, siue pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium; Et similiter pro processionibus faciendis in aliquo funere, aliquæ eleemosynæ recipiuntur. Si autem huiusmodi, pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, esset simonia. Vnde illicita esset ordinatio, si in aliqua ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum præcluderetur via, gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis, secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis. S.Thom.2.2.q.100.art.3.

Cap. 42. Ad Apostolicam.

SACRAMENTA sunt liberè conferenda; cogit tamen Ordinarius laicos obseruare laudabiles consuetudines.

QVIA sacramenta nouæ legis sunt maximè spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & eius rationi repugnat, quod non gratuitè detur. S.Thom.2.2.q.100.art.2. Sed quoniam sacramenta dispensantur per Ecclesiæ ministros, quos oportet à populo sustentari, secundum illud Apost. Nescitis, quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altario deseruiunt, cum altario participant? 1.ad Corinth. cap. 9. Ideo accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari; quia consuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino. c.fin.de consuet. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cuius pretium potest pecunia æstimari. c.totum.1. q.3. & Arist. v. Ethic.cap.5. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum; non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis; ita tamen, quod desit intentio emptionis, vel venditionis, & quod ab inuitis non exigatur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda;

da; hoc enim haberet quandam venditionis speciem; Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licitè possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicunque alij prouentus exigi à nolentibus, & valentibus soluere, auctoritate Superioris interueniente. vt in tex. & c. sicut. 1. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. & 3.

Cap. 43. Ne Dei.

PROHIBET abbates Cistercienses solemniter installari.

QVIA in huiusmodi installatione, solebant isti abbates dare archidiacono installanti palaphrenum, vel aliud æquipollens. glos. hic. Et quoniam pro adipiscenda ecclesia, vel eius possessione, aliquid temporale non est dandum. sup. c. non satis. Ideo tales installationis solemnitates in electis abbatibus ordinis Cisterciensis fieri prohibentur. vt in tex. & Abb. hic. Et an ex sola installatione nanciscatur installatus possessionem beneficij, & rerum ipsius, vide per Innoc. in c. in literis. de restit. spol.

ET ponit formam obedientiæ, quam præstant suis Episcopis.

QVIA licet isti monachi habeant multa priuilegia. vt not. in c. cum ordinem, de rescr. non tamen sunt omnino exempti à iurisdictione Episcoporum. c. nuper. de decim. Et quoniam ecclesiasticus ordo confunditur, si sua iura vnicuique ecclesiæ non seruentur. c. peruenit. 11. q. 1. Ideo statuitur, vt Episcopi ea sint forma professionis contenti, quæ ab origine huius ordinis, noscitur instituta, quæ talis est; Ego frater abbas Cisterciensis ordinis subiectionem, & reuerentiam, & obedientiam à sanctis patribus constitutam, secundum regulam S. Benedicti, tibi, domine Episcope, tuisq. successoribus canonicè substituendis, & sanctæ Sedi Apostolicæ, saluo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto. vt in tex. & c. ego N. de iureiur. Et cum de iure communi sit, vt omnes clerici, & prælati, cuiuscunque dignitatis, & status, sint subiecti Episcopis locorum. c. cum venerabilis. de relig. dom. & c. 1. 18. q. 2. fundant enim Episcopi intentionem suam de iure communi super totam diœcesim. c. 1. de offic. ord. illi, qui allegant exemptionem, priuilegium probare tenentur. c. porrò. de priuil.

Cap. 44. Iacobus.

RECEPTO in canonicum debetur præbenda, & reditus.

QVIA qui vult antecedens, debet velle & consequens. c. translato. de constit. Et quoniam præbenda est consequens ad canonicatum. c. relatum. de præb. vt qui altari seruit, de altari viuat. c. cum secundum. d. tit. Ideo ex quo aliquis est receptus in canonicum, præbenda, & reditibus carere non debet. vt in tex. & c. cum super. de conc. præb.

CON-

CONSVETVDINE non obstante, quod non seruauerit prauam consuetudinem de aliquo temporali dando ipsis canonicis.

QVIA talis solutio videtur facta virtute illius consuetudinis, & non liberè. sup. c. veniens. Et quoniam nulla consuetudo excusat, vt pro inuestitura beneficij, vel alio actu spirituali, aut ei annexo, aliquid exigatur. sup. c. non satis. Ideo nec recipiendus, nec receptus in canonicum, tenetur aliquid temporale, etiam prætextu consuetudinis dare alijs canonicis. vt in tex. & sup. c. sicut. Sed nunquid hoc sit verum indistinctè, vt non valeat illa consuetudo dandi aliquid temporale? Host. hic dicit, quod non valet, vt detur aliquid canonicis, quod tendat ad repletionem ventris, vel bursæ eorum; Sed si petatur aliquod paramentum, vel aliquid aliud tendens ad cultum diuinum, tunc illud licitè exigitur, & potest à principio etiam cautio recipi. arg. c. significasti. de elect. & c. significatum. de præb. quasi hoc casu Deus cum canonico permutet spirituale cum spirituali; nec potest tunc dici, quod canonici censeantur vendere spiritualia, cum nihil sit remansurum apud eos. Panor. tamen hic tenet, quod à clerico instituendo, seu instituto in beneficio, non debet in recompensationem institutionis peti aliquod temporale etiam conuertendum in pauperes, vel in fabricam ecclesiæ, quia qui aliquid male accipit, vt bene dispenset, potius grauatur, quàm iuuetur. c. ex multis. 1. q. 3. Et ad idem c. veniens, & c. quoniam, sup. eod. vbi ab eo, qui vult ingredi religionem, etiam prætextu consuetudinis non debet aliquid exigi, & tamen illud applicatur ecclesiæ; nec licitum est dare ecclesiæ bona temporalia, vt ex illis fiat præbenda, quæ postea assignetur canonico recepto. sup. c. tua. Vnde in hac materia sic distinguit, quod aut nullum subest statutum, vel consuetudo; & tunc nihil debet exigi, etiam conuertendum in diuinum cultum, vt in dd. cap. veniens, & c. quoniam. licet possit imponi onus cuilibet canonicorum, vt contribuat aliquid in fauorem piæ causæ. vt in c. fin. de his, quæ fi. à ma. par. cap. Sed à recipiendo tantum non debet aliquid exigi, ne videatur fieri in recompensationem spiritualium; Si verò subest statutum ecclesiæ; & tunc aut statutum imponit hoc onus præbendæ, & valet in fauorem cultus diuini. arg. d. c. significatum. de præb. & c. vnic. vt eccl. benef. Aut imponitur hoc onus ipsi recepto, vel recipiendo, vt recipiendus, vel receptus de nouo teneatur dare paramentum ecclesiæ, & fortè tale statutum non valet. per d. c. ex multis. Aut subest consuetudo, & tunc si à laicis aliquid clericis debetur, dic, vt not. sup. in c. ad apostolicam, & c. suam. Si à clericis, tunc ad priuatam vtilitatem clericorum, non valet. vt in tex. Sed in fauorem diuini cultus valet. vt in d. c. significatum. vbi tamen non præcessit exactio, si sit consuetudo, potest postea à laicis exigi, etiam ad vtilitatem clericorum. vt in d. c. ad apostolicam; quia laici in dubio, ex quo libere soluerunt, videntur se ad hoc obligasse, sub nomine cuiusdam obliga-

tionis,

tionis,quam laici solent facere clericis tempore spiritualium.vt de consecr.dist.1.c.omnis. sed secus videtur in clericis, qui recipiuntur in canonicos, quia tunc non cadit ista præsumptio oblationum.arg.c.nouum. de decim. Abb.hic, & Siluester verb. simonia. q.13. n.5. Quare autem sit diuersum in statuto,quàm in consuetudine? Dic, quod inferior à Papa non potest facere statutum contra ius. vt in c. quod super his. de maior. & obed.& Clem.ne Romani. de elect. sed bene valet consuetudo contra ius, vt in c.fin.de consuet.& quæ sit ratio differentiæ, dic, vt per Butr. in d. c. fin. Et ideo non valet statutum, quod receptus, vel recipiendus de nouo teneatur aliquid dare ad cultum ecclesiæ, vel ad aliam piam causam, quia hoc esset contra d.c.veniens, & d.c.quoniam, & c.ex multis; & sic contra ius, quod intellige, nisi statutum sit confirmatum per Papam; sed bene valet consuetudo, quia illa rationabilis, & præscripta tollit ius. c. fin.de consuet. & ad hæc vide S.Tho.2.2.q.100.art.3.& 4.& Conc.Trid. sess.24.de refor.cap.14. & Constit. Pij V. incip. Durum nimis. Hodie tamen per Conc.Trident.in d.cap.14. videntur in hoc æquata statutum, & consuetudo, vt not.Nauar.in man.cap.23.n.101.

Cap. 45. Si quis.

QVI ordinauit aliquem sub promissione de non petendo ab ipso prouisionem; ordinator per triennium à collatione, præsentator verò ab executione ordinum etiam per triennium suspensi sunt; ordinatus verò, ab ordine perpetuò sit suspensus.

QVIA iste ordinatus remisit ius, quod sibi competeret contra ordinatorem, & præsentatorem, qui tenebantur sibi ad prouisionem. c. cum secundum. de præb. Et quoniam in istis idem est remittere, quod dare. c.veniens,il 1.de testib. & l. quin etiam. ff. de calumn. Et dare aliquid pro ordine obtinendo, est simonia. sup. c.non satis. Et quis puniendus est in eo, in quo deliquit.c.literas. de temp.ord. Ideo si quis ordinauerit, seu ad ordinem præsentauerit aliquem, promissionem, vel iuramentum ab illo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione, præsentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, nouerint se suspensos. vt in tex.& sup.c.per tuas,il 3.

ET solùm per sedem Apostolicam cum eis dispensatur.

QVIA curandum est, ne facilitas veniæ sit incentiuum delinquendi.c.vt clericorum. de vit.& hon.cler. Et quoniam simonia est maximum vitium.c.fin.1.q.7. Ideo dispensare cum eo,qui est ordinatus, vel beneficiatus simoniacè scienter,solus Papa potest. In alijs autem casibus potest etiam Episcopus dispensare, ita tamen, quod prius ille abrenunciet

ciet beneficio, quod simoniacè acquisiuit; & tunc dispensationem consequatur vel paruam, vt habeat laicam communionem, vel magnam, vt post pœnitentiam, in alia ecclesia in suo ordine remaneat; vel maiorem, vt remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus; vel maximam, vt in eadem ecclesia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat. vt in tex. & sup. c. nobis, & S. Thom. 2.2. q. 100. art. 6.

Cap. 46. Mandato.

FACVLTAS alicui concessa à Sede Apostolica de dispensando cum monachis simoniacis, extenditur etiam ad abbates.

QVIA propter abbatiam quis non desinit esse monachus. c. fin. de stat. monach. Et quoniam per huiusmodi dispensationem prouidetur animabus, & nulli præiudicium generatur. Host. hic. & beneficium principis est latissimè interpretandum. c. olim de verb. sign. Ideo huiusmodi mandatum etiam ad abbates se extendit. vt in tex. & Ioan. And. in proœm. Decretal. Et si diceres: dispensatio debet strictè interpretari, cum sit recessus à iure communi. c. fin. de fil. presb. in 6. & glos. in c. dilectus. de temp. ord. Et in materia odiosa, & strictè intelligenda non videtur, quod appellatione monachorum veniat abbas, nam licet sit monachus, tamen habet qualitatem superioritatis super alios monachos, sicut in tali materia sub nomine scholarium non venit rector, vt per Imol. in proœm. lib. 6. & arg. c. statutum, in fin. & c. licet. de elect. in 6. vbi habetur, quod appellatione ecclesiæ parochialis, in materia odiosa non venit ecclesia parochialis collegiata, quia habet qualitatem collegij vltra parochiam. Respond. dupliciter, primo, quod dispensatio est stricti iuris, & odiosa quo ad illos, cum quibus dispensatur; sed quo ad illum, cui conceditur facultas dispensandi, personis non expressis, est large interpretanda, nam quo ad eum videtur principis beneficium. Io. And. hic. secundo respondetur, quod appellatione simplicis non venit mixtum, quando qualitas ei addita mutat naturam eius, & sic procedunt contraria; secus si illa qualitas non mutat eius naturam, vt est abbatia in monacho. Abb. hic, & Bart. in l. denunciasse. §. quid tamen. ff. de adult.

SIMONIA mentalis tantum non obligat ad restituendum acquisitum per eam, sed tunc sufficit delinquentibus per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori.

QVIA exterior pœna in hoc mundo non infligitur pro interiori motu cordis, de quo solius Dei est iudicare. sup. c. sicut tuis. Et quoniam tale propositum in mente retentum fuit solùm interior animi affectus. vt in tex. Ideo quo ad Deum sola voluntas facit simoniacum; sed quo ad pœnam ecclesiasticam exteriorem non punitur vt simoniacus, vt abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere. vt in tex.

tex. & sup. c. tua. & S.Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. & ad hæc vide Nauarr. in man. cap. 23. n. 102.

In Extrauag. com. Cap. 1. Sane.

PASTVS, vel iocalia exigentes, & etiam dantes, pro religionis ingressu, si sint singulares personæ, excommunicationis; si conuentus, vel capitulum, suspensionis sententias ipso facto incurrunt, cuius vtriusque vinculi absolutio soli Papæ reseruatur, alijs pœnis in suo robore duraturis, nisi ingredientes aliquid sponte, & sine pactione obtulerint. Quid de personis iam tali labe fœdatis, & bonis sic receptis faciendum sit, tandem patefacit.

QVIA ingressus religionis est actus spiritualis. ext. c. non satis. Et quoniam in spiritualibus omnis pactio, omnisq. conuentio debent omnino cessare. c. fin. de pact. nec pro spirituali est exigendum aliquod temporale. ext. c. ad nostram. cum huiusmodi pactiones, & permutationes simoniam inducant. ext. c. tua. Ideo qui contrafecerint, his grauibus pœnis subijciuntur. vt in tex. & ext. c. quoniam. De his tamen distingue, vt not. extr. in c. Iacobus. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. & Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 14. Et præcipuè notat Felin. in c. de simoniacè. ext. eod. se audiuisse à fidedignis, quod Vrbanus V. huius constitutionis auctor, non intendebat comprehendere moniales pauperes, quæ consueuerunt aliquid recipere vigore consuetudinis. glos. hic.

Cap. 2. Cum detestabile.

OMNES simoniaci cuiuscunque dignitatis, aut status, sunt ipso facto excommunicati, nec habent simoniacè ordinati, ordinis executionem. Et electiones, aut aliæ prouisiones, per simoniam factæ non valent, nec ius percipiendi fructus tribuunt. Mediatores etiam simoniæ, eadem censura ligantur, qui à solo Papa absoluentur. Et omnes prædicti sunt Romano Pontifici reuelandi.

QVIA detestabile scelus simoniacæ prauitatis, tam diuinorum, quàm sacrorum canonum auctoritas abhorret, atque damnat. vt in tex. & c. qui studet. 1. q. 1. & omnia crimina ad comparationẽ simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur. c. patet. 1. q. 7. Et quoniam plures pœnarum grauitas, quàm Dei timor arcere solet à voluntate peccandi. vt in tex. & c. cum in cunctis. ext. de elect. Ideo vt huiusmodi pestiferum vitium, non ex vsu solum, sed etiam ex mentibus hominum, saltem propter pœnarum metum penitus euellatur, taliter peccantes, his grauibus pœnis subijciuntur. vt in tex. & ext. c. nobis.

Liber Quintus. Titulus IV.

NE PRAELATI VICES SVAS, vel ecclesias sub annuo censu concedant.

In Decretal. Cap. 1. Praeterea. & Cap. 2. Quoniam, il 1.

QVI dat pecuniam, vt Episcopalem, vel spiritualem iurisdictionem exerceat, officio suo priuatur; & sic conferens illud, amplius conferre non poterit, & canonicè punietur.

QVIA huiusmodi iurisdictio, vel est spiritualis, vel spirituali annexa. c. nemo. sup. tit. prox. Et quoniam pro talibus dare, vel recipere temporalia, est simonia. S.Thom.2.2.q.100. art.1. Et quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c.literas. de temp.ord. Ideo isti sic grauiter peccantes, & simoniam committentes, his grauibus pœnis afficiuntur. vt in tex. & c.consulere. sup. tit. prox. Praeterea dignitates, & administrationes gratis conferri debent, nihilo suffragiorum nomine dato; aliàs omnia mala sequuntur, cum à radice procedat auaritiæ, quæ mater est omnium malorum, maximè quando non priuatorum, sed iudicum inhæret animabus. Authent. vt iud. sine quoquo suffr.§.1.coll.2. Et quoniam præcipuè in iudicijs ecclesiasticis est curandum, vt ea, quæ Deo sunt placita, homines prosequantur. c. 1. de offic. ord. Et quòd ad agendas vices Episcoporum, seu Archidiaconorum, & terminandas causas Ecclesiasticas, sub annuo pretio aliqui statuantur, ad sacerdotum grauamen, & subuersionem iudiciorum, non est dubium, redundare. vt in tex. & c.Saluator. 1.q.3. Propterea enim quadam prouidentia, militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. c. miltare. 23.q. 1. Ideo qui dat pecuniam, vt Episcopalem, vel spiritualem iurisdictionem exerceat, officio suo est priuandus, & Episcopus, qui hoc sustinuerit, & Ecclesiasticam iurisdictionem sua patitur dissimulatione peruerti, conferendi illud officium, potestatem debet amittere, & alia districtione canonica percelli. vt in tex. & c.quicquid. 1. q.1. Et ad hæc vide Siluestrum in summa, verbo, simonia. q. 14.

Cap. 3. Quoniam, il 2.

REGIMEN Ecclesiæ sub annuo censu committi non debet.

QVIA dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur. vt in tex.& c. si quis dator. 1. q.3. Et quoniam sacerdos in regimine Ecclesiæ debet habere considerationem ad præmium æternæ retributionis, non autem ad lucra temporalia.c.præcipimus.21. q.2. Et dare huiusmodi spiritualia, vt pro illis exigantur temporalia, est simonia.c.non satis. sup. tit. prox. Ideo sub annuo pretio sacerdotes ad Ecclesiarum regimen non sunt statuendi. vt in tex.& c.cito turpem.1.q.1.Ecclesia tamen ab initio bene posset constitui censualis.c.scientes,& c.prohibemus. de censib.

Cap. 4. Querelam.

FRVCTVS ecclesiarum, sub annuo censu concedi possunt.

QVIA huiusmodi fructus sunt quid temporale. c. vestra. de locat. Et quoniam temporale cum temporali potest permutari. c. ad quæstiones. de rer. permut. Ideo beneficiatus potest fructus sui beneficij locare, & sub annuo censu reddendo assignare. vt in tex. & c.de cætero. de transact. & S.Thom.2.2.q.100.art.4. & hoc etiam quo ad obuentiones ecclesiæ, vt sic quicquid obuenit ecclesiæ, cedat conductori. glos. hic. dummodo ipse conductor, si est laicus, ponat clericum loco sui, pro illis recolligendis, ne ipse laicus præsumptuose accedat ad altare, vbi fiunt oblationes. Abb.hic, & Turrecr.in c.præcipimus. 21.q.2.

Liber Quintus. Titulus V.

DE MAGISTRIS, ET NE aliquid exigatur pro licentia docendi.

In Decretal. Cap. 1. Quoniam.

ECCLESIA Cathedralis prouideri debet magistro de beneficio, qui clericos eiusdem ecclesiæ, & alios pauperes gratis doceat.

QVIA

QVIA adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, est prona ad mundi voluptates sequendas. c.omnis. 12.q. 2. Et nisi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseuerat. Prouerb. cap. 22. Et quoniam Ecclesia Dei, sicut pia mater prouidere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non possunt, legendi, & proficiendi opportunitas subtrahatur. c. de quibusdam. dist. 37. Ideo statuitur, per vnamquamque cathedralem ecclesiam, magistro, qui clericos eiusdem, & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præberi. vt in tex. & infr. c.quia, & Conc. Trid.sess.23.de refor.cap. 18.

ET vendens licentiam docendi, aut interdicens idoneum ad docendum, beneficio priuatur.

QVIA dum quis docendi licentiam vendit, ecclesiasticum profectum nititur impedire. vt in tex.& infr.c.prox. Et quoniam scientias docentibus, & eas discere volentibus, est fauendum. infr.c.fin.& l.vnic. C.de profess. qui in vrb.const. lib. 10. Ideo dignum est, vt in Ecclesia fructum sui laboris non habeat, & ab ecclesiastico beneficio fiat alienus, qui cupiditate sui animi, pro licentia docendi, pretium exigere, vel sub obtentu alicuius consuetudinis, ab eis, qui docent, aliquid quærere, nec docere quemquam (qui sit idoneus) petita licentia, sinit, sed interdicere præsumit. vt in tex.& c.reuertimini. 16.q.1.& S. Thom. 2. 2.q. 100.art. 3.

Cap. 2. Prohibeas.

PRO licentia docendi, nihil exigi debet, vel promitti; & exactum restitui, & promissum remitti debet.

QVIA qui vendit licentiam docendi, ecclesiasticum profectum nititur impedire. sup. c.prox. Et quoniam de huiusmodi actibus spiritualibus scriptum est: Gratis accepistis, gratis date. Matth. cap. 10. Et pactiones, quæ vergunt in animæ detrimentum, nullam obligationem inducunt. c.fin.de pact. Ideo prohibetur, ne pro licentia docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur; si quid verò postea solutum fuerit, vel promissum, est remittendum, & solutum, appellatione cessante, est restituendum. vt in tex. & infr.c.prox.

ET negligente inferiore Prælato ad magistrum constituendum, supplebit hoc superior.

QVIA regulare est, vt superior in quolibet actu suppleat negligentiam inferioris. c.2. de concess. præb. & c. anteriorum. 2. q. 6. Et

quoniam curandum est, ne huiusmodi actus docendi negligatur. infr. c. fin. Ideo si quis distulerit magistros in locis congruis, vt tenetur, instituere; potest Episcopus, vel alius superior, appellatione postposita, ibi aliorum instructioni præficere viros prouidos, honestos, & discretos. vt in tex. & sup. c. prox.

Cap. 3. Quanto.

PRO licentia docendi pecunia exigi non debet, etiam si hoc habeat consuetudo.

QVIA hæc praua consuetudo à cupiditatis radice processit, & decorem admodum Ecclesiasticæ honestatis confundit. vt in tex. & sup. c. 1. Et quoniam consuetudo, quæ repugnat rationi, & Ecclesiasticæ honestati, est extirpanda. c. 1. de consuet. Ideo, contraria consuetudine non obstante, præcipitur, vt quicunque viri idonei, & literati voluerint regere studia literarum, sine molestia, & exactione qualibet, scholas regere permittantur. Si qui verò huiusmodi prohibitionis, vel præcepti extiterint transgressores, officijs, & dignitatibus sunt spoliandi. vt in tex. & sup. c. prox.

Cap. 4. Quia.

IN qualibet Cathedrali Ecclesia, vel alia in facultatibus sufficiente, debet à Prælato, vel Capitulo, vnus magister eligi, cui redditus vnius prabenda debeut assignari. In Metropolitana verò Ecclesia, etiam eligi debet Theologus; & si ad Grammaticum, & Theologum non sufficit, prouideat ipsi Theologo ex redditibus suæ Ecclesiæ, & Grammatico faciat prouideri in aliqua ecclesiarum suæ ciuitatis, vel diœcesis.

QVIA cum nonnullis propter inopiam, & legendi studium, & opportunitas proficiendi subtrahatur, in Lateranensi Concilio pia fuit constitutione prouisum, vt per vnamquamque Cathedralem ecclesiam, magistro, qui eiusdem ecclesiæ clericos, aliosq. scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis releuaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam. sup. c. 1. Sed quoniam in multis ecclesijs id minime obseruabatur. vt in tex. Ideo præsenti cōstitutione prædictum statutum roboratur, & adijcitur, vt non solum in qualibet Cathedrali ecclesia, sed etiam in alijs, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus, à Prælato cum Capitulo, seu maiori, & saniori parte Capituli eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica facultate, ac alios instruat iuxta posse. Sanè Metropolis Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes, & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem

autem cuilibet magiſtrorum à Capitulo, vnius præbendæ prouentus, & pro Theologo à Metropolitano tantundem, non quod propter hoc efficiatur canonicus, ſed tamdiù redditus ipſos percipiat, quamdiù ſteterit in docendo. Quod ſi fortè de duobus eccleſia metropolis grauetur, theologo iuxta modum prædictum ipſa prouideat; grammatico verò in alia eccleſia ſuæ ciuitatis, ſiue diœceſis, quæ ſufficere valeat, faciat prouideri. vt in tex. & infr. Clem. 1. & Conc. Trid. ſeſſ. 5. de reform. cap. 1. & ſeſſ. 23. de reform. cap. 18.

Cap. 5. Super ſpecula.

PRAELATI, & capitula, ad ſtudia theologiæ ſcholares dociles tranſmittere tenentur, qui in abſentia redditus præbendarum ſuarum, & beneficiorum, per quinquennium integraliter percipient; & ſi proprij redditus ad ſuſtentationem ſtudij eis non ſufficiunt, debet prælatus cum capitulo eis prouidere; magiſtri verò, donec docuerint, integrè percipiunt fructus beneficiorum ſuorum.

QVIA curandum eſt, vt ſtatutum in concilio generali de magiſtris theologis, per ſingulas metropoles ſtatuendis, inuiolabiliter obſeruetur. ſup. c. prox. Et quoniam ſuper hoc propter raritatem magiſtrorum, ſe poſſent forſitan aliqui excuſare. vt in tex. Ideo ſtatuitur, vt ab eccleſiarum prælatis, & capitulis, ad theologicæ profeſsionis ſtudium aliqui dociles deſtinentur; qui cum docti fuerint, in Dei Eccleſia, velut ſplendor, fulgeant firmamenti; ex quibus poſtmodum copia poſsit haberi doctorum, qui, velut ſtellæ, in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam valeant plurimos erudire; quibus ſi proprij prouentus eccleſiaſtici non ſufficiunt, prædicti neceſſaria ſubminiſtrent. Docentes verò in theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apoſtolicæ prouentus præbendarum, & beneficiorum ſuorum; non obſtante aliqua alia conſuetudine, vel ſtatuto; cum denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes. vt in tex. & c. licet. de præb. & Conc. Trid. ſeſſ. 5. de refor. cap. 1.

In Clement. Cap. 1. Inter.

IN ſtudijs Romanæ Curiæ, Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantino, debent eſſe magiſtri catholici, ſcholas regentes in linguis Hebraica, Arabica, & Caldea, duo ſcilicet pro qualibet lingua; & ſtatuitur, per quos eis debeat de ſtipendijs, & ſumptibus prouideri.

QVIA Summus Pontifex inter sollicitudines suis humeris incumbentes, perpeti cura reuoluit, vt errantes in viam veritatis inducere, ipsosq. lucrifacere Deo (sua cooperante gratia) valeat. vt in tex. & in proœmio Sexti. Et quoniam non ambigitur, quin ad hoc assequendum, diuinorum eloquiorum sit expositio congrua, ipsorumq. fidelis prædicatio admodum opportuna. vt in tex. & Apost. in epist. ad Rom. cap. 10. Sed nec ignoratur, quin & hæc promi noscantur inaniter, vacuaq. redire, si auribus linguam loquentis ignorantium proferantur. vt in tex. & c. oportet. 8. q. 1. Ideo illius, cuius vicem gerit in terris, imitans exemplum, qui ituros per vniuersum mundum ad euangelizandum Apostolos, in omni linguarum genere, fore voluit eruditos; viris catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles præcipuè, abundare sanctam affectat Ecclesiam, qui infideles ipsos sciant, & valeant sacris institutis instruere; Christicolarumq. collegio per doctrinam Christianæ fidei, ac susceptionem sacri baptismatis aggregare. Vt igitur peritia linguarum huiusmodi possit habiliter per instructionis efficaciam obtineri; Summus Pontifex Clemens V. sacro Viennensi approbante Concilio, scholas in subscriptarum linguarum generibus, vbicunque Romanam curiam residere contigerit, necnon in Parisien. & Oxonen. Bononien. & Salamantino studijs, prouidit erigendas; statuens, vt in quolibet locorum ipsorum teneantur viri catholici sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ linguarum notitiam, duo videlicet vniuscuiusque linguæ periti, qui scholas regant inibi, & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas solicitè doceant, earumq. peritiam studiosa in illos instructione transfundant; vt instructi, & edocti sufficienter in linguis huiusmodi, fructum speratum possint (Deo auctore) producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles. Quibus equidem, in Romana curia legentibus, per Sedem Apostolicam, in studijs verò Parisien. per Regem Franciæ, in Oxonen. Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, ac Vualiæ, in Bononien. per Italiæ, in Salamantino, per Hispaniæ prælatos, monasteria, capitula, conuentus, collegia exempta, & non exempta, & ecclesiarum rectores, in stipendijs competentibus, & sumptibus, vult prouideri; contributionis onere, singulis iuxta facultatum exigentiam imponendo. Priuilegijs, & exemptionibus quibuscunque contrarijs nequaquam obstantibus; quibus tamen non vult, quo ad alia præiudicium generari. vt in tex. Et vt hæc facilius obseruarentur, & lectores in his linguis haberentur, ac libri Christianæ doctrinæ ad regiones infidelium mitterentur, vt Christiani ibi degentes in fide firmarentur, & infideles ad illam inducerentur, Reuerendiss. Gaspar Viuianus bo. me. patruus meus, Episcopus Anagninus, fuit auctor apud Gregorium XIII. vt Romæ Typographia externarum linguarum erigeretur, vt aliàs dixi in c. cum secundum. de

temp.

temp.ord. Et nouiſsime Sanctiſs. D.N.Paulus V. innouauit,& ampliauit hanc conſtitutionem, quo ad generalia ſtudia Regularium, tam mendicantium, quàm aliorum, per ſuam incipientem; Apoſtolicæ; Datam, pridie Kal.Auguſti 1610.

Cap. 2. Cum ſit:

IS, ad quem ſpectat magiſterium, vel doctoratum tribuere, prius à doctorando recipiat iuramentum, quod in ſolemnitate ſua non expendet vltra ſummam trium millium Turonen. argenteorum. Quod ſi non fecerit, etiam ſi ſit Epiſcopus, per ſex menſes à collatione magiſterij eſt ſuſpenſus.

QVIA nimis eſt abſurdum, vt quis cum vanitate, & imperitia, ad honorem aſcendat peritiæ literarum. c. legant. diſt. 37. Aſcenſus enim debet eſſe per gradus virtutum, non vitiorum. c. cum ſanctam. de pœnit.diſt.2. Et quoniam apud ſcholaſticos ille inualuerat abuſus, quod plerique eorum, qui in quauis ſcientia, ad doctoratus, vel magiſterij, aſſumebantur honorem, cum ſua ſolemniter principia faciebant, aut ſui recipiebant inſignia doctoratus, circa cibos, veſtes, & alia, ſic in expenſis excedebant, quòd & ipſi, tranſeunte expenſarum huiuſmodi vanitate, vacui plerunque remanebant, & grauati; Et cæteri, qui vel nolebant, vel nequibant ſimiles expenſas ſubire, hac occaſione frequenter à receptione honoris huiuſmodi retrahebantur. vt in tex. Ideò Summus Pontifex Clemens V. volens de opportuno ſuper his remedio prouidere, illis, ad quos vbilibet pertinet honorem tribuere memoratum, diſtrictè præcipit, vt quoſcunque ab eis de cætero dictum recipientes honorem, iuramento prius adſtringant, ne vltra tria millia Turonen. argenteorum, in ſolemnitate, circa huiuſmodi doctoratum, aut magiſterium, quomodolibet adhibenda, expendant. Ipſoſq. nihilominus (niſi forſan notabilis conditionis extiterint) vt intra ſummam prædictam, huiuſmodi moderentur expenſæ, efficaciter exhortentur; ac, ſi hoc illorum congruere ſtatui viderint, iuramentum exigant ab eis, quòd certos intra ſummam præfatam taxandos ab ipſis expenſarum terminos non excedant. Si quis autem, pontificali etiam dignitate præfulgens, non recepto prius iuramento præfato, honorem cuiquam tribuerit ſupradictum, à collatione magiſterij, ſeu doctoratus cuiuslibet, per ſex menſes ſequentes, eo ipſo, nouerit ſe ſuſpenſum. vt in tex. & ad hæc c. cum Apoſtolus. ext. de cenſib.

DE IVDAEIS, SARACENIS, & eorum seruis.

In Decretal. Cap. 1. Præsenti.

SI seruus à Iudæo emptus causa mercimonij, factus est, vel fieri desiderat Christianus, pro 12. solidis redimitur.

QVIA nefas est, quem Christus redemit, blasphemum Christi in seruitutis vinculis detinere. vt in tex. & infr. c. cum sit. Sed quoniam, ex quo talis seruus non fuit emptus à Iudæo ad seruiendum sibi, sed causa mercimonij, est habenda aliqua ratio, ne in totum Iudæus ille suam vtilitatem amittat. c. fraternitatem. dist. 54. Ideo in tali casu ille non eripitur in libertatem sine aliquo pretio, sicut fit, quando ipsum emerit causa sibi seruiendi. vt in c. mancipia. d. dist. 54. sed vt vtriusque consideratio habeatur, sancitur, vt nullum Christianum mancipium Iudæo seruiat, sed datis 12. solidis, pro quolibet bono mancipio, ipsum quicunque Christianorum, seu ad ingenuitatem, seu ad seruitium, licentiam habeat redimendi; & si Christianus fieri desiderat, & non permittitur, idem fiat. vt in tex. & infr. c. fin.

Cap. 2. Multorum.

IVDAEVS, Christianum in seruum habere non potest, in ascriptitium verò potest.

QVIA nimis est absurdum, vt blasphemus Christi, in Christianos vim potestatis exerceat. sup. c. prox. & infr. c. cum sit. Sed quoniam coloni ascriptitij sunt liberi, licet ad certa seruitia præstanda teneantur in prædijs, quorum glebæ sunt ascripti. l. diffinimus. C. de agricol. & cens. lib. 11. Ideo nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in suo dominio retinere; sed si qui apud eos inueniuntur, libertas eis seruetur. Hi verò, qui in possessionibus eorum sunt, licet legum districtione sint liberi; tamen quia colendis terris eorum diutiùs adhæserunt, vt potè conditione loci debentes, ad colenda rura remaneant, consuetas pensiones prædictis viris præbentes. Cuncta etiam, quæ de colonis, vel originarijs iura præcipiunt, peragant, & nihil eis extra hoc oneris indicatur. Quod si quisquam Iudæorum aliquem de his, vel ad alium transferre locum, vel ad aliud obsequium retinere voluerit, ipse sibi imputet, qui ius colonarium, & ius dominij sibi iuris seueritate damnauit. vt in tex. & l. vnic. C. ne Christ. manc. & S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10.

Cap.

Cap. 3. Iudæi, il 1.

IVDAEI antiquas synagogas retinere possunt, nouas erigere non possunt.

QVIA dum Iudæis antiquæ synagogæ permittuntur, possunt cognoscere; quod cum eis benignè tractatur, & facilius per hoc blandimentum, quàm per asperitatem, potest sperari, quod ad nostram Christianam fidem conuertantur. c. qui syncera. dist. 45. Sed quoniam Iesus Christus Dominus noster morte sua subiecit Iudæos, propter eorum culpam in perpetuam seruitutem, & nouam ecclesiam erexit. infr. c. etsi Iudæos. Et illi in eorum fide non possunt hodie saluari. S. Athanas. in Symbolo. Ideo Iudæi pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis & suis obseruantijs tolerentur. infr. c. consuluit. & sicut legalis diffinitio, Iudæos nouas non patitur erigere synagogas, ita eos sine inquietudine veteres habere permittit. vt in tex. & l. fin. C. de Iudæis.

Cap. 4. Quia super.

IN die veneris sancta, non licet Iudæis tenere hostia, vel fenestras apertas.

QVIA nonnulli Iudæi solebant in tali die ornatius incedere, ac Christianis; qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, illudere non formidabant. infr. c. in nonnullis. Et quoniam hoc erat impium, & in contumeliam Creatoris. l. Iudæos. C. de Iudæis. Ideo præcipitur, vt Iudæi hostia, vel fenestras, in die parasceues apertas non habeant, sed clausas teneant tota die. vt in tex. & d. c. in nonnullis.

Cap. 5. Iudæi, il 2.

EXCOMMVNICARI debent Christiani, qui in domo seruiunt Iudæis, vel Saracenis, siue Paganis.

QVIA nimis est absurdum, vt blasphemus Christi, in Christianos vim potestatis exerceat. infr. c. cum sit. Et propter continuam conuersationem, & familiaritatem, esset periculum, ne animæ simplicium Christianorum, ab ipsis infidelibus subuerterentur. infr. c. ad hæc. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. de elect. Ideo Iudæi, siue Saraceni, neque subalendorum puerorum suorum obtentu, nec pro seruitio, vel alia qualibet causa Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere; excõmunicentur autẽ, qui cũ eis præsumpserint habitare. vt in tex. & infr. c. etsi Iudæos. & S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9.

ET principes sæculares excommunicari debent, qui Iudæos baptizatos suis bonis spoliare præsumunt.

QVIA

QVIA melioris conditionis debent esse ad fidem conuersi, quàm antequam fidem susceperint, habebantur. vt in tex. & c. plerunque. de rescr. Et quoniam etiam existentes Iudæi licitè habent rerum dominia, dummodo iustè acquisita. vt not. Innoc. in c. quod super. de voto. Et si per conuersionem ad fidem, illas relinquere tenerentur, multi retraherentur ab illa. l. nullus. C. de Iudæis. Ideo si qui, Deo inspirante, ad fidem se conuerterint Christianam, à possessionibus suis nullatenus excludantur. Si autem secus factum fuerit, principibus, seu potestatibus eorundem locorum iniungitur sub pœna excommunicationis, vt portionem hæreditatis suæ, & bonorum suorum, ex integro eis faciant exhiberi. vt in tex. & infr. c. ex speciali. Si tamen aliqua illorum bona fuerint comparata de vsuris, ea tenentur vendere, & pecuniam restituere. glos. hic. nam non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum. c. cum tu. de vsur. Et ad hæc vide Constitutionem Pauli III. incip. Cupientes Iudæos, per quam decernit, quod infideles ad fidem se conuertentes, eorum bona non amittant. Bona autem male acquisita restituere teneantur, si personæ notæ sint, sin autem licitè retineant. & c. 2. infr. in Extrauag. comm.

Cap. 6. Ita quorundam.

CHRISTIANI deferentes Saracenis merces prohibitas, vel in ipsorum nauibus nauigantes, excommunicandi sunt, & rebus eorum priuandi, & efficiuntur capientium serui.

QVIA perniciosum Christiano imperio, & proditioni proximum est, Barbaros, quos indigere conuenit telis, eos, vt validiores reddantur, instruere. l. 2. C. quæ res export. non deb. Et quoniam ita quorundam animos occupauit sæua cupiditas, vt qui glorientur nomine Christiano, Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferrent galearum; & pares, aut etiam superiores, in malitia fierent illis, dum ad impugnandos Christianos, arma eis, & necessaria subministrabant; Erant etiam, qui pro cupiditate sua, in galeis & piraticis Saracenorum nauibus, regimen, & curam gubernationis exercebant. vt in tex. & l. fin. C. de pœnis. Ideo si amplius talia aliqui facere præsumpserint, statuitur, vt sint ab ecclesiastica communione præcisi, & excommunicationi subiecti, & rerum suarum per principes catholicos, & consules ciuitatum, priuatione multentur, & capientium serui fiant. Præcipitur etiam, vt per ecclesias maritimarum vrbium, crebra, & solemnis in eos excommunicatio proferatur. vt in tex. & infr. c. ad liberandam.

Cap. 7. Consuluit.

IVDAEI veteres synagogas in priorem statum reformare possunt; de nouo erigere non possunt.

QVIA

QVIA humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipsum debet imitari. S. Thom. 2.2.q.10.art.11. Et quoniam Deus, quamuis sit omnipotens, & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset, ne, eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano, illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, sicut S. August. dicit in lib. de ordine: Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus. lib. 2. cap. 4. tom. 1. Sic ergo, quamuis Infideles in suis ritibus peccent, tollerari possunt, vel propter aliquod bonum, quod ex eis prouenit, vel propter aliquod malum, quod euitatur. Ex hoc autem, quod Iudæi ritus suos obseruant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum prouenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi figura, nobis repræsentatur, quod credimus; & ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorum verò infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut vtilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet ad euitandum scandalum, dissidium, quod ex hoc posset prouenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim, sic tolerati conuertuntur ad fidem. Propter hoc enim, etiam hæreticorum, & paganorum ritus aliquando Ecclesia tolerauit, quando erat magna infidelium multitudo. S. Thom. d. art. 11. & c. qui syncera. dist. 45. Ideo Iudæos de nouo construere synagogas, vbi non habuerunt, non est patiendum. Verùm si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, vt eas reædificent, potest æquanimiter tolerari; non autem, vt eas exaltent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quàm antea fuisse noscũtur; qui vtique hoc pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis, & suis obseruantijs tolerẽtur. vt in tex. & sup. c. Iudæi, il 1.

Cap. 8. Ad hæc.

IN familiari seruitio Iudæorum, Christiani esse non debent.

QVIA Iudæorum mores, & nostri in nullo concordant; & ipsi de facili ob continuam conuersationem, & assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem, & perfidiam, simplicium animos inclinarent. vt in tex. Et Iudæi viderentur esse superiores, si Christiani eis famularentur; cum tamen Iudæi debeant se recognoscere seruos Christianorum. infr. c. etsi Iudæos. Et quoniam hæc inconuenientia sunt euitanda, sup. c. 1. & 2. Ideo omnibus Christianis prohibetur, ne Iudæorũ seruitio se assiduè pro aliqua mercede exponant; quod etiã obstetricibus, & nutricibus eorum intelligitur interdictum, ne infantes Iudæorũ, in eorundẽ domibus nutrire præsumant. vt in tex. & infr. c. fin. & S. Tho. 2.2.q.10.art.9.

Cap. 9. Sicut.

IVDAEI inuiti non sunt baptizandi, nec ad hoc cogendi.

QVIA

QVIA nullus ad fidem est cogendus. c. ad fidem. 23. q. 5. Credere enim, voluntatis est. S.Th.2.2.q.10.art.8. & cui vult Deus, miseretur; & quem vult, indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens, perijt; sic vocante se gratia Dei, propria mentis conuersione quisque credendo saluatur. c. de Iudæis. dist. 45. Et quoniam absoluta coactio excludit voluntatem. c. sacris. de his, quæ vi, met. ca. si. Ideo statuitur, vt nullus inuitos, vel nolentes Iudæos ad baptismum venire compellat. Si quis autem ad Christianos, causa fidei confugerit; postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur; quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum, non spontaneus, sed inuitus cogitur peruenire. vt in tex. & c. maiores. de baptism. & S.Thom. 2.2.q.10. art. fin.

NEC sine iudicio puniendi, aut rebus suis spoliandi, vel in suis festiuitatibus molestandi, nec ipsorum cœmiteria violanda, aut eorum corpora exhumanda.

QVIA nulli permissum est occidere, vel pœnam infligere, nisi cui ex officio permittitur. c. qui malos. 23. q. 5. & pœna non est inferenda nisi per iudicem. c. interfectores. 33. q. 2. Et quoniam qui syncera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat reuocare, pellat procul aduersitas. Et agendum est, vt potius ratione, & mansuetudine prouocati, sequi nos velint, non fugere; vt eos, ex eorum codicibus ostendentes, quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesiæ, Deo possimus auxiliante, conuertere. c. qui syncera. dist. 45. Ideo statuitur, vt nullus Christianus, Iudæorum quemlibet sine iudicio terrenæ potestatis, vel occidere, vel vulnerare, vel suas pecunias illis auferre præsumat, aut bonas, quas habuerunt consuetudines, immutare; præsertim in festiuitatum suarum celebratione, quisquam fustibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta seruitia exigat, nisi quæ ipsi tempore præterito facere consueuerunt; & nemo cœmiterium Iudæorum mutilare, aut inuadere audeat, siue obtentu pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem huic decreto contraire præsumpserit, honoris, & officij sui periculum patiatur, aut excomunicationis sententia plectatur, nisi præsumptionem suam, digna satisfactione correxerit. vt in tex. & l. nullus. C. de Iudæis. & S.Thom. 2.2.q.10.art.

Cap. 10. Quam sit.

PONIT duas indulgentias illorum, qui paganis prædicant; primam, vt liceat eis vti his cibis, cum gratiarum actione, quæ sibi ab ipsis infidelibus apponentur; dummodo abstineant ab esu carnium,

nium, quibus vti non liceat, iuxta canonicas sanctiones. Secundam, vt quicunque religiosi, aut clerici idonei ad annuntiandam illis Christianam fidem, sibi adhærere voluerint, liberam habeant facultatem, petita, & obtenta Prælatorum suorum licentia.

QVIA communio alicuius personæ interdicitur fidelibus dupliciter. Vno modo in pœnam illius, cui communio fidelium subtrahitur. Alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne alij communicent; & vtraque causa ex verbis Apostoli accipi potest. 1. ad Corinth. cap. 5: nam postquam sententiam excommunicationis protulit, subdit pro ratione: Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Et postea rationem subdit ex parte pœnæ per iudicium Ecclesiæ illatæ, cum dicit: Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? Primo ergo modo non interdicit Ecclesia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidem Christianam receperunt, scilicet Paganorum, vel Iudæorum, quia non habet de eis iudicare spirituali iudicio, sed temporali in casu, cum inter Christianos commorantes aliquam culpam committunt, & per fideles temporaliter puniuntur. Sed isto modo, scilicet in pœnam, interdicit Ecclesia fidelibus communionem illorum infidelium, qui à fide suscepta deuiant, vel corrumpendo fidem, sicut hæretici; vel etiam totaliter à fide recedendo, sicut apostatæ. In vtrosque enim horum excommunicationis sententiam profert Ecclesia. Sed quantum ad secundum modum, videtur esse distinguendum secundum diuersas conditiones personarum, & negotiorum, & temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus, conuersio infidelium magis sperari possit, quam fidelium à fide auersio, non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganis, vel Iudæis, & maxime si necessitas vrgeat. Si autem sint simplices, & infirmi in fide, de quorum subuersione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione; & præcipuè, ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent. S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9. Et quoniam qui vult consequens, debet velle & antecedens. c. translato. de constit. Et infideles non possumus Christo lucrari, si colloquium eorum vitamus, & conuiuium. c. infideles. 23. q. 4. Vnde & Dominus cum publicanis, & peccatoribus manducauit, & bibit. Luc. cap. 5. In his verò, qui intus sunt, idest, infidelibus, putredo resecanda est. d. c. infideles. Ideo si quis ad prædicandam Christi fidem paganis se exhibeat, ei, & suis socijs, Apostolica auctoritate conceditur, vt ipsis his cibis cum modestia, & gratiarum actione, seruata temporum qualitate iuxta cannonicas sanctiones, vti liceat, qui eis ab ipsis infidelibus apponuntur. Et insuper indulgetur, vt quicunque religiosi, seu clerici idonei ad annunciandum gentibus Euangelicam veritatem, requisita, & habita Prælatorum suorum licentia,

tali

tali voluerint adhærere, id absque contradictione qualibet, liberam exequendi habeant auctoritate Apostolica facultatem. vt in tex. & c. ad mensam. 11. q. 3.

Cap. 11. Significauit.

PRO redimendis captiuis, licet ire Alexandriam, iurantibus, quod nihil deferent auxilij, seu subsidij, extra redemptionis articulum.

QVIA redemptio captiuorum est opus misericordiæ, & maxime priuilegiatum. c. aurum. 12. q. 2. Sed quoniam est prouidendum, ne sub specie boni, fiat malum. c. plerunque, de rescr. Ideo si aliqui Alexandriæ, vel in alio loco infidelium, retineantur captiui, possunt illorum consanguinei, vel alij illuc proficisci, & merces deferre pro illis redimendis, dummodo nihil in mercibus suis, vel alio modo secum illuc deferant, vnde posset Saracenis (excepto redemptionis articulo) aliquod commodum, aut subsidium prouenire; quod etiam coram proprio Episcopo prius iuramento firmabunt. vt in tex. & infr. c. ad liberandam.

PORTANS, vel mittens, etiam post treugas, merces prohibitas, excommunicatus est.

QVIA merces prohibitæ, vt sunt illæ, ex quibus venirent impugnandi Christiani, nunquam ad infideles possunt licitè deferri. sup. c. ita quorundam. Et quoniam per treugam talis delatio redditur licita. infr. c. prox. Ideo illi, qui post treugam in transmarinis partibus factam, cum commercio Alexandriam, vel aliò ad partes infidelium adeunt, si detulerint merces prohibitas causa lucrandi, excommunicationis vinculum non euadunt; sicut nec illi, qui in personis proprijs non euntes, merces eis per nuncios destinarunt. vt in tex. & infr. c. 1. in extrauag. com. Et ad hæc vide Nauar. in Manual. cap. 27. tit. de excomm. à iure latis, & primùm de reseruatis Papæ per Bullam Cœnæ Domini. §. excommunicamus omnes illos, qui equos, &c.

ET pacis appellatione non veniunt treugæ.

QVIA pax est discordiæ finis. Goffr. in c. 1. de treug. & pac. Treuga autem est securitas præstita rebus, & personis, discordia nondum finita. glos. in d. c. 1. Et quoniam à quo remouetur definitio, remouetur & definitum, cum omnis definitio debeat conuerti cum suo definito. l. 1. §. dolum, & ibi glos. ff. de dolo, & Arist. 2. poster. cap. 8. Ideo illos, qui iurauerunt, se amplius in terram Saracenorum cum mercibus non ituros, nisi pax esset inter Christianos, & ipsos; & post treugam factam venerunt illuc; conditio illa de pace, aut treuga habenda, ab excommunicationis vinculo non absoluit. vt in tex. & infr. c. vnic. in extrauagan. Ioann. XXII.

Cap.

Cap. 12. Quod olim.

EXCOMMVNICATI sunt, qui cum Saracenis tempore guerræ aliquod habent commercium, vel eis præstant subsidium.

QVIA vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum.c.vbi.de elect.in 6. Et quoniam sunt aliquæ merces, quæ nunquam possunt ad Saracenos deferri. sup.c.ita quorundam.& l.2. C.quæ res export.non poss.Et tempore belli est magis à commercio inimicorum abstinendum, ne illa occasione alieni regni arcana scrutentur. l.mercatores.C.de commerc.& merc. Ideo tempore guerræ existentis inter Christianos, & infideles, non solum imminet excommunicatio deferentibus merces prohibitas. vt in d.c.ita. Sed etiam deferentibus quascunque merces aliàs non prohibitas, vel eis quocunque modo subsidium præstantibus. vt in tex.& infr.c.vnic.in Extrauag.Ioan.XXII. Et ad hæc vide Nauar.in loco citato sup.in prox. cap.

Cap. 13. Etsi Iudæos.

IVDAEI nutrices, vel seruientes Christianos habere non debent, contrafacientibus interdicitur Christianorum commercium.

QVIA etsi Iudæos (quos propria culpa submisit perpetuæ seruituti) pietas Christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum; ingrati tamen nobis esse non debent, vt reddant Christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum; qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi; nobis illam retributionem impendunt, quam (iuxta vulgare prouerbium) mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueuerunt hospitibus exhibere; & præcipuè in personas illorum Christianorum, & nutricum, in eorum domibus commorantium, multa nefanda committebant, per quæ fidem Catholicam offendebant. vt in tex. Et quoniam fidelibus est verendum, ne diuinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. vt in tex. & infr.tit.prox. c.2. Ideo inhibetur districtè, ne Iudæi de cætero nutrices, vel seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filijs famulentur ancillæ; sed tanquam serui à domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, se saltem per effectum operis, recognoscant seruos illorum, quos Christi mors liberos, & illos seruos effecit. Si verò nutrices, & seruientes non dimiserint Christianos, sub excommunicationis pœna est districtè inhibendum omnibus Christianis, ne cum eis commercium aliquod audeant exercere. vt in tex. & sup. c. ad hæc, & S. Thom. 2. 2. q.10. art.9.

Cap.

Cap. 14. Postulasti.

IVDAEVS, qui percusserit Clericum, temporaliter punitur; & si de facto puniri non potest, interdicitur sibi Christianorum commercium, donec satisfecerit iniuriam passo.

QVIA quando pœna iuris ordinaria non potest cadere in personam delinquentis, commutatur in aliam. l.fin.ff.de in ius voc. & Ioan.de Anan. hic. Et quoniam pœna ordinaria percutientis clericum, est excommunicatio. c. si quis suadente. 17. q. 4. Et ista non cadit in Iudæum, cum sit extra Ecclesiam. c.multi. 2.q.1. nihil enim ad nos de his, qui foris sunt, quo ad pœnam spiritualem. Apost. 1. ad Corinth. cap. 5. Ideo si Iudæus manus violentas iniecerit in clericum, est pœna pecuniaria, vel alia temporali puniendus: & Ecclesiæ, & læso est congruè satisfaciendum; quod si fieri non potest; Prælatus loci debet præcipere Christianis per censuram ecclesiasticam, ne cum ipso Iudæo commercium habeant, donec satisfaciat. vt in tex. & c.post miserabilem. de vsur. & S.Thom.2.2.q.10.art.9.

Cap. 15. In nonnullis.

IVDAEI, & Saraceni vtriusque sexus, debent in terris Christianorum vti habitu, per quem à Christianis discernantur.

QVIA vbi huiusmodi habitus distinctio non habetur, contingit interdum, quod Christiani per errorem, Iudæorum, seu Saracenorum; & Iudæi, seu Saraceni Christianorum mulieribus commiscentur. vt in tex. Et quoniam fideles infidelibus non sunt aliquo modo carnaliter copulandi. c.caue.28.q.1.& l.ne quis. C.de Iudæis. Ideo ne tam damnatæ commistionis excessus, per velamen huiusmodi, excusationis possint habere diffugium, statuitur, vt tales vtriusque sexus, in omni Christianorum prouincia, & omni tempore, qualitate habitus publicè ab alijs populis distinguantur. vt in tex. & c.in audientia. de sent.excom.

ET in die passionis Domini, non debent in publicum progredi.

QVIA nonnulli ex ipsis, talibus diebus, & ornatius non erubescebant incedere, ac Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, illudere non formidabant. vt in tex. & l. fin. C. de Iudæis. Et quoniam hæc est maxima ingratitudo, & nequitia. sup. c. etsi. Ideo statuitur, vt in diebus lamentationis, & Dominicæ passionis, tales infideles in publicum non prodeant. vt in tex. & sup. c. quia super.

NEC in contumeliam Creatoris prosilire.

QVIA omnis illusio, & contumelia est reprobanda. c.bonæ, il 2. de postul. præl. Et quoniam longe grauius est, æternam, quàm temporalem,

poralem, lædere maiestatem. c.vergentis.de hæret.& illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra deleuit. vt in tex. & infr. Clem.vnic. Ideo districtissimè inhibetur, ne in contumeliam Creatoris prosilire præsumant; & præcipitur, præsumptores huiusmodi, per Principes sæculares condignæ animaduersionis adiectione compesci, ne crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant. vt in tex.& infr. c.proximo.

Cap. 16. Cum sit.

PRAEPONENS Iudæum, vel Paganum publicis officijs, per Concilium prouinciale corripitur; & præposito denegatur Christianorum commercium, donec deposuerit officium; & in vsus Christianorum pauperum restituet inde quæsita, secundum Episcopi prouidentiam.

QVIA sub tali officiorum prætextu, isti infideles Christianis plurimum sunt infesti. c.nulla.dist.54.& l.fin.C.de Iudæis. Et quoniam nimis est absurdum, vt blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat. sup.c.1. Ideo quod super hoc Toletanum Concilium prouide statuit, vt Iudæi, aut hi, qui ex Iudæis sunt, officia publica nullatenus habeant.vt in d.c.nulla.& c.constituit.17.q.4.propter transgressorum audaciam, hic innouatur,& prohibetur,ne Iudæi publicis officijs præferantur. Si quis autem eis officium tale commiserit,per prouinciale Concilium, quod singulis annis præcipitur celebrari, monitione præmissa, districtione, qua conuenit, compescatur. Officiali verò huiusmodi tandiu Christianorum communio in commercijs, & alijs denegetur, donec in vsus pauperum Christianorum, secundum prouidentiam diœcesani Episcopi, conuertatur quicquid fuerit à Christianis adeptus occasione officij sic suscepti; & officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit. Hoc idem extenditur ad Paganos. vt in tex. & infr. c. ex speciali. & S.Thom. 2.2.q.10.art.10.

Cap. 17. Ad liberandam.

CONCILIVM generale repetit Concilium Lateranense.sup.c.ita; & addit pœnam satisfactionis tempore absolutionis impendendam.

QVIA Concilium Lateranense excommunicat, & anathematizat illos falsos, & impios Christianos, qui contra ipsum Christum, & populum Christianum, Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, eos etiam, qui eis galeas vendunt, vel naues, quique in piraticis Saracenorum nauibus curã gubernationis exercent, vel machinis,aut quibuslibet alijs aliquod eisdem impendunt consilium,vel auxilium in dispendium terræ sanctæ; ipsosq. rerum suarum priuatione multari, & capientium seruos fore censet, præcipiens, vt per omnes vrbes

maritimas diebus Dominicis,& festiuis,huiusmodi sententia publicè innouetur. sup.c.ita quorundam.Et quoniam tam graue delictum requirit etiam,vt grauiores pœnæ in taliter delinquentes ferantur.c.non afferamus.24.q.1. Ideo vltra illas pœnas per Conciliū Lateranense habitum sub Alexandro III. impositas; per Concilium generale celebratum sub Innoc.III. additur, vt talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum,quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de suo,in subsidium terræ sanctæ transmiserint,vt æquo iudicio,in quo deliquerint, puniantur. Quod si fortè soluendo non fuerint, sic aliàs reatus talium castigetur, quod in pœnâ ipsorum alijs interdicatur audacia similia præsumendi. vt in tex.& Host.hic, vbi enumerat priuilegia eorum, qui vadunt in subsidium terræ sanctæ.

Cap. 18. Ex speciali.

IVDAEI, vel Pagani, publicis officijs præficiendi non sunt; & si eis regalia iura vendentur, ad ea colligenda, præficiendus est Christianus non suspectus.

QVIA nimis est absurdum, vt blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat.sup.c.cum sit.& dist.54.c. nulla. Sed quoniam venditio redditũum tolleratur, vt eis fiat, dummodo non habeat aliquam iurisdictionem annexam, nec executoriam potestatem, & per illam Christianis iniuria aliqua non irrogetur. Host. hic. Ideo mandatur, ne aliquis Princeps in officijs publicis Iudæos Christianis præficiat; & si fortè redditus suos Iudæis vendiderit,vel Paganis,Christianum tunc deputet grauaminibus inferendis,clericis,& ecclesijs non suspectum,per quem Iudæi,siue Saraceni, sine Christianorum iniuria, iura regalia consequantur. vt in tex.& l.fin.C.de Iudæis.& S.Thom.2.2.q.10.art.10.

Cap. 19.

NVLLI Iudæo, baptizatum, vel baptizari volentem, emere liceat, vel in suo seruitio retinere.

QVIA nefas est, quem Christus redemit, blasphemum Christi in seruitutis vinculis detinere. sup. c.1. Et quoniam de proximo accingendus, habetur pro accincto. l.penult. ff. de milit.testam. & quæ incontinenti fiunt, videntur inesse. c. officij. de elect. Ideo tali priuilegio, & immunitate, non solum gaudet baptizatus, sed etiam ille, qui vult baptizari. vt in tex.& sup.c.cum sit.

QVOD si quem nondum ad fidem conuersum, causa mercimonij emerit, & post modum factus sit,vel fieri desiderat Christianus, datis pro eo duodecim solidis, ab illius seruitio protinus subtrahatur.

QVIA

QVIA talis seruus est in libertatem vendicandus, vt in tex. Sed quoniam est habenda aliqua ratio, ne in totū sua pecunia Iudæus priuetur, ex quo illum emit, non vt sibi remaneret subiectus, sed fortasse vt pro aliquo pretio redimeretur, & in libertatem poneretur. c. fraternitatem. dist. 54. Ideo in tali casu succurritur illi seruo, vt liber euadat, & in eius recompensationem, Iudæo duodecim solidi dantur. vt in tex. & sup. c. 1.

SI autem infra tres menses, ipsum venalem non exposuerit, vel ad sibi seruiendum emerit eundem; nec ipse vendere, nec alius audeat comparare; sed nullo dato pretio, perducatur ad præmia libertatis.

QVIA ex quo ille Iudæus non exposuit talem seruum venalem intra tres menses, præsumptio est, quod non causa mercimonij, sed ad sibi seruiendum, ipsum emerit. d. c. fraternitatem. Et quoniam infideles merito suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. Ideo in illis infidelibus, qui etiam temporali subiectione subiiciuntur Ecclesiæ, & membris eius, hoc ius Ecclesia statuit, vt seruus Iudæorum, cum fuerit factus Christianus, statim à seruitute liberetur, nullo pretio dato, si fuerit vernaculus, idest, in seruitute natus, & similiter si infidelis existens, fuerit emptus ad seruitium; si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum, infra tres menses exponere ad vendendum. vt in tex. & c. Iudas. 17. q. 4. Nec in hoc iniuriam facit Ecclesia; quia cum ipsi Iudæi sint serui Ecclesiæ, potest disponere de rebus eorum; sicut etiam Principes sæculares multas leges ediderunt circa suos subditos in fauorem libertatis. In illis verò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licet posset instituere de iure; & hoc facit ad scandalum vitandum; sicut etiam Dominus, Matth. cap. 17. ostendit, quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij; tamen mandauit tributum solui ad scandalum vitandum. Ita etiam & Paulus cum dixisset, quod serui dominos suos honorarent, subiungit: Ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. S. Thom. d. art. 10.

In Clement. Cap. vnic. Cedit.

PRINCIPES Christiani compescere debent Saracenos sibi subiectos, ab inuocatione publica nominis Machometi, & à peregrinatione, quam facere solent ad sepulchrum ipsius.

QVIA cedebat in offensam diuini nominis, & opprobrium fidei Christianæ, quod in quibusdam mundi partibus, principibus Christianis subiectis; in quibus interdum seorsum, interdum verò permixtim cum Christianis habitabant Saraceni, Sacerdotes eorum, Zabazala vulgariter nuncupati, in templis, seu Mesquitis suis, ad quæ ijdem Saraceni conueniebant, vt ibidem adorarent perfidum Machometum diebus singulis, certis horis in loco aliquo eminenti, eiusdem Machometi nomen (Christianis, & Saracenis audientibus) alta voce inuocabant, & extollebant, ac ibidem verba quædam in illius honorem, publicè profitebantur. Ad locum insuper, vbi olim quidam sepultus extitit Saracenus, quem vt sanctum Saraceni alij venerantur, & colunt, magna Saracenorum earundem partium, & etiam aliarum confluebat publicè multitudo, ex quibus nostræ fidei non modicum detrahebatur, & graue in cordibus fidelium scandalum generabatur. vt in tex. Et quoniam hæc in diuinæ maiestatis displicentia non sunt vllatenus toleranda. vt in tex. & ext. c. in nonnullis. Ideo Clemens V. sacro approbante Viennensi Concilio, ista in terris Christianorum districtius fieri inhibet, vniuersis, & singulis Principibus catholicis, sub quorum dominio dicti Saraceni morantur, & fiunt prædicta, sub obtestatione diuini iudicij obnoxius iniungens, quatenus ipsi, tanquam veri catholici, & Christianæ fidei seduli zelatores, opprobrium, quod tam ipsis, quàm cæteris Christicolis per præmissa ingeritur, debita consideratione pensantes; ipsum (vt proinde æternæ beatitudinis præmia assequantur) de terris suis omnino auferant, & à suis subditis auferri procurent. Inhibendo expresse, ne præfata inuocatio, seu professio nominis ipsius sacrilegi Machometi publicè, aut peregrinatio prælibata ab aliquo, in eorum existente dominio, audeat attentari de cætero, vel quomodolibet sustineri. Ij verò, qui secus præsumpserint, taliter ob diuinam reuerentiam castigentur ab ipsis, quod alij eorum exemplo perterriti, à præsumptione simili arceantur. vt in tex. & infr. c. vnic. in Extrauag. Ioann. 22. & S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 11.

In Extrauag. Ioann. XXII. Cap. vnic. Copiosus.

VT Petrus filius Regis Castellæ, pio ductus proposito, facilius Agarenos infideles à Regno Granatæ expelleret, lata fuit excommunicationis sententia in omnes prohibita portantes ipsis infidelibus, & Saracenis præfati Regni Granatæ.

QVIA

QVIA licet generaliter sit lata excommunicatio, & aliæ pœnæ sint impositæ contra portantes arma, & alia prohibita ad infideles, & Saracenos. vt ext. in c. ita quorundam, & c. ad liberandam. Tamen quoniam plus solet timeri, quod specialiter præcipitur, quàm quod generali mandato includitur. c. pastoralis. ext. de rescr. & c. quanquam. dist. 23. Et infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut vtilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi; nisi fortè ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalū, seu dissidium, quod ex hoc posset prouenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati conuertuntur ad fidem. S. Thom. 2.2. q. 10. art. 11. Ideo sub excommunicationis pœna, & alijs pœnis, & sententijs latis contra deferentes arma, & alia prohibita ad infideles, specialiter prohibetur, ne quis Agarenis, seu Saracenis regni Granatæ, arma, vel alia prohibita portare præsumat. vt in tex. & infr. c. prox. in Extrauag. com. Et de iusta Maurorum expulsione ex Hispania nouissimè facta per Catholicum, ac potentissimum Regem Philippum III. vide quæ luculenter scripsit Pater Fonseca Ordinis Prædicatorum.

In Extrauag. Comm. Cap. 1. Multa.

CHRISTIANI arma portantes ad infideles, Christianos impugnantes, ipso facto sunt excommunicati, capientium serui, infames, & intestabiles, tam actiuè, quàm passiuè, & eorum bona confiscata.

QVIA tales Christiani, pares, aut etiam superiores in malitia fiunt ipsis infidelibus, dum ad impugnandos Christianos, arma eis, & necessaria subministrant. ext. c. ita quorundam. Et quoniam summo morbo, summum remedium est adhibendum. c. corripiantur. 24. q. 3. Et pro mensura peccati, debet esse & plagarum modus. Deuteron. cap. 25. Ideo Christiani ita grauiter delinquentes, his grauioribus Ecclesiæ pœnis subijciuntur. vt in tex. & extr. c. ad liberandam. Per ius verò ciuile, etiam pœna capitalis contra tales imponitur. l. 2. C. quæ res export. non deb.

Cap. 2. Dignum.

IVDAEI ad fidem conuersi, non sunt in bonis molestandi.

QVIA dignum, & iuri consonum est, fonte renatos baptismatis, iudaica cæcitate dimissa; amplioribus fauoribus, & gratijs abundare, quàm antea. vt in tex. & extr. c. Iudæi, il 2. Et quoniam si Iudæi per

conuerſionem ad fidem, tenerentur relinquere bona prius acquiſita; multi, qui in perfidia abundarent, cogerentur mendicare fideles, & difficilius conuerterentur ad fidem. vt in tex. & l. nullus. C. de Iudæis. Ideo Iudæi, qui ad fidem Chriſtianam conuertuntur, proprijs bonis non ſunt ſpoliandi, nec aliquatenus pro illis moleſtandi, vt ſic de ſeruitute ad libertatem ſe tranſiſſe percipiant, nec redire prætextu mendicitatis odibilis, ad dimiſſam perfidiam compellantur. vt in tex. & d.c. iudæi; vbi notatur, quod hoc intelligitur de bonis iuſtè acquiſitis; nam per vſuram, vel aliter male acquiſita ſunt reſtituenda, ſi domini ſint noti; aliter poſſunt illa ſibi retinere per conſtitutionem Pauli III. incipien. Cupientes Iudæos.

Liber Quintus. Titulus VII.

DE HAERETICIS.

In Decretal. Cap. 1. Dubius.

INFIDELIS eſt, qui non habet certitudinem fidei.

QVIA nullus dubius in fide, videtur paratus corrigi ad mandatum Eccleſiæ, niſi dubitet ex ignorantia; nam dubius de articulo, dubius eſt de doctrina Eccleſiæ, ſi ſcit eam docere articulum. c. hæreſis. 24. q. 3. & Silueſt. in ſum. verbo, hæreſis, 1. n. 6. Et quoniam qui dubitat de doctrina Eccleſiæ, & non eſt paratus eam ſequi, non habet fidem, neque formatam, neque informem. S. Th. 2.2. q. 5. art. 3. Ideo dubius in fide, eſt infidelis. vt in tex. & c. apertè. 24. q. 1. Vnde nullus debet dubitare de fide, ſed firmiter credere articulos fidei. c. 1. de ſum. Trin. aliter ſaluus eſſe non poterit. S. Athanaſ. in ſymbolo. & c. hæc eſt fides. 24. q. 1.

ET infideli non eſt credendum, in præiudicium alterius.

QVIA non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidelis. c. non poteſt. 2. q. 7. Et quoniam teſtes debent deponere veritatem, quam ſciunt pro vtraque parte, ne humanum iudicium peruertatur. c. ſi teſtes. 4. q. 3. Ideo non eſt eis omninò credendum, qui fidem veritatis ignorant. vt in tex. & c. 1. de teſtib.

Cap. 2. Qui alios.

ERRARE in fide conuincitur, qui alios errantes, cum poteſt, ab errore non reuocat.

QVIA

QVIA error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis perturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. c.error.dist.83. Et quoniam agentes, & consentientes, pari pœna puniuntur. c.quantæ.de sent.excom. Ideo qui alios, cum potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. vt in tex. & c.quid enim. dist. 83. & ad hæc vide S. Thom. 2. 2. q.33. art.2.

Cap. 3. Firmissime.

HAERETICVS perseuerans, æternaliter damnatur.

QVIA quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem; Quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit. S.Athanas. in symbolo. Et quoniam hæreticus ab Ecclesia catholica discedit, nec eius fidem seruat. c.inter.& c.hæreticus.24.q.3. Ideo firmissime est tenendum, & nullatenus dubitandum, omnem hæreticum, vel schismaticum, cum diabolo, & angelis eius, ignis æterni incendio participandum, nisi ante finem vitæ, catholicæ fuerit incorporatus, & redintegratus Ecclesiæ. vt in tex. & c. quoniam.24.q.1.& S.Thom.2.2.q.11.art.1.

CVI nec prodest baptismus, nec eleemosyna, vel martyrium, vel aliud quodcunque bonum, quoad hoc, vt consequatur vitã æternam.

QVIA hæreticus à charitate, & vnitate Ecclesiæ catholicæ recessit. c. si quis.1.q.1. & c. solet.de consecr. dist. 4. Et quoniam opera de genere bonorum, sine charitate facta, dicuntur mortua, propter defectum charitatis, & gratiæ, sicut principij, nec prosunt ad vitam æternam. S.Tho. par.3.q.89.art.6. Vnde, inquit Apost. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1.ad Corinth. cap.13. licet valeant ad bona temporalia promerenda. c.si quælibet.22. q.2.& S.Gregor.in homil. de diuite, & Lazaro.hom.40.& ad extremi iudicij tolerabilius supplicium subeundum. S.August.in lib.de patientia, cap.26. relatus in c.si quis. de pœnit. dist.3. Ideo omni homini, qui Ecclesiæ catholicæ non tenet vnitatem, neque baptismus, neque eleemosyna, quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem. vt in tex.& c.vide quantum. 1. q.1.

Cap. 4. Fraternitatis.

DAMNATO auctore, damnantur eius scripturæ, libri, & opera.

QVIA accessorium sequitur suum principale. c. accessorium. de reg. iur. in 6. Et quoniam opera sunt accessoria ad auctores illorum. c.2.de summ.Trinit. & c.nullus. 3.q.4. Ideo ex quo condemnatus est

auctor, & scripta illius admitti non debent. vt in tex. & infr. c. excommunicamus. §. credentes. Et hoc procedit, quamuis in eis vtilia inueniantur. c. canones. dist. 16. & c. bene quidem. dist. 96.

Cap. 5. Si quis. & Cap. 6. In eos.

EPISCOPVS, vel clericus instituens hæredem hæreticum, consanguineum, vel extraneum, vel paganum, etiam post mortem excommunicatus nunciatur.

QVIA etiam ipse sic instituens, præsumitur hæreticus. Abb. hic. Et quoniam hæretici memoria, etiam post mortem est damnanda. l. Manichæos. C. de hæret. Et hæretici, receptatores, & fautores eorum sunt excommunicati, & decedentes in hoc peccato, in cœmiterio Ecclesiæ sepeliri non debent, nec pro eis orari. infr. c. sicut. Et grauius delinquunt Ecclesiastici, cum turpes personas instituunt hæredes. c. cum in officijs. de testam. Ideo si quis Episcopus hæredes instituerit extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos pertulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. Et in eos, qui catholici non sunt, etiam si consanguinei fuerint; Episcopi, vel presbyteri, nihil conferant; denique hoc, quod de Episcopis, & presbyteris dictum est, debet de reliquis clericis exaudiri. vt in tex. & infr. c. excommunicamus. §. credentes.

Cap. 7. Cum Christus.

CHRISTVS fuit verus Deus, & verus homo; sentiens oppositum, hæreticus est, & excommunicatus.

QVIA hic est vnus de articulis fidei nostræ; de quibus habetur in symbolo Apostolorum, & in c. 1. de sum. Trinit. Et quoniam qui non credit articulos fidei, est hæreticus. c. hæresis. 24. q. 3. & omnis hæreticus est excommunicatus. infr. c. ad abolendam. Ideo cum Christus perfectus Deus, & perfectus sit homo, mandatur sub anathematis pœna, ne quis audeat dicere, Christum non esse aliquid, secundum quod homo; quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo ex anima rationali, & humana carne subsistens. vt in tex. & S. Athanas. in symbolo, & S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7.

Cap. 8. Sicut.

HAERETICI, receptatores, & fautores eorum, excommunicati sunt.

QVIA quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. literas. de temp. ord. Et pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Et quoniam hæreticus peccat contra vnitatem Ecclesiæ, à qua malitiosè

tiosè recedit. c.hæreticus.24.q.3. Et receptatores,& fautores sunt pessimum genus hominum, sine quibus delinquentes diù latere, & malefacere non possent. l. 1. ff. de receptat. Et per maiorem excommunicationem quis separatur à communione fidelium, quæ est ecclesia. c.si quem. de sent.excom. qua pœna in Ecclesia, nulla maior est.c.corripiantur.24. q.3. Ideo hæretici, & receptatores, & fautores eorum, excommunicationi subijciuntur. vt in tex. & infr.c.excommunicamus, il 1.

ET decedentes in hoc peccato, in cœmiterio Ecclesiæ sepeliri non debent.

QVIA quibus viuis non communicamus, nec mortuis communicare debemus. c.sanè. 24. q.2. Et quoniam cum hæreticis in vita non est communicandum. Apost.in epist. ad Tit.cap.3. Ideo nec etiam in morte, si quis in hoc peccato decesserit, est in sepultura ecclesiastica sepeliendus. vt in tex. & c.2. infr.in 6.

NEC pro eis orari.

QVIA tales delinquentes, constat decessisse in mortali peccato. c. sanè.24.q.2. Et quoniam pro eo, qui separatus à gratia Dei, in mortali peccato decessit, preces ad Deum non sunt effundendæ. c. placuit.23.q.5. Ideo pro istis sic impœnitentibus defunctis, non est oratio, vel aliqua oblatio facienda. vt in tex. & c.sacris.de sepult.

Cap. 9. Ad abolendam.

HAERETICVS male sentiens, vel male docens de sacramentis Ecclesiæ, excommunicatus est; & conuictus, nisi se correxerit, & errorem abiurauerit, si clericus est, degradetur, & curiæ saculari tradatur, per quam etiam laicus punietur. Eadem etiam est pœna suspectis de hæresi, si se non correxerint; & relapsis omnino audientia denegatur. Sæculares Principes, qui iurare nolunt de Ecclesia contra hæreticos defendenda, excommunicantur, & terræ eorum supponuntur interdicto; Ciuitates verò ipsorum resistentes, aliarum commercio, & Episcopali dignitate priuantur; Exempti verò subsunt ordinarijs super ijs, quæ contra hæreticos instituuntur.

QVIA resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus,& pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, per totum orbem eius flamma populata est. c.resecandæ.24.q.3. & pro mensura peccati, debet esse & plagarum modus. Deuter. cap. 25. Et quoniam hæresis est maximum peccatum. c.quidam.24. q.3. & per huiusmodi pœnas, ipsi delinquentes puniun-

puniuntur, & alij ab eorum contagione præseruantur. c. ecce. 24. q. 3. Ideo vniuersi, qui de sacramento corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat; & generaliter quicunque ab eadem Romana Ecclesia, vel à singulis Episcopis per diœceses suas, cum concilio clericorum, vel ab ipsis clericis, sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, fuerint hæretici iudicati, vinculo perpetui anathematis innodantur. Et nihilominus præsenti ordinatione sancitur, vt quicunque manifeste fuerit in hæresi deprehensus, si clericus est, vel cuiuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur; & sic omni officio, & beneficio spoliatus ecclesiastico, sæcularis relinquatur arbitrio potestatis, animaduersione debita puniendus; nisi continuò post deprehensionem erroris, ad fidei catholicæ vnitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis illius, publicè consenserit abiurare, & satisfactionem congruam exhibere. Laicus autem, nisi (prout dictum est) abiurata hæresi, & satisfactione exhibita, confestim ad fidem confugerit orthodoxam, sæcularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus, pro qualitate facinoris, vltionem. Qui verò inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad arbitrium Episcopi, iuxta considerationem suspicionis, qualitatemq. personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, simili sententiæ subiacebunt. Illi quoque, qui post abiurationem præfati erroris, vel postquam se (vt dictum est) proprij antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, sæculari iudicio, sine vlla penitus audientia, decernuntur relinquendi. Statuitur insuper, vt Comites, Barones, Rectores, & Consules Ciuitatum, & aliorum locorum, iuxta commonitionem Episcoporum, præstito corporaliter iuramento, promittant, quod fideliter, & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices, adiuuabunt bona fide, iuxta officium, & posse suum. Si verò id obseruare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, & ad alios nullatenus assumantur; eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum, interdicto Ecclesiæ supponendis. Ciuitas autem, quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes; aliarum careat commercio ciuitatum, & Episcopali se nouerit dignitate priuandam. Si qui verò fuerint, qui à lege diœcesanæ iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ priuilegijs) obsequantur. vt in tex. & infr. c. excommunicamus. & S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 4.

Cap.

Cap. 10. Vergentis.

BONA hæreticorum confiscantur, & in terris Ecclesiæ applicantur fisco Ecclesiæ, in terris Imperij, iudicis sæcularis fisco, & procedit etiam si catholicos habent filios.

QVIA curandum est, vt temporalis saltem pœna corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. vt in tex. & c.plurimos.dist. 82. Et quoniam secundum legitimas sanctiones, reis læsæ maiestatis punitis capite, bona confiscantur eorum, filijs suis vita solummodo ex misericordia conseruata. l.quisquis. C. ad leg. Iul. ma. Ideo multo magis, qui aberrantes in fide, verum Dei filium Iesum Christum offendunt, à capite nostro, quod est Christus, Ecclesiastica debent districtione præscindi, & omnibus bonis temporalibus spoliari; cum longe sit grauius, æternam, quàm temporalem lædere maiestatem. Nec huiusmodi seueritatis censuram orthodoxorum exhæredatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis prætextu, debet vllatenus impedire, cum in multis casibus (etiam secundum diuinum iudicium) filij pro patribus temporaliter puniantur; & iuxta canonicas sanctiones, quandoque feratur vltio, non solum in auctores scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum. vt in tex. & c. cum secundum. infr. in 6. & Authent. Gazaros. de hæret.

Cap. 11. Si aduersus.

ADVOCATI, vel notarij hæreticis, vel eorum defensoribus fauentes, aut sub eis litigantibus patrocinantes, & pro eis instrumenta scribentes, infames sunt, & ab illo officio suspensi.

QVIA quamuis generaliter prohibitum sit, vt nullus consilium, vel auxilium, vel fauorem præstet hæreticis. sup. c. sicut ait. Tamen quoniam plus solet timeri, quod specialiter iniungitur, quàm quod generaliter imperatur. c.quanquam. dist. 23. Ideo aduocatis, & scriniarijs firmiter inhibetur, ne hæreticis, credentibus, fautoribus, vel defensoribus eorundem, in aliquo præstent auxilium, consilium, vel fauorem, nec eis in causis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus sub eorum examine, suum patrocinium præbeant, & pro ipsis publica instrumenta, vel scripta facere nullatenus attentent. Quod si contra præsumpserint, ab eorum officio suspensi, perpetuæ decernuntur infamiæ subiacere. vt in tex. & infr. c. excommunicamus. §. credentes.

Cap. 12. Cum ex iniuncto.

LAICI non prædicent, nec occulta conuenticula faciant, nec Sacerdotes reprehendant.

QVIA

QVIA licet desiderium intelligendi diuinas scripturas,& secundum eas studium adhortandi, reprehendendum non sit,sed potius commendandum. vt in tex. & Salomon in Parabol.cap. 8. Tamen quoniam quidam laici occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis Christi sibi vsurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, & eorum consortium aspernantur, qui talibus non inhærent. vt in tex. Ideo in his tales laici, merito sunt arguendi. vt in tex. & c. ecclesia. de constit. Deus enim lux vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Ioan.cap. 1. in tantum odit opera tenebrarum, vt Apostolos suos in mundum vniuersum prædicaturos Euangelium omni creaturæ missurus, eis præceperit apertè, dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Marc.cap.vlt. Sicut enim multa sunt membra corporis,omnia verò non eundem actum habent. Matth.cap. 10. ita multi sunt ordines in Ecclesia;sed non omnes idem habent officium; quia secundum Apostolum; alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores. 1. ad Corinth. cap. 12. Cum igitur Doctorum ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare; nam secundum Apostolum; quomodo prædicabunt,nisi mittantur? ad Rom. cap. 10. Et Veritas ipsa præcepit Apostolis: Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Matth. cap. 9. Quod si fortè quis argutè respondeat; quia tales inuisibiliter mittuntur à Deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cum inuisibilis missio multò sit dignior, quàm visibilis; & diuina longè melior, quàm humana, iuxta Apost. ad Ephes. cap. 3. potest rationabiliter responderi, quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantum asserere, quòd ipse sit missus à Deo;cum hoc quilibet hæreticus asseueret; sed oportet,quòd astruat illam inuisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale. vt in tex. & c. si quis præpostera. dist. 50. Vnde cũ Dominus vellet mittere Moysen in Aegyptum ad filios Israel, vt crederent ei, quòd mitteretur ab ipso, dedit ei signum, vt conuerteret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Exod. cap. 7. Ioannes quoque Baptista, speciale suæ missionis testimonium protulit de Scriptura, dicens: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. Ioan.cap. 1. sicut ait Esaias Propheta. Esa. cap. 40. Licet autem scientia sit valde necessaria sacerdotibus ad doctrinam, quia iuxta verbum propheticum: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore eius. Malach. cap. 2. non est tamen simplicibus sacerdotibus, etiam scholasticis detrahendum, cum in eis sacerdotale officium debeat honorari; propter quod Dominus in lege præcepit: Dijs non detrahes. Exod. cap. 22. Sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis, & officij dignitatem, Deorum nomine nuncupantur. vt in tex. Nec quisquam suæ præsumptionis audaciam illo defendat

exemplo,

exemplo, quòd asina legitur reprehendisse prophetam. Num. cap. 22. vel quod Dominus ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. cap. 8. Cum aliud sit, fratrem in se peccantem occultè corripere (quod quisque tenetur efficere, secundum regulam Euangelicam. Matth. cap. 5.) in quo casu sanè potest quodammodo intelligi, quod Balaam fuit correptus ab asina; & aliud est, fratrem suum delinquentem reprehendere manifestè, quod vtique nulli licet secundum Euangelicam veritatem. vt in tex. & S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. nam qui etiam dicit fratri suo, fatuæ, reus erit gehennæ ignis. Matth. cap. 5. Rursus aliud est, quod Prælatus sponte de sua confisus innocentia, subditorum se accusationi supponit. vt in c. nos si incompetenter. 2. q. 7. (in quo casu præmissum Domini verbum debet intelligi. vt in tex.) & aliud quòd subditus, non tam animo reprehendendi, quàm detrahendi, exurgit temerarius in Prælatum. c. nouit. de iudic. cum ei potius incumbat necessitas obsequendi. c. non placuit. 16. q. 7. quod si fortè necessitas postularet, vt sacerdos, tanquam inutilis, & indignus à cura gregis debeat remoueri, agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cuius officium tam institutio, quàm destitutio sacerdotum noscitur pertinere. vt in tex. & c. qualiter. de accusat.

Cap. 13. Excommunicamus, il 1.

EXCOMMVNICATI sunt omnes hæretici, quibuscunque nominibus nominentur.

QVIA omnis hæreticus se extollit aduersus orthodoxam fidem, & catholicam Ecclesiam. c. hæreticus. 24. q. 3. & licet facies habeant diuersas, caudas tamen habent ad inuicem colligatas, nam de vanitate conueniunt in idipsum. vt in tex. & infr. c. penult. Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. literas. de temp. ord. & maior excommunicatio separat à communione fidelium. c. penult. de sent. excom. Ideo omnes hæretici, quibuscunque nominibus censeantur, excommunicationi subijciuntur, & anathematizantur. vt in tex. & sup. c. ad abolendam, & S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 3.

§. Damnati.

DAMNATI de hæresi, per sæcularem iudicem puniuntur, & bona laicorum hæreticorum confiscantur, & clericorum bona applicantur Ecclesijs, vbi beneficiati erant,

QVIA hæretici grauius, horribilius, ac detestabilius delinquunt, quàm alij peccatores. c. cum secundum. infr. in 6. vnde cum contra eos vna pœna non sufficiat, alia est addenda. c. necesse. dist. 29. Sed quoniam iudex sæcularis super hoc ecclesiastico crimine non potest iudicare. c. vt inquisitionis. infr. in 6. & vbi Ecclesiæ pœnæ non sæuiunt, ipsa remittit ad iudicem sæcularem. c. nouimus. de verb. sign. Ideo statuitur, vt damnati

damnati de hæreſi, præſentibus ſæcularibus poteſtatibus, aut eorum balliuis relinquantur animaduerſione debita puniendi, clericis prius à ſuis ordinibus degradatis, ita quod bona huiuſmodi damnatorum, ſi laici fuerint, confiſcentur; ſi verò clerici, applicentur Eccleſijs, à quibus ſtipendia receperunt. vt in tex. & infr. c. penult. & ad hæc vide Eymericum in Directorio inquiſitorum. par. 3. q. 101. & q. 112.

§. Qui autem.

SI ſuſpectus de hæreſi, ſe non purgat ad arbitrium Superioris, excommunicatur, & exiſtens per annum in excommunicatione, vt hæreticus damnatur.

QVIA ſuſpicio, ſiue præſumptio probabilis purgationem indicit; quæ ſi non fiat, ille, contra quem eſt talis præſumptio, punitur. c. tua nos. de cohab. cler. & mul. & ſecundum qualitatem infamiæ, & perſonæ; eſt indicenda purgatio. c. inter. de purg. can. Et quoniam contumacia (in cauſa præſertim fidei) ſuſpicioni præſumptionem adijcit vehementem. c. cum contumacia. infr. in 6. ita vt illa ſuſpicio de hæreſi, quæ erat probabilis, per exiſtentiam vnius anni in excommunicatione, euadat violentiſſima præſumptio. gloſ. hic. Et ex violentiſſima præſumptione, quis poteſt condemnari etiam de grauiſſimo crimine. c. afferte. de præſumpt. & l. indicia. C. de rei vend. Ideo ſtatuitur, vt qui inuenti fuerint de hæreſi ſola ſuſpicione notabiles, niſi iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemq. perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, anathematis gladio feriantur, & vſque ad ſatisfactionem condignam, ab omnibus euitentur, ita quod ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. vt in tex. & c. rurſus. 11. q. 3. & ad hæc vide Conc. Trid. ſeſs. 25. de refor. cap. 3.

§. Moneantur.

POTESTATES ſæculares, perpetui, vel temporales iurare tenentur, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia damnatos, pro viribus exterminare, & temporalis dominus non purgans terram ſuam hæreticis, excommunicatur; & ſi perſtiterit in excommunicatione per annum, nunciatur Papæ, qui fideles eius à iuramento abſoluet, & eius terram fidelibus exponit.

QVIA eſt præceptum Apoſtoli; Hæreticum hominem, poſt primam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt. in epiſt. ad Tit. cap. 3. & reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. S. Hieron. ſuper epiſt. ad Galat. cap. 5. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, cautius eſt agen-

agendum.c.vbi.de elect. in 6. Ideo statuitur, vt moneantur, & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur sæculares potestates, quibuscunque fungantur officijs, vt sicut reputari cupiunt, & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebũt, ita quodammodo quandocũque quis fuerit in potestatem, siue perpetuam, siue temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Si verò dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur; & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent. vt in tex. & sup. c.ad abolendam, & Authent.iusiur. quod præst. ab his, qui administr. accip.coll.2.

SALVO iure principalis domini, nisi & ipse sit in culpa.

QVIA propter delictum vnius, alius puniri non debet. c. quæsiuit. de his, quæ fi.à ma.par.cap. pœna enim suos debet tenere auctores. l.sancimus.C.de pœnis. Sed quoniam vbi est similis culpa, similis quoque pœna est infligenda. c.disciplina. dist.45. Ideo supradictæ pœnæ imponuntur contra iudices, & dominos temporales, saluo iure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eadẽ nihilominus lege seruata circa eos, qui non habẽt dominos principales. vt in tex. & l.si verò.C.de hæret.

§. Catholici.

CRVCE signati ad exterminationem hæreticorum, gaudent priuilegio concesso crucesignatis in subsidium terræ sanctæ.

QVIA similis æquitatis ratio, similia iura suadet. l.fin. C.ad leg.falc. Et quoniam non minus est quærenda hæreticorũ extirpatio, quàm terræ sanctæ recuperatio. S.Thom.2.2. q.10. art. 8. Ideo statuitur, vt catholici, qui crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoq. sancto priuilegio sint muniti, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur. vt in tex. & ad hæc S.Thom.2.2.q.11.art.3.

§. Credentes.

CREDENTES, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, excommunicationi, & alijs pœnis subijciuntur, siue sint laici, siue clerici.

QVIA

QVIA omnes isti grauissimè peccant, diuinamq. lædunt maiestatem, & Ecclesiam, in crimine enormissimo, dum quærunt corrumpere fidem. c. hæresis. 24. q. 3. & S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 3. Et quoniam pro mensura peccati, debet esse & plagarum modus. Deuteron. cap. 25. Ideo credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi subijciuntur, firmiterq. statuitur, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur; sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem; nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si verò aduocatus fuerit, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per ipsum confecta, nullius sint momenti; sed cum auctore damnato, damnentur, & in similibus idem præcipitur obseruari. Si verò clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur; vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint; excommunicationis sententia, vsque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sanè clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus, ecclesiastica sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ, nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant; alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur, absque indulto Sedis Apostolicæ speciali; similiter quilibet regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia illa in diœcesi non reseruentur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare. vt in tex. & l. credentes. C. de hæret. & Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 2.

§. Quia verò.

NVLLVS debet sibi officium prædicandi assumere, nisi super hoc sibi à iure, vel à Sede Apostolica, vel à diœcesano Episcopo licentia concedatur; aliàs excommunicatur, & nisi resipuerit, alia pœna imponitur.

QVIA sicut multa sunt membra corporis, omnia verò non eundem actum habent; ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium; nam alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores. Apost. 1. ad Corinth. cap. 12. Et quoniam nonnulli sub specie pietatis, virtutem eius, iuxta quod Apostolus ait, abnegantes. 2. ad Timoth. cap. 2. auctoritatem sibi vendicabant prædicandi. vt in tex. & infr. c. sicut. cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? ad Roman. cap. 10. Ideo cum Doctorum

ordo

ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare; vnde omnes, qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica sede, vel Catholico loci Episcopo susceptam, publicè, vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, & nisi quamcitius resipuerint, alia competenti pœna plectantur. vt in tex.& supr.c.prox.& Conc.Trid.sess.24.de reform.c.4.

§. Adijcimus.

ARCHIEPISCOPI, & Episcopi inferiorum suorum prouincias, & diœceses suspectas habentes de hæresi, saltem semel in anno per se, vel per alios idoneos visitent; qui etiam debent, si hoc expedire videbitur, exigere iuramentũ ab illis de vicinia, ad reuelandos hæreticos, & occulta conuenticula celebrantes; quos reuelatos relapsos canonicè punient, & renitentes iurare, vt hæretici condẽnentur.

QVIA ad ordinarios iudices locorum spectat, diligentiam adhibere, vt eorum diœceses malis hominibus purgentur, & peccata euitentur.c.1.de offic.ord. Et quoniam hæresis est grauissimum peccatum, & maximè est curandum, vt quamcitius extirpetur. c.resecandæ.24.q.3. & bonum remedium ad corrigendos delinquentes, est visitatio.c.cum venerabilis.de cens. Ideo statuitur, vt quilibet Archiepiscopus, vel Episcopus, per se, aut per Archidiaconũ suum, aut alias honestas, idoneasq. personas, bis, aut saltem semel in anno, propriam parochiam, in qua fama fuerit, hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres, aut plures, boni testimonij viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam iurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium, vita, & moribus dissidentes, eos Episcopo studeat indicare. Ipse autem Episcopus ad præsentiam suam conuocet accusatos, qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel post purgationem exhibitam, in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè puniantur. Si qui verò ex eis, iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes, iurare fortè noluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici reputentur. vt in tex.& c.corripiantur.24.q.3.& S.Thom.2.2.q.11.art.4.

§. Volumus.

EPISCOPVS negligens in hæresi persequenda, à dignitate Episcopali est remouendus, & alius idoneus est subrogandus.

QVIA Ecclesiarum Prælati, ad corrigendos subditorum excessus, & reformandos mores, prudenter, ac diligenter intendere debent, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur.c. irrefragabili. de offic. ord. Et quoniam eorum negligentia circa hæreses extirpandas, propter

F peri-

periculum fidei, est specialiter, & maximè detestanda. c.resecandæ.24. q.3.& Prælatus inutilis, aut negligens potest à dignitate remoueri. c.1. de offic.cust. & c.dictum. dist. 8. Ideo mandatur,& in virtute obedientiæ districtè præcipitur, vt ad hæc efficaciter exequenda Episcopi per diœceses suas diligenter inuigilent, si canonicam velint effugere vltionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis indicijs apparuerit,ab Episcopali officio deponatur,& in locum ipsius alter substituatur idoneus,qui velit, & possit hæreticam confundere prauitatem. vt in tex.& c.diuinis.25.q.1.

Cap. 14. Sicut.

LAICI cuiuscunque professionis sint,prædicare non debent.

QVIA ex eo,quod aliqui laici prædicare præsumunt, verendum est,ne vitia sub specie virtutũ occultè subintrent. vt in tex.& supr.c. prox.sæpe enim vitia se ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur; vt tenacia, parsimonia; effusio, largitas; crudelitas, zelus iustitiæ; remissio, pietas velit videri. S. Gregor.lib.1.reg.epist.24. & Seneca 43. ad Lucin. Et quoniam prætextu pietatis,non est impietas committenda. c. nosse. 30.q.1.Et Doctorum ordo est in Ecclesia Dei, quasi præcipuus,& distinctus. supr.c. cum ex iniuncto; cum secundũ Apostolũ;alios Dominus dederit Apostolos,alios Prophetas, alios autem Doctores. 1. ad Corinth. cap.12.& ad Ephes.cap.5.Ideo interdicitur laicis vniuersis,cuiuscumque ordinis censeantur, ne officium prædicandi vsurpare præsumant. vt in tex.& c.adijcimus.16.q.1.

Cap. 15. Excommunicamus, il 2.

EXCOMMVNICATI sunt,& alijs pœnis subijciuntur omnes hæretici,quibuscunque nominibus nominentur.

QVIA licet hæretici habeant facies diuersas, vt varijs nominibus nuncupentur;caudas tamen habent adinuicem colligatas; nam de vanitate conueniũt in idipsum. supr. c.excommunicamus. Et quoniã pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina.dist.45. Ideo excommunicantur, & anathematizantur vniuersi hæretici, quibuscunque nominibus censeantur. Damnati verò per Ecclesiam, sæculari iudicio relinquantur, animaduersione debita puniendi, clericis prius à suis ordinibus degradatis.vt in tex.& l.quicunque.C.de hæret.

§. Si qui.

SI in hæresi deprehensi nolunt redire ad fidem, detrudendi sunt in perpetuo carcere ad pœnitentiam peragendam.

QVIA licet de iure Ciuili carcer non possit assignari ad pœnam, sed ad custodiam.l.aut damnum. §.solent. ff.de pœnis;vt, aut con-

nictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuturna non commaceret.l.1.C.de cust.reor.& præsertim damnatur, ne vinculis perpetuis liber homo contineatur.l.incredibile.C.de pœnis. Tamen quoniam secus est de iure Canonico.c. quamuis. de pœnis in 6. per quod hoc permittitur, considerando, quod Deus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Archid. in d.c. quamuis; iuxta dictum Ezech. cap.18. Ideo statuitur, vt si quis in hæresi deprehensus, redire noluerit ad fidem, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudatur. vt in tex. & c.reperiuntur.1.q.1.

ET credentes erroribus hæreticorum, hæretici sunt.

QVIA hæreticus est is, qui circa ea, quæ sunt fidei, errat per intellectum, & pertinaciter hæret errori per voluntatem. Siluester in summa. verbo, hæresis 1. ex S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 2. Et est is, qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ, principatusque sui gratia, falsas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. c. hæreticus. 24. q. 3. Qui autem sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. c. dixit. 24. q. 3. Et qui in Ecclesia Christi morbidnm aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti vt sanum, rectumqne sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. S. August. contra Manichęos. lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 31. Et quoniam qui credit erroribus hæreticorum, eorum falsas sequitur opiniones. d. c. hæreticus. Ideo credentes hæreticorum erroribus, similiter hæretici iudicantur. vt in tex. & supr. c. excommunicamus.

Cap. 16. Absolutos.

LIBERANTVR ab omni obligatione, qui hæreticis tenebantur adstricti.

QVIA longe grauius est, æternam, quam temporalem lædere maiestatē. supr. c. vergentis. & l. Gazaros. C. eod. Et quoniam reis læsæ maiestatis temporalis, omnia bona, & honores auferuntur, & capitis pœna infertur. l. quisquis. C. ad leg. Iul. ma. Ideo multo magis absolutos se nouerint à debito fidelitatis Domini, & totius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hęresim aliquo pacto, quacunque firmitate vallato tenebantur adstricti. vt in tex. & c. cum secundum, infr. in 6. & S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 2.

In Sexto. Cap. 1. Quoniam.

PROPTER crimen hæresis, clericum in quibuscunque sacris ordinibus constitutum solus eius Episcopus degradare poterit.

QVIA Episcoporum numerus ad degradationem clericorum à canonibus constitutus, vt scilicet, cum proprio Episcopo debeant interuenire alii sex Episcopi, si degradandus sit presbyter, & tres, si sit diaconus, vel subdiaconus. vt in c. si quis, & seq. 15.q.7. non potest de facili conuenire. vt in tex. & si quando interuenire possent, eorum residentia intermitteretur. Conc. Trid. sess. 13. de refor. cap. 4. Et quoniam præsertim contra hæreticos, est prouidendum, ne debita iuris executio differatur. c. resecandæ. 24. q. 3. Ideo conceditur, vt sacerdotē, vel alium clericum in sacris ordinibus constitutum (cum pro hæresi fuerit curiæ sæculari relinquendus, aut perpetuò immurandus) conuocātis Abbatibus, aliisque Prelatis, & religiosis personis, ac literatis suę diœcesis, de quibus expedire videbitur, suus solus Episcopus posit degradare. vt in tex. & c. 2. infr. de pœnis. Et propter eandem rationem, idem statuitur esse obseruandum hodie etiam in aliis casibus degradationis, vt per Conc. Trid. d. cap. 4.

Cap. 2. Quicunque.

EXCOMMVNICATIONEM incurrit sepeliens scienter hæreticos, vel eorum receptatores, defensores, vel fautores.

QVIA quibus non communicamus viuis, non debemus communicare defunctis. c. ex parte, il 2. extr. de sepult. Et quoniam hęreticis, & aliis eorum fautoribus hic enumeratis, qui omnes sunt excommunicati, non communicamus viuis. extr. c. excōmunicamus. & curandum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Ideo quicunque hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum, scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ subiiciuntur. vt in tex. & c. de communione. 24. q. 2.

NISI exhumet eorum corpora.

QVIA sicut quis exhibuit membra sua seruire iniquitati ad iniquitatē, sic exhibere debet illa seruire iustitiæ ad iustitiam. Apost. ad Rom. cap. 6. Et quis puniēdus est in eo, in quo deliquit. c. litteras. extr. de temp. ord. Et quoniā qui hæreticos, & alios excōmunicatos, Ecclesiasticæ tradit sepulturæ, inique facit. c. super quodam. extr. de stat. mon. Ideo qui tales in Ecclesia, vel cœmiterio sepeliunt, sunt excommunicati, & statuitur, vt absolutionis beneficium non mereantur, nisi propriis manibus publi-

publicè extumulent, & proijciant huiusmodi corpora damnatorum. vt in tex.& Clem.1. de sepult. Et intellige tales esse extumulandos, quando ossa ipsorum possunt ab ossibus aliorum discerni, aliàs secus. c. sacris. extr. de sepult.

LOCVS verò priuatur sepultura.

QVIA polluitur Ecclesia, vel cœmiterium, vbi hæretici, vel alij excommunicati sepeliuntur. c. consuluisti. extr. de consecr. eccl. vel alt. Et quoniam locus Ecclesiasticus pollutus, vt in pristinum vsum reuertatur, est reconciliandus. c. proposuisti. d. tit. Ideo statuitur, vt locus ille, dum sic pollutus permanserit, perpetua careat sepultura. vt in tex.& c. vnic. supr. de consecr. eccl. vel alt.

§. Inhibemus.

EXCOMMVNICARI debent laici, publicè, vel occultè disputantes de fide.

QVIA sicut multa sunt membra corporis, omnia verò non eundem actum habent; ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium; nam secundum Apostolum; alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores. 1. ad Corinth. cap.12. Et quoniam si laici disputarent de fide, verendum esset, ne vitia sub specie virtutum occultè subintrarent. extr. c. sicut. Ideo inhibetur, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè, vel priuatim, de fide Catholica disputare. Qui verò contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur. vt in tex.& extr. c. cum ex iniuncto. & S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 7.

§. Hæretici.

NON valet promotio hæreticorum, eis credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum eorum, ad beneficia Ecclesiastica, vel officia publica.

QVIA omnes isti sunt excommunicati, & infames. extr. c. excommunicamus, & l. Manichæos. C. eod. Et quoniam infamibus portæ non debent patere dignitatum. c. infamibus. infr. de reg. iur. & l. infamia. C. de decur. lib.10. Ideo hæretici, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum sunt admittendi; Quod si secus actum fuerit, decernitur irritum, & inane. vt in tex.& extr. c. vergentis.

NEC filiorum suorum, vsque ad secundam generationem.

QVIA longe grauius est, æternam, quàm temporalẽ lædere maiestatem. c. sicut. 17. q. 4. Et quoniam filijs criminosi læsæ maiestatis

 terre-

terrenæ, de misericordia reseruatur vita, sed ipsi nulla bona possunt habere, vel accipere ex aliqua successione intestati, vel testati, & perpetuò sunt infames, & ab omnibus honoribus, & officijs exclusi. l. quisquis. C. ad leg. Iul. ma. Ideo multo magis filij hæreticorum, qui diuinam læserunt maiestatem, à beneficijs Ecclesiasticis, & publicis officijs debent esse exclusi. vt in tex. & infr. c. cum secundum.

§. Ad hæc.

PRIVATI sunt, habentes beneficia Ecclesiastica ad preces hæreticorum, & inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, si scienter talia receperunt.

QVIA hæresis est crimen horribile, ac maximè detestandum. d. c. cum secundum. Et quoniam propter immanitatem criminis, imponenda est pœna non solum, vt gratia impetrata, mediante illo criminoso, de quo si Princeps sciuisset, gratiam non concessisset, sit nulla; sed etiam, vt qui deliquerunt, tali medio infecto vtentes, similia in posterum habere non possint. c. si alicuius. extr. de elect. Ideo statuitur, vt quicunque viri Ecclesiastici, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & quæcunque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, sint priuati taliter acquisitis, & quod illis careant perpetuo; & si receperunt ea scienter, ad alia, vel similia, nequaquam in posterum admittantur. vt in tex. & c. ad abolendam. extr. de fil. presb.

§. Illorum.

NVLLA est emancipatio filiorum, vel subditorum, per hæreticos facta, etiam si postea vitium detegatur.

QVIA crimen hæresis, etiam antequam per Ecclesiam sit declaratum, liberat filium à patria potestate. infr. c. cum secundum. cum propter eius atrocitatem non sit dignum, vt filij remaneant in parentū hæreticorum potestate. vt in tex. Et quoniam emancipatio non potest fieri, nisi de illo, qui sit subiectus potestati emancipantis. §. præterea. Instit. quib. mod. iur. patr. pot. sol. Ideo illorū filiorū emancipatio, quorum parentes, post emancipationē etiā huiusmodi, apparuerit ante ipsā à via veritatis ad hæreticæ superstitionis inuiū declinasse, nullius est momēti, veluti facta de hominibus sui iuris. vt in tex. & Auth. Gazaros. C. eod.

Cap. 3. Filij.

FILII, vel hæredes petentium in infirmitate sua hæreticorum consolationem, non admittuntur ad probandum, quod non sana mente, vel perdita loquela, susceperint, si constat, quod erant sanæ mentis, vel si prius suspecti, vel diffamati erant de hæresi.

QVIA

QVIA recipiens consolationem ab hæreticis, si est sanæ mentis, potest dici credens hæreticis; & sic etiam ipse iudicatur hæreticus. supr.c.prox.§.1.Et quoniã per istas præsumptiones, quę sunt contra eum, est suspicio, quod filij, vel eius hæredes velint probare excusationem in contrarium, non quod illa sit vera, sed vt ipsi succedant in illius hæreditatem. Gemin.hic. Ideo tales ad ista probandum tunc non admittuntur. vt in tex.& infr.c.cum secundum.

ALIAS admittuntur, scilicet per testes fide dignos, non suspectos.

QVIA tunc cessat illa præsumptio de hæresi, quæ aliàs ex tali facto insurgeret contra eos. Archid.hic.Sed quoniam inter domesticos facile quid confingitur. c.veniens, il 2.extr.de testib.& l.data. C.de donat. & multi fingunt furorem, vt excusentur. c.indicas.3.q.9. & l. obseruare.ff.de cur.fur. Ideo in tali casu admitti poterunt prædicti filij, vel hæredes ad probandum præmissa; non tamen per vxores, filios, familiares, vel de suis aliquos; sed per testes alios fide dignos, & specialiter fidei zelatores. vt in tex.& c.si testes.4.q.3.

Cap. 4. Super eo.

RELAPSI in hæresim, sunt tradendi curiæ sæculari, licet pœniteat eos, & ad fidem redeant; non tamen denegantur eis sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

QVIA Ecclesia secundum Domini institutionem, charitatem suam extendit ad omnes, non solum amicos, verùm etiam inimicos, & persequentes, secundum illud Matth. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. cap.5. Pertinet autem ad charitatem, vt aliquis bonum proximi, & velit, & operetur; est autem duplex bonum; vnum quidem spirituale, scilicet salus animæ, quod principaliter respicit charitas; hoc enim quilibet ex charitate debet alij velle; vnde, quantum ad hoc, hæretici reuertentes quotiescunque relapsi fuerint, ab Ecclesia recipiuntur ad pœnitentiam, per quam impenditur eis via salutis. Aliud autem est bonum, quod secundariò respicit charitas, scilicet bonum temporale, sicut est vita corporalis, possessio mundana, & bona fama, & dignitas Ecclesiastica, siue sæcularis. Hoc enim non tenemur ex charitate alijs velle, nisi in ordine ad salutem æternam, & eorum, & aliorum. Vnde si aliquod de huiusmodi bonis existens in vno, impedire possit æternam salutem in multis, non oportet, quod ex charitate huiusmodi bonum ei velimus, sed potiùs, vt velimus eum illo carere; tum quia salus æterna præferenda est bono temporali; tum quia bonum multorum præfertur bono vnius. S.Thom.2. 2. q.11.art.4. Et quoniam si hæretici reuertentes, semper reciperentur, vt conseruarentur in vita, & alijs temporalibus bonis, posset in præiudicium salutis aliorum hoc

 esse;

esse; tũ, quia si relaberentur, alios inficerent; tum etiã, quia si sine pœna euaderent, alij securius in hæresim laberentur; Dicitur enim Eccl. Etenim, quia non cito profertur contra malos sent entia, absque timore vllo filii hominum perpetrant mala. c. 8. Ideo Ecclesia primò reuertentes ab hæresi, non solum recipit ad pœnitentiam, sed etiam conseruat eos in vita, & interdum restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant, si videantur verè conuersi; & hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum. Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur esse signum inconstantiæ eorum circa fidem; & ideo vlterius redeuntes, recipiuntur quidem ad pœnitentiam, non tamen vt liberentur à sententia mortis. vt in tex. & extr. c. ad abolendam. & S. Thom. d. art. 4.

Cap. 5. In fidei.

EXCOMMVNICATI, participes, & socij criminis admittuntur in testes contra hæreticos, si sciunt verisimiliter veritatem deponere.

QVIA hæresis est crimen cæteris grauius, horribilius, ac detestabilius. infr. c. cum secundum. Et quoniam in detestationem huiusmodi criminum grauissimorum, admittuntur testes etiam aliàs inhabiles, si non sit verisimile, quod dicant mendacium. c. tanta. extr. de simon. Ideo in fidei fauorem, & in odium hæresis, conceditur, vt in negotio inquisitionis hæreticæ prauitatis, excommunicati, & participes, vel socii criminis, ad testimonium admittantur; præsertim in probationum aliarum defectum, contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defensores eorum, si ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum (tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur) qualitate, ac aliis circunstantiis, sic testificantes, falsa non dicere præsumantur. vt in tex. & c. si hæreticus. 2. q. 7.

Cap. 6. Præsidentes.

ORDINARII, vel eorum delegati, & inquisitores, sine pœna excommunicationis facere habent executionem iustitiæ contra hæreticos per habentes iurisdictionem sæcularem in loco; licet excommunicati sint, vel de facto tantum illam iurisdictionem possideant.

QVIA adhibenda est summa diligentia, vt hæreses, quamcitius fieri potest, extirpentur. c. resecandæ. 24. q. 3. Et quoniam si pro executione iustitiæ contra hæreticos, ab ecclesiasticis iudicibus, & officialibus, semper esset recurrendum ad eum, cui de iure sæcularis iurisdictio in illo loco spectat, sæpe illa executio nimium protraheretur, & in-

terim

terim ibi fides detrimentum pateretur. vt in tex. & extr. c. excommunicamus. Ideo in fidei fauorem, præsidentes regimini alicuius regni, prouinciæ, siue loci (licet excommunicati, vel de facto tantum, & non de iure iurisdictionem habentes, ac eorum officiales, ad requisitionem ordinariorum, vel delegatorum ipsorum, aut inquisitorum hæreticæ prauitatis, non valentium sine moræ dispendio, vel negotij periculo, recursum habere ad Superiores, qui legitimè in locis ipsis possint iustitiam exequi) possunt, & debent contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defensores eorum, iustitiam, & suum officium exercere; Nec requirentes huiusmodi excommunicatos, propter hoc sententiam excommunicationis incurrunt; Non tamen præsidentibus prælibatis, vel officialibus eorundem, propterea in alijs casibus intelligitur concessum aliquid, vel permissum. vt in tex. & c. administratores. 23. q. 5.

Cap 7. Cum contumacia.

EXCOMMVNICATVS propter contumaciam non respondendi super hæresim, de qua erat suspectus, post annum damnatur vt hæreticus.

QVIA contumacia (in causa præsertim fidei) suspicioni præsumptionem adijcit vehementem. vt in tex. ita vt illa, quæ erat vehemens suspicio, per contumaciã transeat in violentam præsumptionem. extr. c. excommunicamus, il 1. §. qui autem, & ibi glos. Qui enim iudicium refugit, apparet eum de iustitia diffisum. c. Christianis. 11. q. 3. Et quoniam ex violenti præsumptione, quis potest de delicto, de quo imputatur, condemnari. c. literis. extr. de præsumpt. Ideo si suspectus de hæresi, vocatus à competenti Superiore, vt de fide respondeat, excommunicationis vinculo (pro eo, quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat) per illum fuerit innodatus, quam si per annum animo sustineat pertinaci; ex tunc velut hæreticus condemnetur. vt in tex. & c. rursus. 11. q. 3. & Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3.

Cap. 8. Accusatus.

ABIVRANS in iudicio hæresim propter vehementem præsumptionem, si iterato labitur (licet non fuisset probatum plenè) relapsus dicitur; secus si leuis erat præsumptio.

QVIA licet solum propter vehementem præsumptionem, quis non possit dici verè lapsus in hæresim, ex eo, quod de lapsu non plene constat. sup. c. prox. & vbi non fuit lapsus, non potest dici relapsus. glos. hic ver. fictione. Tamẽ quoniam huiusmodi præsumptio plus facit, quàm semiplena probatio, & talis plus habet de lapsu, quàm de eius contrario; quod secus est, si præsumptio erat leuis. Io. Monach. hic. Et quando

ali-

aliquid potest iudicari secundum minus potens, & magis potens, attenditur magis potens. l. quæritur. ff. de stat. hom. & in dubijs via tutior ad fidei fauorem, & animarum salutem, est eligenda. c. ad audientiam. extr. de homicid. Ideo accusatus de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio orta erat, si hæresim in iudicio abiurauit, postea committit in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus; licet ante abiurationem suam, hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum: Si autem leuis, & modica suspicio illa fuerit (quanquam ex hoc sit grauius puniendus) non tamen debet in hæresim relapsorum pœna puniri. vt in tex. & ext. c. ad abolendam.

§. Eum verò.

CVLPABILIS in vno articulo hæresis, generaliter postea abiurando, relapsus dicitur, si committit etiam in alium articulum separatum.

QVIA omnes hæreses sunt connexæ, cum habeant caudas adinuicem colligatas, & de vanitate conueniant in idipsum. extr. c. excommunicamus, il 2. Et quoniam de connexis idem est iudiciū. c. translato. extr. de constit. Et per vnum membrum, in totum corpus diffunditur macula. c. sed & illud. 26. q. 2. Et quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Iacob. Apost. cap. 2. Ideo is, qui in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento errauit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit; si ex tunc in aliam etiam hæresis speciem, siue sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, vt relapsus in hæresim est iudicandus. vt in tex. & c. ego Berengarius. de consecr. dist. 2.

§. Ille quoque.

QVI post abiurationem hæresis, de qua conuictus fuerat, vel postea conuincitur facto, vel verbo, hæreticis communicat in rebus hic prohibitis, relapsus dicitur.

QVIA contra abiurationem factam, directè, vel indirectè quis venire non debet; & in tantum debet odire hæreticos, quòd nullàm concomitantiam cum illis habeat. c. odi. 24. q. 1. Et quoniam talem ex approbati à se prius erroris consequentia, non est dubium, id fecisse. vt in tex. Ideo ille, de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticos acceptet, deducat, visitet, siue associet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non possit, meritò debet iudicari relapsus. vt in tex. & extr. c. ad abolendam.

§. Licet.

§. Licet.

TESTIS in causa hæresis, falsum deponens, licet periurus sit, probat, dicendo contrarium; dum tamen ex indicijs constet dictum non corruptionem, sed veritatem continere.

QVIA crimen hæresis est de maioribus, & exceptis. infr.c.cum secundum. Et fides est maxime fauorabilis. c.1. de sum.Trin. Et quoniam in detestationem huiusmodi grauissimorum criminum, admittuntur testes etiam aliàs inhabiles, si non sit verisimile, quod dicant falsum. c.tanta.extr.de simon. & summa est ratio, quæ pro religione facit.l.sunt. ff.de relig. & sumpt. Ideo licet periuri, à testimonio, etiam post pœnitentiam, repellantur. c.testimonium. extr.de testib. & c.quicunque. 6. q. 1. si tamen ij, qui coram inquisitoribus iurantes, tam de se, quàm de alijs super facto hæresis dicere veritatem, eam celando deierent, & postmodum velint corrigere dictum suum, contra se, ac alios suos complices deponendo; cum crimen huiusmodi sit exceptum, si ex manifestis indicijs apparuerit, tales non animi leuitate, aut odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed zelo fidei orthodoxæ, dictum suum velle corrigere, ac modo (quæ prius tacuerant) reuelare in fauorem fidei, nisi aliud obsistat) stari debet, tam contra se, quam contra reliquos, attestationibus eorumdem. vt in tex.& sup.c.in fidei.

§. Sanè.

INQVISITORES super hæresi deputati, non se intromittunt de diuinationibus, vel sortilegijs nõ sapiẽtibus hæresim manifestam.

QVIA negotium fidei (quod summè priuilegiatum existit) per occupationes alias non debet impediri. vt in tex. Et quoniam si inquisitores se intromitterent in huiusmodi casibus, quando non sapiunt hæresim, non ita diligenter in causis fidei versarentur. glos. ver. offendiculum. Ideo inquisitores hæreticæ pestis à Sede Apostolica deputati, de diuinationibus, aut sortilegijs (nisi hæresim saperent manifestè) intromittere se non debent, nec punire talia exercentes, sed eos relinquere suis iudicibus puniendos. vt in tex.& infr. Clem.1. Quando autem sapiant hæresim, vide glos.hic. ver.saperent.& Oldr.cons.208.

§. De quæstionibus.

INQVISITORES hæresis, de quæstionibus vsurarum se intromittere non possunt.

QVIA curandum est, ne per causas huiusmodi, offendiculum negotio fidei præparetur. vt in tex. Et quoniam pluribus intentus, minor est ad singula sensus; & sæpe qui ad vtrunque festinat, neutrum bene peragit.c.presbyteros.16.q.1.& l.nemo. C.de assessor. Ideo inquisito-

res hæresis de quæstionibus vsurarum motis, & contra illos, quibus restitutionem vsurarum in pœnitentia pro hæresis crimine iniunxerunt, ac illi se, & sua ad hoc faciendum in iudicio Ecclesiæ obligarunt, intromittere se non possunt. vt in tex.& infr. Clem. 2. Et sic commissio super hæresi, quantumcunque sit fauorabiliter prosequenda, non debet ad casus hæresim non sapientes manifestè extendi, sed hi casus suis iudicibus relinquuntur puniendi. Io. Mon. hic.

§. Si verò.

INQVISITORES possunt compellere hæredes fautorum hæreticorum (qui tamen hæretici non erant) ad implendam pœnitentiam iniunctam in bonis temporalibus.

QVIA hæredes, adeundo hæreditatem, videntur ex quasi contractu se obligare ad ea, ad quæ tenebatur defunctus.c.fin. ext.de sepult.& l. ex depositi.C. de act.& obl. Et quoniam pœnitentia iniuncta in bonis temporalibus, videtur ipsis bonis tanquam onus inhærere, & per ipsos hæredes bene potest adimpleri. glos.ver.temporalibus. Ideo si pro ijs, quæ in hæresi receptando, vel defendendo hæreticos, seu eis fauendo, non tamen existens hæreticus, quis commiserit, sub obligatione bonorum suorum inquisitoribus se adstrinxit ad recipiendam ab eis pœnitentiam, & complendam; & ea licet iniuncta, non tamen peracta, decessit, si per huiusmodi pœnitentiam onus impositum fuerit proficiens ad salutem, in bonis eius temporalibus exequendum, vel complementum ipsius, per inquisitores cogi debent hæredes, vel alij, ad quos cum suo onere bona huiusmodi deuenerunt. vt in tex. & c. à nobis, il 2.extr. de sent.excom.

SECVS si mortui sint, antequam fuerit pœnitentia iniuncta.

QVIA ex quo isti fautores non erant hæretici. vt in tex. & sic non erant in crimine excepto, vt etiam post mortem posset contra eos inquiri, sicut fit contra hæreticos.infr.c.cum secundum; remanet regula communis, qua cauetur, quod crimina morte extinguuntur. c. quorundam. dist.23. & l. fin. ff.de bon.eor. qui an.sen.mor. sibi consc. Et quoniam de crimine extincto hæres non tenetur.l.si pater. C. ne de stat. defun. & defunctus, qui de peccatis non egit pœnitentiam in hoc sæculo, illam faciet in alio, temporalem si in purgatorio, æternam autem si in inferno.c.qualis. dist. 25. Ideo si propter huiusmodi hæreticorum receptationem, defensionem, seu fauorem, quis ad faciendam pœnitentiam, quam inquisitores ipsi iniungere vellent, bona sua obligauerit eisdem, & antequam ei pœnitentia iniungeretur, decesserit; eius hæredibus non est satisfactio pro extincto iam crimine iniungenda. vt in tex. & c. sanè. 24. q. 2.

§. In

§. In eo.

POST mortem hæretici, declarari potest eum hæreticum fuisse, ad finem confiscandi.

QVIA longè grauius est, æternam, quàm temporalem offendere maiestatem. extr.c.vergentis. Et quoniam in crimine læsæ maiestatis terrenæ, etiam post mortem criminosi potest procedi, vt eo conuicto, ipsius memoria damnetur, & eius bona successori eius eripiantur, nam in ipso criminis exordio, perdit ipso facto omnium suarum rerum administrationem. l.fin. C.ad leg. Iul.ma. Ideo multo magis hæreticus tale debet subire iudicium, vt in eo casu, quo hæredes ad successionem non debent ob hæresim sui auctoris admitti;non obstante,quòd auctore ipso viuente,hoc non fuerit (interueniente ipsius morte) per sententiam declaratum, ad confiscationem bonorum post mortem eiusdem, nihilominus procedatur. vt in tex. & l. Manichæos. C. de hæret. Et hoc intellige, vsque ad 40. annos, si illius hæredes sint catholici.c.si qui. sup. de præscript.

§. Sacerdotes.

CLERICI instruentes testes, ne inquisitores veritatem inuestigent, puniri possunt per eos.

QVIA tales dicuntur fautores hæreticorum. vt in tex. Et quoniam inquisitores huiusmodi habent facultatem puniendi,ne dum hæreticos,sed etiam eorum fautores. infr. Clem. 1. & cui committitur aliqua causa, ei omnia censentur commissa, sine quibus causa illa commodè expediri non potest. c.præterea.extr.de offic.deleg. Ideo sacerdotes, & alij clerici, qui negotium inquisitionis, instruendo citatos hæreticos, vel eorum credentes, de celanda veritate, vel dicenda falsitate, seu eos indebitè liberando, inuenti fuerint impedire (cum non sit dubium, eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis) per inquisitores à talibus compesci possunt, & pœna debita castigari, tam per captionem personarum, quàm aliàs, prout culpa exegerit delinquentis. vt in tex.& infr. c. vt officium.

ET religiosi grauius puniantur.

QVIA religiosi in talibus delinquentes, cæteris paribus, grauius peccant. S.Thom.2.2.q.186.art.fin. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c.non afferamus.4.q.1. Ideo religiosi sunt immurationis pœna, vel alia grauius puniendi, quàm sæculares, si inuenti fuerint in hæresi, vel consimilibus deliquisse. vt in tex. & c. sed nec. extr. ne cler. vel mon.

Cap.

Cap. 9. Statutum, il 1.

NON valent statuta, per quæ inquisitoris hæresis officium impeditur, vel retardatur.

QVIA per huiusmodi statuta impediretur fauor fidei,& immunitas ecclesiastica turbaretur.sup.c.in fidei, & c.fin. sup.de immun. eccl. Et quoniam fauor fidei est ampliandus. c. 1. de sum. Trin. Et statuta laicorum, quæ derogant priuilegijs Ecclesiæ,non valent.c.nouerit. extr.de sent.excom. Ideo statutum ciuitatis, castri, villæ, vel alterius loci, per quod negotium inquisitionis hæreticæ prauitatis, directè, vel indirectè, ne in eo liberè procedi valeat, contigerit impediri, vel quomodolibet retardari, nullius existit firmitatis. Ipsiusq. ciuitatis,vel loci dominum, potestatem, capitaneum, consules, vel rectores, per quem, vel quos, eadem ciuitas, seu locus regitur, quocunque nomine censeantur, ad statutum huiusmodi loci diœcesano, vel eius vicario, aut inquisitori, seu inquisitoribus labis præfatæ, sine moræ dispendio exhibendum: & si tale inuentum fuerit, reuocandum omnino, vel saltem eatenus moderandum, quod per illud inquisitionis processus non impediantur, vel aliquatenus retardentur, per censuram Ecclesiasticam decernitur compellendos. vt in tex. & infr.c.vt inquisitionis.

Cap. 10. Ne aliqui.

OFFICIVM inquisitoris hæresis, morte concedentis non expirat, etiam quo ad negotia prius non cœpta, vel exorta.

QVIA quando Papa Vicarius Dei delegat causam Domini sui, vt est causa fidei,plus debet esse priuilegiata commissio,quàm quando delegat causas subditorum. Io.Mon.hic. Et quoniam regulare est, vt si delegatus citauerit ante mortem concedentis, sit perpetuata eius iurisdictio. c.gratum.extr.de offic. deleg. licet secus sit,si adhuc res sit integra, & non facta citatio.c.licet.d.tit.Ideo,vt aliquid sit speciale in fauorem fidei, cuius interest, vt inquisitoris iurisdictio perpetuetur, ne aliqui dubitationem solicitam excitantes, in dubium reuocent, an officium inquisitionis hæreticæ prauitatis, alicui intra certos limites ab Apostolica Sede commissum, expiret per mortem Romani Pontificis, qui commisit; præsenti edicto declaratur, ipsum officium non solùm quoad negotia, viuente mandatore, incœpta, imò etiam quoad integra, & non cœpta, & quod plus est, quantum ad ea, quæ tunc nequaquam emerserant, in fauorem fidei, post committentis obitum perdurare. vt in tex.& infr.c.per hoc.

Cap. 11. Vt officium.

INFORMAT inquisitores ad Deum, vt eius timorem hominum

num metui anteponant, in procedendo simul, vel separatim contra hæreticos, & suos fautores, etiam in eos absoluendo, cum verè redierint.

QVIA iuxta dictum Euangelii: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Matth. cap. 10. & obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Act. Apost. cap. 5. Et quoniam efficacius ea, quæ ad Dei seruitium, & fidei fauorem spectant, inquisitores adimplebunt, si non solùm simul, sed etiam separatim procedere valeant. glos. ver. separatim. Et ignoscendo, & plectendo, hoc solùm bene agitur, vt vita hominum corrigatur. c. prodest. 23. q. 5. Ideo licet delegati regulariter diuisim procedere non possint, nisi hoc in forma commissionis habeatur. c. cum causa. extr. de offic. deleg. & l. duo ex tribus. ff. de re iud. tamen, vt officium inquisitionis contra hæreticos in prouincia, in qua inquisitoribus idem officium est commissum auctoritate Apostolica, possint efficacius adimplere, eis per Apostolica scripta mandatur, quatenus vbique in illa prouincia, simul, vel separatim, aut singulariter (prout negotij vtilitas suadebit) contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, necnon contra infamatos de hæresi, vel suspectos, iuxta sanctiones canonicas (hominum metu, diuino timori, postposito) procedant. Si verò aliquis ex prædictis hæretica labe primitus abiurata, redire voluerit ad Ecclesiæ vnitatem, ei, iuxta formam Ecclesiæ, absolutionis beneficium impendant, & iniungant eidem, quod iniungi talibus consueuit; prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & eos (imò seipsos) fallentes sub agni specie lupum gerant. vt in tex. & infr. Clem. 1. Vnde in modo procedendi, inquisitores in hoc casu ordinarijs æquiparantur. Io. Mon. hic. quorum quilibet per se procedere potest. l. 1. ff. de offic. cons. & l. Pomponius. ff. de re iud.

§. Verùm.

INSTRVIT inquisitores, in modo examinationis testium, & in personis, quæ testificata scribere debeant.

QVIA in tam graui crimine, cum multa oportet cautela procedi. vt in tex. ibi enim est cautius consulendum, vbi maius vertitur periculum. c. vbi. sup. de elect. & cum ibi sit diligentius examinandum, vbi de salute hominis agitur. l. additos, & l. in causis. C. de appell. hic est diligentissime, cum ne dum de hoc crimine contra viuentem, sed etiam contra defunctum, & quo ad bona, etiam contra hæredes, sententia lata habeat vires suas. extr. c. vergentis. & sup. c. accusatus. Et quoniam integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur. c. prudentiam. extr. de offic. deleg. & quod à pluribus sapientibus quæritur, facilius

facilius inuenitur. c.de quibus. dist.20. Ideo vt in reos sine vllo proferatur errore, duræ, ac dignæ seueritas vltionis, mandatur, vt in examinatione testium, quos recipi super crimine hæresis, ipsumq. contingentibus oportuerit, inquisitores adhibeant duas religiosas, & discretas personas, in quarum præsentia per publicam (si commode possunt habere) personam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorundem depositiones testium conscribantur. Ad conscribendas quoque huiusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia, quæ in commisso ipsis officio ad scriniarij, seu tabellionis officium pertinent, teneri districtè præcipitur, cum per ipsos fuerint requisiti, omnes, & singulos eorum ordinis fratres, qui dum essent in sæculo, tabellionatus officium habuisse, aut exercuisse noscuntur, & illos etiam, quibus idem tabellionatus officium ratione præfati negotij fidei, fuit ab Apostolica Sede commissum, & in posterum committetur; & conceditur potestas huiusmodi fratribus, necnon & alijs religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in sæculo, tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt, quibusuis etiam clericis sæcularibus officium ipsum habentibus (etiam si ijdem fratres, religiosi, & clerici sint in sacris ordinibus constituti) exercendi liberè officium ipsum quo ad præmissa, non obstante statuto aliquo contrario canonis, vel ordinis, quocunque vallato munimine. vt in tex. & infr. Clem. 1. Et ad hæc vide constit. Pij IV. incip. Pastoralis. Dat. 6. Kal. Sept. anno eius 2.

§. Compescendi.

INSTRVIT inquisitores, circa personas, per quas impediri posset, vel differri inquisitionis officium.

QVIA negotium fidei, cui inquisitores intendunt, summè priuilegiatum existit. sup. c. accusatus. §. sanè. Et quoniam magis priuilegiatum, est anteponendum minus priuilegiato. c. volentes. extr. de offic. leg. Ideo compescendi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, prædicatores quæstuarios (vbi contigerit pro inquisitionis, seu fidei negotio, congregationem fieri, vel aliàs eidem negotio quomodolibet ex hoc impedimentum aliquod afferri) à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet (quorum interest tantùm charitatiua subsidia suppliciter petere, ac indulgentiam, si fortè habent, exponere) libera ipsis inquisitoribus, & singulis eorum, conceditur auctoritate præsentium facultas. Denique, vt circa præmissa plenè ipsis inquisitoribus, & singulis eorum coerctionis expedita, & inuiolabilis adsit auctoritas; conceditur, vt ea omnia viriliter exequantur (si opus fuerit) inuocato auxilio brachij sæcularis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus aliquibus priuilegijs, &c. Et insuper statuitur, vt rectores sæculares, ad requisitionem diœcesanorum, vel vicariorum suorum, seu inquisitorum hæreticæ prauitatis, præcisè iurent obseruare, ac

ac facere à suis subditis obseruari, toto tempore sui regiminis, constitutiones editas cõtra hæreticos, & eorũ fautores; aliàs sint infames, & tanquam hæreticorum fautores, officio sui regiminis spolientur, nec vlterius ad alia admittantur. vt in tex. & extr.c. excommunicamus, il 1. Et quo ad prædicatores quæstuarios, vide Conc. Trid. quod eos omnino sustulit, sess. 5. de refor. cap. 2. §. fin. & sess. 21. de refor. cap. 9.

Cap. 12. Vt commissi.

COMPREHENDIT ista decret. pluria vtilia pro expediendo officio Inquisitorũ; dat enim eis potestatem committendi citationes, & sententiarum denuntiationes; dat potestatem vocãdi peritos, clerum, & populum, vt eis assistant; dat potestatem procedendi contra illos, qui de sua in aliam Prouinciam se transtulerunt; dat potestatem repetendi libros, & processus; commutandi, & mitigandi pœnas; priuandi, & priuatos nuntiandi, officijs, & honoribus hæreticos, fautores, & defensores eorum; ita tamen, quòd hoc fiat de diœcesanorum, vel in eorum absentia vicariorum suorum consilio; nisi ijdem scienter talibus beneficia contulissent.

QVIA isti Inquisitores pro fidei augumento, contra hæreticorum prauitatem, à sede Apostolica deputantur. infr. Clem. 1. Et quoniã negotium fidei est summè priuilegiatum. supr. c. accusatus. Et illam quisque defendere tenetur. c. nolite, il 2. 11. q. 3. Ideo vt commissi eis officij debitũ, ipsi Inquisitores vtilius, & vberius exequantur, ab ipsa Apostolicà Sede his priuilegijs, & facultatibus muniuntur. vt in tex. & supr. c. prox.

Cap. 13. Contra.

CHRISTIANI ad Iudaismum transeuntes, & redeuntes, hæretici reputantur.

QVIA hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 1. Et hæreticus est is, qui circa ea, quæ sunt fidei, errat per intellectũ, & pertinaciter hęret errori per voluntatẽ. c. dixit. 24. q. 3. Et Siluester in sum. verb. hæresis 1. Et quoniã ad articulos fidei Christianæ, inter cæteros pertinet credere Sanctissimam Trinitatem, & Christũ incarnatũ. S. Athanas. in symbolo. quos articulos Iudæi non credunt. c. in nonnullis. extr. de Iudæis. Ideo cõtra Christianos, qui ad ritũ transierint, vel redierint Iudæorũ (etiam si huiusmodi redeuntes, dũ erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolutè, aut præcisè coacti, baptizati fuerunt) erit, tanquam contra hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Iudæos conuicti; Et sicut contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum; sic contra fautores, receptatores, & defensores

talium est procedendum. vt in tex. & extr. c. quidam. de apostat. & l. 1. C. de apost.

Cap. 14. Decreuit.

NON confiscantur dotes vxorum innocentium, propter hæresim maritorum.

QVIA dotes mulierum sunt multum priuilegiatæ; & principaliter traduntur pro sustentatione ipsarum mulierum. l. 1. C. ne vxor pro mar. Et quoniam non debet aliquis alterius odio prægrauari. c. non debet. infr. de reg. iur. Ideo propter hæresim maritorum, vxorum catholicarum dotes non debent confiscari. Quod est intelligendum, nisi fortè mulieres ipsę cum viris matrimonia contraxissent, quos hæreticos tunc sciebant. vt in tex. & l. 2. C. d. tit. si autem mulier contraxisset cum eo, quem sciebat hæreticum, tunc amittit dotem. vt in tex. nam per hoc tunc videtur tali hæretico fauere. Archid. hic. & sic non debet iuuari, sed puniri de facto, in quo deliquit. supr. c. vt commissi, in fin.

Cap. 15. Statutum, il 2.

FILII hæreticorum vsque ad secundam lineam paternam, ad primam verò maternam, sunt inhabiles ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium sæculare, si patres ante mortem, Ecclesiæ reincorporati non fuerint.

QVIA longe grauius est, æternā, quàm temporalē lædere maiestatē. extr. c. vergentis. Et quoniam filii eius, qui est reus læsæ maiestatis, priuatur successione bonorū, tā ex parte patris, quàm ex parte matris. l. quisquis. C. ad leg. Iul. ma. Et quo ad honores, filii sequūtur lineā paternā, non maternā. Instit. de legit. agn. tut. §. 1. & l. cū legitimè. ff. de stat. hom. Ideò statutū Innocentii Tertij, & Alexandri Quarti Summorū Pontificū, ne, videlicet, hæretici, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumq; filii vsq; ad secundam generationē ad aliquod beneficiū Ecclesiasticū, seu publicū officiū admittantur, quod si secus actū fuerit, sit irritum, & inane. vt extr. in c. excōmunicamus, il 2. & supr. c. quicunq; primum, & secundū gradum, per paternam lineam comprehendere declaratur; per maternā verò, ad primū duntaxat mandatur hoc extendi. Hoc sanè de filijs, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum huiusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur; non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ vnitati, & pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ, pœnitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter prosecutioni eius insistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem. vt in tex. & c. vbicunque. infr. de pœnis.

Cap.

Cap. 16. Inquisitores.

INQVISITOR Papæ super hæresi, sine speciali mandato, non inquirit contra Episcopum.

QVIA Pontificali dignitate præditis, ob reuerentiam sacri officij, quod exercent, plurimum deferri conuenit, & eos plus alijs honorari decet. c. 2. supr. de offic. deleg. Et quoniam ea, quæ speciali nota sunt digna, nisi specialiter notentur, videntur studiosè omissa. l. item apud. §. hoc edictum. ff. de iniur. Et in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. c. in generali. infr. de reg. iur. Et periculosum est Episcopis, & eorum superioribus, propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit, vt in aliquo casu, interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto. c. quia. infr. de sent. excom. Ideo Inquisitores hæreticæ prauitatis ab Apostolica Sede, seu alio, vel aliis quibuslibet, deputati, de huiusmodi crimine inquirere contra Episcopos nequeunt, aut eius prætextu procedere contra eos; nisi in litteris commissionis Apostolicæ, quod hoc possint, contineatur expresse. vt in tex. & infr. Clem. 1.

SED si eum culpabilem sciuerit, nuntiabit Papæ.

QVIA Papa est ordinarius omnium. c. ad Romanam. 2. q. 6. Et quoniam maximum periculũ insurgeret, si Episcopus tali enormissimo crimine laboraret. c. irrefragabili. extr. de offic. ord. & ex eo veniret deponendus, & alijs pœnis afficiendus. extr. c. ad abolendã. Et causæ, in quibus tractatur de depositione Episcoporũ, sunt de maioribus causis, quæ in signum præeminentiæ singularis, ipsi summo Pontifici reseruantur. c. fin. extr. de transl. Episc. Ideo si Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios superiores Prælatos sciuerint, vel inuenerint circa crimen hæreseos commisisse, aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicæ nuntiare. vt in tex. & infr. Clem. 2. & ad hæc Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 5.

Cap. 17. Per hoc.

NON derogatur ordinarijs super processu hæreticorum, licet Papa generaliter alteri deleget; Et super eodẽ facto, Episcopus, & Inquisitor possunt procedere cõmuniter, vel deuisim, et simul proferre sententiã, in qua si discordant, debent Papæ referre. Et Episcopi qualitercunq; procedant, debent seruare modũ Inquisitoribus impositum.

QVIA negotium fidei est maximè fauorabile. supr. c. in fidei. Et quoniam per huiusmodi modum procedendi, cautius, & facilius, tam ordinarius, quàm Inquisitor faciunt ea, quæ spectant ad hæreses extirpandas, & ad fidei augmentu m procurandum. vt in tex. & infr. c.

 prox.

prox. præsertim cum facilius inueniatur, quod à pluribus senioribus quæritur. c. de quibus. dist. 20. & firmius est iudicium, quod plurium sententijs cõfirmatur. c. prudentiam. extr. de offic. deleg. Ideo per hoc, quod negotium hæreticæ prauitatis alicui, vel aliquibus ab Apostolica Sede generaliter in aliqua prouincia, ciuitate, vel diœcesi delegatur, diœcesanis Episcopis, quin & ipsi auctoritate ordinaria, vel delegata (si habẽt) in eodem procedere valeant negotio, Summus Pontifex non vult derogari. Verùm, vt dictum inquisitionis negotium, efficacius, melius, vtiliusque procedat; concedit, quod per Episcopos ipsos, & per Inquisitores, de facto eodem inquiri valeat communiter, vel diuisim; & si diuisim processerint, teneantur sibi inuicem communicare processus, vt per hoc possit melius veritas inueniri; & nisi hoc casu Inquisitores in sententiæ prolatione diœcesanis, vel è contra, duxerint deferendum, per vtrosque simul sententia proferatur; in qua ferenda, si non conuenerint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur. Siue autem ordinaria, siue delegata Episcopi potestate procedant; illum in procedendo modum obseruent, quem Inquisitores possunt, & debent, per iura communia, vel per speciales concessiones, seu ordinationes Sedis Apostolicæ obseruare. vt in tex. & infr. Clem. 1. & ad hæc vide Zanchinum tract. de hæret. cap. 15. & Repert. inquisitor. verbo, Episcopus.

Cap. 18. Vt inquisitionis.

EPISCOPIS, & Inquisitoribus hæresis, non resistant, sed omnino pareant domini temporales.

QVIA curandum est, vt inquisitionis negotium contra hæreticam prauitatem, ad Dei gloriam, & augumentum fidei prosperetur. vt in tex. & supr. c. in fidei. Et quoniam vtraque potestas, scilicet ecclesiastica, & sæcularis, debet se adinuicem adiuuare, vt mali extirpentur, & Ecclesia Dei innoxia conseruetur. c. principes. 23. q. 5. Ideo domini temporales, & eorum iudices debent super fidei negotiis auxilium præstare, & parere Episcopis, & inquisitoribus contra hæreticam prauitatem deputatis. vt in tex. & infr. c. prox.

ET de eo crimine non cognoscant.

QVIA crimen hæresis est merè Ecclesiasticum. vt in tex. Et quoniam de crimine merè Ecclesiastico (quod dicitur tale, ex eo, quod principaliter ortum ab Ecclesia, & à canonibus sumpsit. Archid. in c. cum Episcopus. de offic. ordin. in 6.) solum corã iudicibus Ecclesiasticis cognosci debet, cum illius, etiam circa laicos, iudices sæculares sint incapaces. c. tuam. extr. de ord. cogn. Ideo de crimine hæresis, iudex sæcularis cognoscere non potest, sed illius cognitio, etiam circa laicos, spectat ad iudicem Ecclesiasticum. vt in tex. & infr. c. prox.

ALIAS

ALIAS, prout dicitur hic, puniuntur.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et quoniam pro mensura peccati, debet esse & plagarum modus. Deuter. cap. 25. Ideo si quis Dominus, vel Iudex sæcularis contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio, præfatis diœcesano Episcopo, vel inquisitoribus, incumbenti, se opponere forte præsumpserit, vel ipsum aliquatenus impedire, nec non & qui scienter in prædictis dederit auxilium, consilium, vel fauorem, excommunicationis se nouerit mucrone percussum; quam si per annum sustinuerit animo pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur. vt in tex. & supr. c. cum contumacia.

Cap. 19. Cum secundum.

BONA hæreticorum ipso iure sunt confiscata.

QVIA cum secundum leges ciuiles, nefarias naturæ contrarias incestas nuptias contrahentes, eo ipso suarum dominium rerum perdant. l. cum vir. C. de adult. & l. incestæ. ff. de rit. nupt. Et mulier humanam legem transgrediens (præsertim parentibus suis non consentientibus) raptoris nuptias eligens, bona omnia, quæ per legem sibi obuenerant à raptore, ac alijs consortibus raptus, ipso iure amittat; certoq. casu deferantur in fiscum. l. vnic. C. de rapt. virg. & Auth. de rapt. mul. quæ ra. nu. in fin. coll. 9. ad quod hodie vide Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. Ac etiam illicitas species transuehens; aut rerum vectarum professionem omittens, earundem specierum, & rerum proprietate, hoc ipso, priuetur, & fisco rerum, & specierum dictarum proprietas acquiratur. c. ita quorundam. extr. de Iudæis, & l. fin. §. diuus. ff. de vectig. & l. omnium. C. eod. tit. Et quoniam hæretici, grauius, horribilius, ac detestabilius, quàm prædicti delinquunt. extr. c. vergentis. Et pœna debet esse commensurabilis delicto. c. non afferamus. 24. q. 1. Ideo tanto magis bona hæreticorum, ipso iure, decernuntur confiscata. vt in tex. & extr. c. excommunicamus, il 1. & l. Manichæos. C. eod.

SED apprehensio bonorum fieri non debet per dominum sæcularem, nisi prius pronuntiatum fuerit super crimine per iudicem Ecclesiasticum, qui hoc possit.

QVIA iudex sæcularis super hoc ecclesiastico crimine iudicare non potest. supr. c. prox. Et quoniam huiusmodi apprehensio bonorum dependet à sententia iudicis Ecclesiastici, vt si ipse pronuntiauerit aliquem hæreticum, talis intelligatur bonis priuatus, sin autem illum absoluerit, suorum bonorum remaneat dominus. extr. c. vergentis. Et si huiusmodi apprehensio fieret per iudicem sæcularem, antequam per Ecclesiasticum super hoc sit pronunciatum, daretur occasio, vt iudex

sæcularis sæpe vsurparet bona aliquorum, qui forsan postea non pronunciarentur hæretici. a l. gl. nulli. C. de iudic. Ideo confiscationis huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per principes, aut alios dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. vt in tex. & infr. Clem. 1. Vnde licet ipso iure bona hæretici sint confiscata; executio tamen differtur, donec ipse, de cuius bonis agitur, declaretur per sententiam hæreticus extitisse; & sic hæc sententia est declaratoria tantum; & in ea sufficit declarare aliquem esse hæreticum, licet nihil dicatur de confiscatione, cum illa ipso iure sit facta; vt in tex. & sic fructus medij temporis post commissum delictum, & ante sententiam percœptos, fiscus petere potest; & si bona alienentur post delictum commissum, à fisco vendicantur. vt not. in Auth. de incest. nupt. §. 1.

Cap. 20. Statuta.

IN causa hæresis proceditur simpliciter, & de plano; & dicta testium, & accusatorum non publicantur, si periculum timeatur.

QVIA fauor fidei, de quo tractatur, cum agitur contra hæreticos, est maximè attendendus, & ampliandus. supr. c. in fidei. Et quoniã ex subtili obseruatione ordinis iudiciarij causarum, interdum dispendiosa litium prorogatio prouenit. Clem. 2. de iudic. Et nonnunquam accusatoribus, vel testibus in causa hæresis interuenientibus, seu deponentibus (propter potentiam personarum, contra quas inquiritur) graue periculum imminet, si contingat fieri publicationem nominum eorundem. vt in tex. Ideo conceditur, quod in inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi possit simpliciter, & de plano, & absque aduocatorum, ac iudiciorum strepitu, & figura; & quod nomina testium, & accusatorum non publicentur, si graue periculum timeatur; cessante verò periculo supradicto, accusatorum, & testium nomina (prout in alijs fit iudicijs) publicentur. Cæterum in his omnibus præcipitur, tam Episcopos, quàm Inquisitores, puram, & prouidam intentionem habere, ne ad accusatorum, vel testium nomina supprimenda, vbi est securitas, periculum esse dicant; nec in eorum discrimen securitatem afferant, vbi tale periculum immineret; super quo eorum conscientiæ onerantur. vt in tex. & infr. Clem. 1.

In Clement. Cap. 1. Multorum. §. 1. & 2.

PRAEMITTIT constitutionis causam; & ponit constitutionem de officio inquisitionis exercendo per diœcesanos, & inquisitores, primo ponens quinque, quæ potest alter sine altero; secundo tria, quæ

quæ non poteſt; & decretum apponit, ſubmittens, quomodo impeditus, vel intereſſe nolens, committit alij, vel conſentit.

QVIA multorum querela Sedis Apoſtolicæ pulſauit auditum, quod nonnulli inquiſitores per ſedem eandem contra prauitatem hæreticam deputati, metas ſibi traditas excedentes, ſic interdum extendebant ſuæ poteſtatis officium, vt quod in augumentum fidei, per circunſpectam eiuſdem ſedis vigilantiam, ſalubriter eſt prouiſum (dum ſub pietatis ſpecie grauabantur innoxij) cedebat in fidelium detrimentum. vt in tex. Et quoniam ſub ſpecie pietatis, non eſt impietas committenda. c. noſſe. 30. q. 1. Et quod ſtatutum eſt ad commodum, non eſt trahendum ad incommodum. l. quod fauore. C. de legat. Ideo, vt ad Dei gloriam, & augumentum eiuſdem fidei, negotium inquiſitionis huiuſmodi, eo proſperetur fœlicius, quo eiuſdem labis indago ſolemnius, diligentius, & cautius peragetur; ipſum tam per diœceſanos Epiſcopos, quàm per inquiſitores à Sede Apoſtolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cuiuſlibet commodi temporalis affectione ſemotis) decernitur exerceri ſic, quod quilibet de prædictis ſine alio citare poſſit, & arreſtare, ſiue capere, ac tutæ cuſtodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, ſi ei viſum fuerit faciendum; ſuper quo ipſius conſcientia oneratur; nec non inquirere contra illos, de quibus pro huiuſmodi negotio, ſecundum Deum, & iuſtitiam, viderit expedire. Duro tamen tradere carceri, ſiue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad ſententiam procedere contra eos, Epiſcopus ſine Inquiſitore, aut Inquiſitor ſine Epiſcopo diœceſano, aut eius officiali, vel, Epiſcopali ſede vacante, Capituli ſuper hoc delegato, ſi ſui adinuicem copiam habere valeant intra octo dierum ſpatium, poſtquam ſe inuicem requiſierint, non valebit: & ſi ſecus præſumptum fuerit, nullum ſit, & irritum ipſo iure. Verùm ſi Epiſcopus, vel eius capituli (ſede vacante) delegatus cum inquiſitore, aut inquiſitor cum altero eorundem, propter præmiſſa nequeat, aut nolit perſonaliter conuenire; poſſit Epiſcopus, vel eius, ſeu capituli (ſede vacante) delegatus inquiſitori, & inquiſitor Epiſcopo, vel eius delegato, ſeu, ſede vacante, illi, qui ad hoc per capitulum fuerit deputatus, ſuper illis committere vices ſuas, vel ſuum ſignificare per litteras conſilium, & conſenſum. vt in tex. & infr. c. prox.

§. Sanè.

PROVIDET circa muros, vel carceres hæreticorum, ipſorum claues, cuſtodes, & cuſtodum miniſtros.

QVIA circa cuſtodiam carcerum hæreticalium (qui muri in quibuſdam partibus vulgariter nuncupantur) multæ fraudes intelli-

gebantur perpetratæ. vt in tex. Et quoniam fraudibus est obuiandum. c. sedes. extr. de rescr. & vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum. c. vbi. de rescr. in 6. Ideo vt super hoc prouideatur, statuitur, vt quilibet talis carcer, vel murus, quem de cæterò Episcopo, & Inquisitori, Summus Pontifex vult fore communem, duos custodes habeat principales, discretos, industrios, & fideles; vnum, quem volet Episcopus, & prouidebit eidem; alium, de quo voluerit Inquisitor; cui etiam prouidebit; & quilibet prædictorum custodum sub se alium bonum, & fidum poterit habere ministrum. In quolibet etiam conclaui eiusdem carceris, siue muri, erunt duæ claues diuersæ; quarum vnam vnus, aliam alius tenebit prædictorum custodum; & eam cum officio ministrandi, quæ incarceratis fuerint ministranda, suo poterit committere, vel subdelegare ministro. vt in tex. & c. vt commissi. sup. in 6. Et de materia huius §. vide Zanch, tract. de hæret. cap. 8. & 10. & Siluest. in verb. hæresis. 2.

§. Porrò.

PONIT iuramentum custodum, ministrorum suorum, & notariorum, & aliorum officialium.

QVIA propter magnitudinem criminis hæresis, & propter fauorem fidei, de quo agitur, cum contra hæreticos proceditur, in huiusmodi negotio est cum omni maiori diligentia, & cautela peragendum. sup. in tex. §. 2. Et quoniam per iuramentum adhibitum, magis solent homines obseruare, quæ promittunt, ne ei contraueniendo, grauius puniantur. c. etsi Christus. extr. de iureiur. Ideo statuitur, vt coram Episcopo, vel Capitulo, sede vacante, & Inquisitore, vel substitutis ab eis, custodes carcerum hæreticalium, antequam suum officium exequantur, iurent ad sancta Dei Euangelia corporaliter à se tacta, quod in custodia immuratorum, & aliorum pro crimine hæresis, in sua custodia positorum, & ponendorum, omnem diligentiam, & solicitudinem, quam poterunt, fideliter adhibebunt; Et quod alicui incarcerato nihil vnus in secreto loquetur, quin hoc audiat alter custos; Et quod prouisionem, quam incarcerati recipiunt, ex ordinatione communi, & illud, quod à parentibus, & amicis, vel alijs personis fidelibus offeretur eisdem (nisi Episcopi, & inquisitoris, vel suorum commissariorum ordinatio refragetur) ipsis fideliter, & absque diminutione aliqua ministrabunt, nec in his fraudem aliquam adhibebunt. Et idem iuramentum, & coram eisdem personis ministri custodum, priusquam suum exerceant officium, exhibebunt. Et quia sæpe contingit, Episcopos proprios habere carceres, sibi, & dictis inquisitoribus non communes; Summus Pontifex vult, & districtè præcipit, vt custodes ad incarceratorum pro dicto crimine custodiam, per Episcopos, vel, sede vacante, per Capitulum deputandi, & eorum ministri, coram dictis inquisitoribus, vel substitutis ab eis, præstent simile iuramentum. Notarij quoque inquisitionis, coram

Epi-

Episcopo, & inquisitore, vel substitutis ab eis, iurabunt suum officium fideliter exercere. & idem fiet de alijs personis necessarijs ad prædictum officium exequendum. vt in tex.& infr.c.prox.

§. Verùm.

PVNIT Episcopos, inquisitores, & eorum substitutos, qui faciendo, vel dimittendo, delinquunt in officio.

QVIA nimis est graue, ad exterminationem prauitatis hæreticalis non agere, quod ipsius contagiosa enormitas agendum requirit; graue est quoque, & damnatione dignissimum, malitiosè insontibus eandem imponere prauitatem. vt in tex. & c. nemo. extr. de simon. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Ideo Episcopo, & inquisitori prædictis, ac alijs ad dicti executionem officij substituendis ab eis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, Summus Pontifex præcipit, vt sic discretè, & promptè contra suspectos, vel diffamatos de huiusmodi prauitate procedant, quòd malitiosè, aut fraudulenter tantam labem, seu quòd ipsos in executione officij inquisitionis impediat, falsò alicui non imponant. Quod si odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, contra iustitiam, & conscientiam suam, omiserint contra quemquam procedere, vbi fuerit procedẽdum super huiusmodi prauitate, aut obtentu eodem, prauitatem ipsam, vel impedimentum officij sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare (præter alias pœnas, pro qualitate culpæ imponendas eisdem) Episcopus, aut Superior, suspensionis ab officio per triennium; alij verò excommunicationis sententias, eo ipso incurrant. A qua quidem excommunicationis sententia, qui eandem incurrerint, nisi per Romanum Pontificem nequeant, præterquam in mortis articulo, & tunc satisfactione præmissa, absolutionis beneficium obtinere; nullo in hac parte priuilegio suffragante. vt in tex.& infr.c.prox.

§. Alia.

CONFIRMAT antiqua iura, huic constitutioni non obuia.

QVIA expedit iura iuribus concordare; & eorum correctiones (si sustineri valeant) euitari. c. cum expediat. de elect. in 6. Et quoniam optimi principis est, quod expedit facere, & iura bene condita, & opportuna, tueri. vt in procem. 6.decr. & l.si quando. C.de inoffic. test. Ideo alia, quæ circa præmissum inquisitionis officium, ab alijs Summis Pontificibus eius prædecessoribus sunt instituta (quatenus præsenti decreto non obuiant) Summus Pontifex Clemens V. sacri approbatione Viennensis Concilij roborata, in sua vult firmitate manere. vt in tex.& infr. c.proximo.

Cap.

Cap. 2. Nolentes.

PRIMO ponens constitutionis causam, determinat ætatem inquisitorum. Secundò punit inquisitores, qui prætextu officij, pecuniam illicitis modis extorquent, ne ob delictum clericorum, Ecclesiarum bona confiscant. Tertiò præcipit notarijs, officialibus, & socijs, vt hoc facientes reprehendant, & superioribus denuntient, si probare possunt. Quartò prohibet inquisitoribus abusum armorum, & circa quantitatem, vel qualitatem officialium.

QVIA summus Pontifex non vult, splendorem solitum negotij fidei per actus indiscretos, & improbos quorumuis inquisitorum hæreticæ prauitatis, quasi tenebrosi fumi caligine obfuscari. vt in tex. & c. in fidei. supr. in 6. Et quoniã vbi maius periculum vertitur, cautius est agẽdũ. c. vbi. de elect. in 6. Et qui vult finẽ, procedit per media, quę ducũt ad illũ. c. translato. extr. de constit. Ideo summus Pontifex Clemens V. sacro Viennensi Concilio approbante, statuit, nullis deinceps, nisi qui quadragesimũ ætatis annũ attigerint, officium inquisitionis prędictæ cõmitti inquisitoribus. Et tã ipsorum, quàm Episcoporũ, seu capitulorũ, sede vacante, super hoc deputatis commissarijs quibuscunque, districtius iniungens, ne prætextu officij inquisitionis, quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant; nec scienter attentent Ecclesiarum bona ob clericorum delictum, prædicti occasione officij, fisco etiam Ecclesiæ applicare. Quod si secus in his, vel eorum altero fecerint, excommunicationis sententiæ eos subiacere decernit, ipso facto; à qua non possint absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plene satisfecerint de pecunia sic extorta. Nullis priuilegijs, pactis, aut remissionibus, super hoc valituris. Notarii verò, & officiales dicti officii, nec non fratres, & socii inquisitorum, & commissariorum ipsorum, qui dictos inquisitores, aut commissarios, secretè nouerint talia commisisse (si indignationem Dei, & Apostolicæ sedis vitare voluerint, & offensam) ipsos grauiter arguere, & corrigere studeant in secreto. Quod si taliter ea sciuerint, vt ea probare valeant, si sit opus, hæc prælatis inquisitorum, & commissariorum eorundem, ad quos id pertinebit, nunciare solicitè debeant. Qui equidem Prælati, inquisitores, & commissarios prædictos, reos inde repertos, ab officijs amouere, & amotos aliàs punire debitè, seu corrigere teneantur. Prælatis autem inquisitorum, id negligentibus agere, præmissa omnia nuntiare per prædictos locorum ordinarios, ipse summus Pontifex vult, quibus, vt ea in Apostolicæ Sedis notitiam perferant, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipit, & mandat. Porrò inquisitoribus ipsis districtius inhibet, vt nec abutantur quomodolibet concessione portationis armorum, nec officia-

les,

les, nisi sibi necessarios habeant tales, qui se conferant ad sua, cum inquisitoribus ipsis officia exequenda. vt in tex. & supr. c. prox.

Cap. 3. Ad nostrum.

DAMNAT sectam Beguardorum, & Beguinarum Alemaniæ, & octo ipsius errores; excitans diœcesanorum, & inquisitorum officium contra illos.

QVIA huiusmodi homines, & mulieres, circa fidem in multis errabant, & sub specie pietatis plures abusus sequebantur. vt in tex. & Clem. vnic. de relig. dom. Et quoniam inuigilandum est, vt fides catholica prosperetur, & prauitas hæretica de finibus fidelium extirpetur. vt in tex. & c. in fidei. supr. in 6. Et simulata bonitas, duplex est iniquitas, nam facit malum, & abutitur bono. c. auaritiæ, & ibi glos. fin. de elect. in 6. Ideo huiusmodi sectæ, & earum execrandi errores detestantur, & vt extirpentur, est maximè curandum, vt in tex. & c. vnic. de relig. dom. in extrauag. Ioan. 22.

In Extrauag. com. Cap. 1. Ex eo.

DECRETALEM, Per hoc, eod. tit. in 6. declarat; bona hæreticorum per diœcesanos vsurpari vetans.

QVIA ex eo, quod dicta decretalis; Per hoc, à Bonifacio Papa VIII. edita continet, quod in negotio hæreticæ prauitatis, per Episcopos, & inquisitores super eodem facto inquiri valeat communiter, vel diuisim; & si diuisim processerint, teneantur sibi inuicem communicare processus. vt in d. c. per hoc. supr. in 6. à quibusdam dubitabatur, quando, & quoties sit ista processuum communicatio facienda. vt in tex. Et quoniam iura debent esse clara. c. erit autem. dist. 4. Et eius est declarare, cuius est & condere. l. vnic. C. de veter. iur. enucl. Ideo summus Pontifex Benedictus XI. declarat, esse intelligendum, diœcesanos, & inquisitores tunc demum diuisim procedere, cum ij, & illi separatim, non quando Episcopi tantum, vel inquisitores tantum procedunt; & quod, quando ùtrique procedunt seiunctim, sibi debent in fine tantum, dum nil restat agendum, nisi quòd solum sententia promulgetur, communicare processus. vt in tex. Licet enim quibusdam potuisset videri per legem Ciuilem, quod sicut, quando aliquis ex actitatis coram alio, debet ferre sententiam, vt puta, quando administrator delegat causam, sibi sententia reseruata, saltem in principio, id est, contestatione, rursus in medio, & semel in fine, quæ sunt examinata audire debet. vt in Auth. ad hæc. C. de iudic. ita & in casu præsenti, vbi ex actis coram alio habitis, alter

ter profert sententiam, sic ter huiusmodi acta recenseat; quod fieri non potest, si eorum denegetur editio; tamen id æquitas canonum non admisit. vt in tex. Vnus tamen casus excipitur, si alter commode non possit procedere, nisi alterius actis visis. Ex hac enim causa semel tantum (vt fraudi locus non fiat) in toto negotio copia tribuatur. Verùm quia nonnulli diœcesani, partem partis prouentuum de hæreticorum bonis inquisitionis officio deputatæ propter expensas, quas, dum inquirunt, in dicto negotio faciunt, ab ipsis Inquisitoribus exigere moliuntur; hoc tanquam iuri absonum (cum ordinarij sint; ideoq. officium tale, quod eis incumbit, proprijs eos oportet explere stipendijs) fieri penitus prohibetur. Rationem autem ijdem diœcesani prouentuum, obuentionum ex inquisitionis officio ab Inquisitoribus, non obstante aliqua constitutione, consuetudine, vel mandato contrarijs, non exposcant; sed eam Cameræ Apostolicæ, vel alij, cui Summus Pontifex mandauerit reddendam, reddant; quæ generaliter obseruari iubentur. vt in tex.

Cap. 2. Vas electionis.

TRES errores magistri Ioannis de Poliaco, doctoris Parisiensis hìc damnantur.

QVIA Summus Pontifex fecit per Prælatos, magistros in theologia, huiusmodi articulos diligenter examinari, & ipse cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus collationem solertem, & examinationem, comperit, tales articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum, & veritati contrariam continere, vnde illorum assertio, prædicatio, & doctrina redūdare poterant in multarum perniciem animarum. vt in tex. Ideo ne per assertionem, prædicationem, & doctrinam huiusmodi, in errorem animæ simplicium prolabantur; illos articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos, à doctrina sana deuios, Summus Pontifex auctoritate Apostolica condemnat, & reprobat, & de Cardinalium consilio, doctrinam contrariam veram, & contrarium esse catholicum, asserit. Optansq. veritatis vias notas esse fidelibus cunctis, & huiusmodi erroribus præcludere aditum; vniuersis, & singulis districtius inhibet, ne quisquam istos articulos sic damnatos, & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipsorum, vtpotè à catholicis mentibus respuenda, tenere audeat, seu defensare quomodolibet, vel docere. vt in tex. Qui autem sint isti tres errores, hic recensentur in tex. Ipse verò magister Ioannes non damnatur, ex quo illos reuocauit, & correctioni, ac obedientiæ Sedis Apostolicæ se supposuit. vt in tex. iuxta c. dixit. 24. q. 3.

Cap. 3. Cum Matthæus.

INQVISITORES hæreticæ prauitatis, censuras Ecclesiasticas fulminare non possunt in officiales, & Nuntios Sedis Apostolicæ, sine ipsius licentia speciali.

QVIA

QVIA ob reuerentiam, & honorem Sedis Apostolicæ, talibus eius officialibus est in multis deferendum.c.cum in distribuendis.extr. de temp. ord. Et quoniam si in tales possent censuræ Ecclesiasticæ fulminari sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, ipsius Sedis reuerentiæ videretur multum derogari. vt in tex. Ideo Summus Pontifex Ioannes XXII. volens huiusmodi præsumptoribus obuiare; vniuersis, & singulis, tam ordinarijs, quàm delegatis iudicibus, ac Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & alijs vniuersis, & singulis, quacunque auctoritate fungantur, auctoritate Apostolica districtius inhibet, & mandat expresse, ne contra Apostolicæ Sedis officiales, vel Nuntios, aut ipsorum aliquem, quauis occasione, vel causa, absque Summi Pontificis, & Apostolicæ Sedis licentia speciali, eis per Sedis ipsius litteras concedenda, plenam faciente de tenore præsentium mentionem, procedere quoquo modo præsumant; aut in eos, vel ipsorum aliquem, excommunicationis, vel suspensionis, seu quasuis alias sententias promulgare. Quod si contra inhibitionem, & mandatum huiusmodi, quisquam præsumpserit attentare, illud, ipso facto, decernit irritum, & inane. vt in tex.

SED de eorum excessibus, informationem facere possunt, & deinde Romano Pontifici significare.

QVIA huiusmodi officialibus Sedis Apostolicæ est deferendum, quantum patitur conuenientia. c.per tuas. extr. de maior. & obed. Et quoniam indecens esset, vt tales, delinquendo, remanerent impuniti. c.disciplina. dist.45. & præcipuè est maxima diligentia adhibenda, vt hæreses extirpentur, & fidei fauor augeatur. sup. Clem. ad nostrum. Ideo Summus Pontifex vult, quod diœcesani, & Inquisitores prædicti, super ijs, quæ negotium tangunt fidei, alij verò super ijs, quæ rem tangunt vel publicam, vel priuatam, siue ordinarij, siue delegati, quacunque auctoritate fuerint, prout posset ad eorum officium pertinere, si quid per officiales, & nuncios ipsos, indebitè forsan attentatum extiterit, se plenius informare; idque ipsi Summo Pontifici significare studeant, vt prouidere super hoc, de remedio opportuno valeat. vt in tex.

Liber

DE SCHISMATICIS, & ordinatis ab eis.

In Decretal. Cap. 1. Quod à prædecessore.

IRRITAE sunt ordinationes, beneficiorum collationes, & Ecclesiasticarum rerum alienationes, per schismaticos factæ; & à dignitate, & ordine suspenduntur, qui schisma tenere iurant.

QVIA schisma est immanissimum crimen, per quod ab vnitate Ecclesiæ quis recedit. c. schisma. 24. q. 1. Et quoniam qui est extra Ecclesiã, in rebus Ecclesiæ se immiscere non debet. c. Daibertum. 1. q. 7. Ideo ordinationes à schismaticis factæ, & ab ordinatis ab eis, irritæ sunt censendæ; & qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per schismaticos acceperint, debent carere impetratis. Alienationes quoque, quæ per eosdem schismaticos, seu per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesias sine omni onere reuertuntur. Si quis autem contraire præsumpserit, excommunicationi se nouerit subiacere. Illi verò, qui spontè iuramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus, & dignitatibus decernuntur manere suspensi. vt in tex. & c. ordinationes. 9. q. 1. Et hoc intellige, quod dicit irritas, quantum ad executionem, nisi fuerit cum eis dispensatum. infr. c. prox. vel nisi ordinatus probaret, se nesciuisse illum fuisse schismaticum, qui ordinauit. d. c. ordinationes, & simile. 1. q. 1. c. si quis à simoniacis; nam tunc dispensatur cum eis, quia conferunt sacramenta, dummodo in forma Ecclesiæ, sed non executionem, quia eam non habent. glos. hic. Et de hac materia vide Magistr. sent. lib. 4. dist. 13. Et quæ sit differentia inter hæresim, & schisma, vide c. inter. 24. q. 3.

Cap. 2. Fraternitati.

ORDINATVS à schismatico, ab officio est repellendus.

QVIA nemo dat, quod non habet. c. quod autem. de iurepatr. Et quoniam schismaticus non habet ordinis executionem. c. ordinationes. 9. q. 1. Ideo à schismatico ordinatus repellitur ab officio, idest ab executione. vt in tex. & sup. c. prox. Et ad hæc vide Bernard. Diaz. in pract. crim. can. cap. 24.

NISI probet fecum difpenfatum, per habentem poteftatem.

QVIA licèt fchifmaticus non conferat ordinis executionem; confert tamen ordinis characterem, fi feruat formam Ecclefiæ. d.c. ordinationes. & Hoft. in fum. de tempor. ord. in §. à quo. Et quoniam difpenfatio eft iuris communis relaxatio, facta cum caufæ cognitione ab eo, qui habet poteftatem difpenfandi. glof. in c. requiritis. 1. q. 7. Ideo fi talis ordinatus, legitimè probauerit, fecum fuiffe mifericorditer difpenfatum, & ab ea perfona, quæ fuper hoc poteftatem habuerit difpenfandi, poterit illum ordinem exequi. vt in tex. & d.c. ordinationes.

In Sexto. Cap. vnic. Ad fuccidendos.

HOc cap. hodie non legitur, cum in parte fuerit reuocatum per Extrauag. Benedicti XI. quæ incipit; Dudum. infr. eod. vbi reftituit iftos Columnenfes, ad omnes pœnas hic infertas, & non infertas; prætterquam à depofitione Cardinalatus, beneficiorum, & ecclefiarum, & inhabilitate ad Papatum; & ad bona confifcata, quæ erant alijs conceffa; fed poft eum Clemens V. clementer illos ad Cardinalatum reftituit, & ambo ifti, fcilicet, Iacobus, & Petrus Columnenfes, in Cardinalatu mortui funt. glof. 1. hic.

In Extrauag. com. Cap. vnic. Dudum.

PROCESSVS, & fententias latas per Bonifacium VIII. contra Iacobum, & Petrum de Columna, tanquam fchifmaticos, & eorum pofteros, reuocat hic Benedictus XI. exceptis confifcationibus, in quibus nihil immutat.

QVIA ifte Summus Pontifex confiderans, quod eius vices gerit in terris, cuius eft proprium mifereri, & parcere; talium miferijs, & ærumnis compatitur, ad clementiam pro eis commouetur, ipfis pietatis fuæ aperit vifcera, & manfuetudinem non negat, mifericordes ab eis non aduertit oculos, illisq. pium animum adhibet. vt in tex. Sed quoniam Papa per fuum refcriptum, vel gratiam alteri factam, non intendit alicui facere præiudicium. c. licet. extr. de offic. ord. Ideo huiufmodi gratias, non vult extendi ad confifcationes iam factas. vt in tex.

Liber

Liber Quintus. Titulus IX.

DE APOSTATIS, ET iterantibus baptiſma.

In Decretal. Cap. 1. Præterea.

CLERICVS, qui dimiſſo habitu, & tonſura, immiſcet ſe enormitatibus, perdit priuilegium canonis; Si quis ſuadente. vnde eum deprehendentes, non incidunt in canonem, ſcilicet, excommunicationem.

QVIA indignum eſt, eis ab Eccleſia ſubueniri, per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari. c. ſacerdotibus. ne cler. vel mon. Et fruſtra legis implorat auxilium, qui committit in legem. c. fin. de immunit. Eccl. Et quoniam magnum ſcandalum in Eccleſia Dei generatur, cum clericus, dimiſſo habitu, & tonſura, enormitatibus ſe immiſcet. c. cum non ab homine. de ſent. excom. ita vt talis ab ordine clericali apoſtatare dicatur. S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. Dicitur autem apoſtata, ideſt, retro ſtans. c. non obſeruetis. 26. q. vlt. & eſt triplex apoſtaſia, ſcilicet, à fide, ab obedientia, & à religione, ſeu ab ordine. gloſ. hic. & S. Thom. d. art. 1. Ideo clerici, qui relicto ordine clericali, & habitu ſuo, in apoſtaſia, tanquam laici conuerſantur, ſi in criminibus comprehenſi teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam non præcipiuntur liberari. vt in tex. & c. perpendimus. de ſent. excom. & ad hæc vide Diaz in pract. can. crim. cap. 104.

Cap. 2. Ex literarum.

SI crimen acolythi, qui rebaptizanti præbuit miniſterium, eſt occultum, promoueri poteſt; ſi publicum; non; niſi cum eo religionem intrante diſpenſetur.

QVIA pœna debet eſſe commenſurabilis delicto. c. diſciplina. diſt. 45. Et quoniam crimen, quod publicè committitur, regulariter eſt maius, quàm illud, quod committitur occultè, propter ſcandalum, quod naſcitur ex illo, quod non eſt in occulto. gloſ. penult. hic. & c. ex tenore. de temp. ord. Ideo acolytus, qui ſic grauiter peccauit, præbendo miniſterium rebaptizanti, ad ſuperiores ordines promoueri (ſi publicum eſt tale eius delictum, non valebit, niſi ad religionem tranſire voluerit, vt fauore religionis ipſius, circa eum valeat diſpenſari. Si verò occul-

tum

tum est, promoueri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare. vt in tex.& c.fin.de temp.ord.

Cap. 3. Tuæ.

INFAMATVS de apostasia, compellitur se purgare.

QVIA apostasia est graue delictum, siue illa sit à fide, siue ab obedientia, siue à religione, seu ab ordine sacro. vt not. supr. in c.1. Et quoniam infamatus de graui crimine, si non habet testes, qui deponant de sua honestate, præsumitur esse in culpa. c. accedens. de purg.can.& c. insinuatum.de simon. Ideo clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abiecerunt habitum clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi; sed per districtionem Ecclesiasticam coercendi, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam, purgationem canonicam curauerint exhibere. vt in tex.& c.eos, qui. 20.q.3.

Cap. 4. Quidam.

BAPTIZATI, alterius secta, vel fidei ritus dimittere compelluntur.

QVIA illi baptizati, qui alterius ritus reliquias retinent, Christianæ religionis decorem, tali commistione confundunt. vt in tex. Et quoniam (vt inquit Scriptura) maledictus est homo, qui terram duabus vijs ingreditur. Eccles.cap.3. Et quis non debet indui veste, lino, lanaque contexta. Exod. cap. 22. Et minus malum est, viam Domini non agnoscere, quàm post agnitã retroire. 2. Petr.cap.2. Ideo statuitur, vt per Prçlatos Ecclesiarum, talis obseruantia veteris ritus, omnimodè compescatur; vt quos Christianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in eius obseruatione conseruet. vt in tex.& c.resuscitatus.de pœnit.dist.1.& S.Thom. 2.2.q.12.art.4.

Cap. 5. A nobis.

APOSTATAE incarcerari, & affligi possunt, vt habitum reassumant.

QVIA monachus, qui dimittit habitum religionis, & clericus in sacris, (siue in minoribus, qui retineat beneficium) dimittens habitum clericalem, dicuntur apostatare, & grauiter peccant. supr.c.tuæ. & c.fin.dist.50. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis.de elect. Ideo tales apostatæ possunt sub graui custodia carcerari, ita quod solummodo vita sibi misera reseruetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant. vt in tex.& c. disciplina.dist.45.& vide Diaz.in sua pract.cap.104.

Cap. 6. Consultationi.

MONACHVS in apostasia ordinatus, non potest sine dispensatione Papæ in suscepto ordine ministrare.

QVIA monachus, qui post professionē, habitū temerariè dimittit, incidit in excommunicationem, & ordinari prohibetur. c. 2. ne cler. vel mon. in 6. & ob id ordinis executionem non recipit, licet recipiat characterem. c. 1. supr. tit. prox. & c. ordinationes. 9. q. 1. Et quoniam contra canones solus Papa dispensat, nisi in casibus, in quibus tacitè, vel expressè dispensatio permittitur inferiori. vt not. Innoc. in c. dilectus. de temp. ord. arg. c. licet canon. de elect. in 6. & Abb. hic. Papa autem hic sibi reseruat dispensationem. glos. hic. Ideo monachus, aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in ordine sic suscepto. vt in tex. & c. fin. dist. 50.

Liber Quintus. Titulus X.

DE HIS, QVI FILIOS occiderunt.

In Decretal. Cap. 1. Veniens.

MVLIER occidens sponte filium, debet perpetuò in monasterio pœnitere.

QVIA huiusmodi occisio est grauissimū crimen, vnde secundum leges, occidens parentem, vel filium, acerrima pœna punitur; nam insuitur in culeo, idest in sacco corio, cum cane, simia, gallo gallinaceo, & vipera, & proijcitur in mari, vel in flumine; & si ibi non est mare, vel flumen; tunc portatur ad siluam à feris animalibus lacerandus; & imponitur ista pœna, vt sic viuus careat vsu omnium elementorum, & superstiti desit cælum, & mortuo terra; Et fit huiusmodi mixtura istorum animalium ad maiorem pœnam, quia canis naturaliter fugat simiam, & simia gallum, gallus viperā, & cum vipera non inueniat refugium, intrat corpus illius. l. vnic. C eod. tit. Sed quoniam secundum canones, non imponitur pœna sanguinis, vel mortis. c. sententiam. ne cler. vel. mon. & Deus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Ezech. cap. 33. Ideo de im

reu-

re canonico non imponitur illa pœna mortis, sed perpetua inclusio in monasterio, in quo talis delinquens, perpetua pœnitentia peccata sua deploret. vt in tex. & infr. c. fin. Et hoc intellige, cum agitur in foro conscientiæ, nam in foro contentioso, etiam secundum canones traderetur curiæ sæculari, debita pœna afficiendus; sicut alij homicidiarij. Abb. hic. arg. c. 1. de homicid. in 6. Et talis puniretur pœna legali, cum de iure canonico non reperiatur pœna talibus in foro contentioso apposita, & sic recurrendum est ad ius ciuile. c. 1. de nou. oper. nun. cum ergo non habeat Ecclesia quid vltra in talis faciat, eos relinquit iudici sæculari. c. cum non ab homine. de iudic. & c. tuæ. de pœnis.

SI tamen timetur de incontinentia, datur, vel saltem non denegatur sibi licentia nubendi.

QVIA vbi agitur de euitando peccato, tutior pars est eligenda. c. si quis autem. de pœnit. dist. 7. Et quoniam tutius est, vt talis mulier in domino nubat vni soli; quàm inhonestè multos admittat. vt in tex. Ideo si repugnante carnis fragilitate, mulier sic delinquens non potest induci, vt ad aliquod monasterium transeat, potest ei tribui licentia, in domino nubendi, vt in tex. & c. in adolescentia. 33. q. 2.

Cap. 2. Intelleximus.

MVLIER occidens filium, propter hoc à viro separari non debet.

QVIA est de iure diuino, vt excepta causa fornicationis, vxor à marito non sit separanda. Matth. cap. 19. Et quoniam exceptio firmat regulam in contrarium. c. dixit. 32. q. 1. Ideo mulier non potest à marito separari, etiam propter homicidium commissum in communem filium. vt in tex. & c. 1. de diuort.

SED alia pœnitentia sibi imponitur.

QVIA quod pœna sit pro culpa infligenda, & quod nullus sine culpa sit puniendus, dictat ius naturale; sed determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ, est iuris positiui. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Et quoniam huiusmodi occisio est grauissimum crimen. supr. c. prox. Ideo licet mulier sic delinquens, non sit à suo viro separanda; est tamen aliter prouidendum, vt sui sceleris pœnam luat. vt in tex. & infr. c. prox. Et hoc intellige, cum proceditur in foro animæ, vt dictum est in cap. superiori; nam in foro contentioso traderetur curiæ sæculari, & secundum leges ciuiles puniretur de homicidio. Abb. hic. arg. c. cum non ab homine. de iudic.

Cap. 3. De infantibus.

PARENTIBVS, circa quos pueri reperiuntur oppressi, imponenda est pœnitentia maior, vel minor, iuxta eorum culpam.

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Et quoniam voluntate, ac proposito, maleficia distinguuntur. c. cum voluntate. de sent. excom. Et cæteris paribus, vbi est maior contemptus, ibi grauior est culpa. S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 10. Et monendi sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in vno lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente, suffocentur, vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur c. consuluisti. 2. q. 5. Ideo de infantibus, qui mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non apparet, vtrum à patre, vel matre oppressi sint ipsi, vel suffocati, vel propria morte defuncti, non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna; sed tamen consideratio debet esse pietatis, vbi non voluntas, sed euentus mortis causa fuerit; si autem eos non latet ipsorum puerorum interfectores esse, scire debent se grauiter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum iudicant esse debere, quorum vnum peragant in pane, & aqua. vt in tex. & supr. c. prox. & ad hæc vide Siluest. in sum. verbo, homicidium 2. q. 23. Quando autem culpa dicatur maior, vel minor, vide glos. in d. c. consuluisti.

Liber Quintus. Titulus XI.

DE INFANTIBVS, ET languidis expositis.

INFANS expositus à patre, vel auo, eo consentiente, vel ratum habente, hoc ipso à patria potestate liberatur. Idem in seruo, & liberto, qui ob prædictam causam liberantur à dominica potestate. Et idem iuris est in prædictis languidis cuiuscunque ætatis sic expositis, vel si eis alimenta denegantur.

QVIA huiusmodi exponentes, quantum in ipsis est, sic expositos occidere videntur c. pasce. dist. 86. & l. sancimus. C. de infant. expos. eosq; pro derelictis habere censentur. l. fin. ff. pro derelict. Et quoniam talis crudelitas pœnam meretur. l. necare. ff. de liber. agnosc. Et remittentibus actiones suas, non est dandus regressus ad eas. c. quam periculosum. 7. q. 1. & l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædilit. edict. Ideo si à patre, siue ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit; hoc ipso à potestate patria fuit liberatus.

Nam

Nam & hoc casu, in ingenuitatem libertus, & seruus in libertatem eripitur; Quod & de prædictis cuiuscunque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impiè denegari contigerit, est dicendum. vt in tex. & c. si expositus. dist. 87.

II tamen, qui prædictis alimenta præstiterint, nullum ius in eis acquirunt.

QVIA talia alimenta videntur causa charitatis facta. c. sacrorum. 12. q. 2. Et quoniam officium causa pietatis gestum, non est quasi mercimonium interpretandum. l. fin. C. de infant. expos. & libertas est maximè fauorabilis. Instit. de iur. pers. §. 1. Ideo qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis, ius aliquod vendicare. vt in tex. & l. nemini. C. de Episc. aud.

Liber Quintus. Titulus XII.

DE HOMICIDIO VOLVNT. vel casuali.

In Decretal. Cap. 1. Si quis.

HOMICIDA incorrigibilis debet deponi, & tradi curiæ sæculari, vt moriatur.

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Sed quoniam personis Ecclesiasticis non est licitum fundere sanguinem. c. his, à quibus. 23. q. 8. Ideo per Ecclesiam imponitur depositio, quæ est mors ciuilis. c. secuti. §. quia. 2. q. 7. Et per iudicē sæcularē, postquā talis depositus ei fuerit traditus, potest imponi mors corporalis. vt in tex. & c. nouimus. de verb. sign. & ad hæc vide Exod. cap. 21. & Conc. Trid. sess. 14. de refor. cap. 7.

Cap. 2. Interfecisti.

PONIT pœnitentiam occidentis latronem, cum se poterat aliter liberare; si verò aliter liberare se non poterat, non tenetur agere pœnitentiam, nisi ad cautelam.

QVIA cuilibet vim vi repellere licet, dummodo cum moderamine inculpatæ tutelæ. c. ius naturale. dist. 1. & l. vt vim. ff. de iust. & iur. Et quoniam qui se poterat à latrone liberare absque eo, vt illum occideret, occidendo, excedit fines moderatæ tutelæ; si verò aliter se liberare non poterat, illos non excedit. infr. c. prox. & l. 1. C. quand. lic.

vnic. Nec est necessarium ad salutem, vt hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euitandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quàm vitæ alienæ. S. Thom. 2.2.q.64.art.7. Ideo si interfecisti furem, aut latronem, vbi comprehendi poterat absque occisione, quia ad imaginem Dei creatus est, per 60. dies non intres Ecclesiam, & lanea veste indutus, ab escis, & potibus, qui interdicti sunt, & à thoro, & gladio, & equitatura, per illos supradictos dies abstineas. In tertia autem, & quinta feria, & sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis, & paruis pisciculis cum mediocri ceruisia vtere temperatè. Si autem sine odij meditatione, te, tuaq. liberando, huiusmodi diaboli membra interfecisti (quod secundum indulgentiam dicitur, propter imaginem Dei) si aliquid ieiunare volueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largiter. Si presbyter eadem fecerit, non deponatur; tamen quandiù vixerit, pœnitentiam agat. vt in tex. & infr. c. suscepimus; & ad hæc vide Sotum de iust. & iur. lib. 5. q. 1. art. 4.

Cap. 3. Si perfodiens.

NON occiditur fur diurnus sine culpa, sed nocturnus sic.

QVIA in fure diurno potest discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venit; in nocturno autem hoc discerni non potest. vt in tex. Et quoniam si talis fur diurnus occideretur, excederentur fines licitæ defensionis, quod non esset in tali fure nocturno. infr. c. suscepimus, & l. furem. ff. ad leg. Corn. de sicar. & nocturnum furem, si recedat cum rebus, postea non recognoscam; quod secus est in diurno, qui poterit accusari. glos. in d. l. furem. & tempus aggrauat delictum. l. Gracchus. C. de adulter. Ideo si perfodiens inuentus fuerit fur; & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum; Si autem oriatur sol super eum, reus erit. vt in tex. & Exod. cap. 22. Intelligatur ergo non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc est enim, quod ait; si oriatur sol super eum, &c. quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset; & ideo non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus sæcularibus (quibus ista est antiquior) inuenitur; impunè, scilicet, occidi nocturnum furem quoquomodo; diurnum autem, si se telo defenderit; iam enim plus est, quàm fur, vt in tex. & l. itaque. ff. ad leg. Aquil.

Cap. 4. Cum iuramento.

SVB generali pollicitatione, seu promissione, etiam iurata, non venit illicitum.

QVIA in generali sermone, seu promissione, multa excipiuntur. l. si cui. ff. de seruit. & præsertim ea, quæ promittens generaliter, non esset specialiter concessurus. l. obligatione. ff. de pignor. Et iuramentum nō debet esse vinculum iniquitatis. c. quemadmodum. de iureiur. Et quoniam

niam nemo præsumitur velle promittere illicitum, ne sit suæ salutis immemor. c. sancimus. 1. q. 7. Et nemo priuatus potest facere, quin leges habeant locum in suis dispositionibus. l. 1. ff. de legib. Ideo cum iuramento pollicitus est Herodes saltatrici dare quodcunque postulasset ab eo; si ob iusiurandum fecisse se dicat; si patris, matrisue interitum postulasset, facturus esset, an non? Quod ergo in suis repudiaturus fuit, contenere debuit in Propheta? vt in tex. & S. Hyeronym. super Matth. cap. 14.

Cap. 5. Si aliquis.

HOMICIDA est, qui facit, vel dat sortilegia, vel venena sterilitatis.

QVIA si fetus est animatus anima rationali; iam ille est homo, & qui ipsum exanimat, separat animam rationalem à corpore, quod est homicidium. c. Moyses. 32. q. 2. si verò adhuc non est fetus, vel non est animatus anima rationali, licet in se non sit propriè homicidium, cum exanimatum dici non possit, quod adhuc animam non habebat. c. quod verò. d. q. 2. Tamen quoniam etiam in tali casu quis vult, & intendit committere homicidium in sua causa. Syluester in verb. homicidium. 1. n. 2. Et huiusmodi delicta, & mala exempla sunt per grauem pœnam coercenda. l. si quis. §. qui abortionis. ff. de pœnis. & c. 1. de pœnit. dist. 5. Ideo si aliquis causa explendæ libidinis, vel odij meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida tenetur. vt in tex. & l. si mulierem. ff. ad leg. Corn. de sicar. Et nouissimè contra tales est constitutio Sixti V. incipien. effrænatam; Quæ tamen postea quo ad quædã fuit moderata per aliam constitut. Gregor. XIV. incipien. Sedes.

Cap. 6. Sicut, il 1.

IN pœnitentia imponenda, iudex debet attendere circunstantias, ex quibus augetur, vel minuitur delictum.

QVIA pœnarum varietas requiritur secundum qualitatem delictorum; ne fiat more imperiti medici, qui vno collyrio omnium oculos vult curare. c. necesse. dist. 29. Vnde pro mensura peccati, debet esse & plagarum modus. Deuteron. cap. 25. Et quoniam multæ sunt circunstantiæ, quæ aggrauant, vel minuunt delictum. c. 1. de pœnit. dist. 5. Ideo in excessibus singulorum, non solum quantitas, qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus, atque conditio delinquentis, sunt attendenda: & non solum secundum prædicta, sed secundum locum, & tempus, quo delictum committitur, vnicuique pœnitentia debet indici; cum idem excessus magis sit in vno, quàm in alio puniendus. vt in tex. & c. qui viderit. 32. q. 5. Vnde pœnitentia est regulariter arbitraria; non enim potest dari certa regula, cum secundum varietatem animorum, & circunstanciarum, maior, vel minor sit pœnitentia iniungenda; & ob istam

causam, in pœnitentijs etiam iure taxatis potest sacerdos recedere,& aliam pœnitentiam arbitrari.vt in c.Deus,qui.de pœnit.& remiss. Quid autem, si sacerdos in arbitrando imponat minorem pœnam debito, ita quod male arbitretur? Dic, quod si est ordinarius eius iudex,siue sacerdos curatus, & dispensandi animo hoc facit,sufficit illa,licet modica,ad delendum peccatum: Si per errorem, & ab isto pœnitente credebatur peritus,sufficit illa minor pœnitentia ad delendum peccatum,& omnem pœnam alterius vitæ; dummodo pœnitens,qui eam recipit, maiorem suscipere paratus esset, si sibi imponeretur. arg.c.quem pœnitet.vers.sæpè.de pœnit. dist. 1. Si autem credebat eum imperitum, in culpa est; nec releuabitur hac sola pœnitentia. Idem iuris est,si ad alium iuit,non ad suum iudicem, cũ suus sacerdos esset peritus, quia eo casu in culpa iuit; si autẽ suus sacerdos non erat peritus, & ideo iuit ad aliũ (quia hoc sibi licet.c.placuit. de pœnit. dist. 6.) & ille male est arbitratus; dic, vt superius dictum est in ordinario.glos.in c.mensuram.de pœnit. dist. 1.

§. Illi autem.

SOCIANS homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, si tamen ex sua causa mors secuta est, tenetur ferè pari pœna cum homicida.

QVIA non solum,qui faciunt,rei iudicantur,sed etiam qui facientibus consentiunt.c.omnes.17.q.4.Sed quoniam consummatio operis aliquid addit.c.super tribus. de pœnit.dist.2. Ideo præstans opem ad delictum, ex quo non fuit principalis,videtur aliquantulum minori pœna puniendus,vt in tex.& c.si cui,& ibi glos.de pœnit.dist.1.

§. Illi etiam.

QVI sociat homicidam, tantum animo prohibendi,ne impediatur, tenetur paulo minori pœna.

QVIA cum talis non habuerit animum occidendi,minus deliquit, quàm illi,qui veneruntnon solum,vt prohiberent vim fieri occisoribus,sed etiam vt ipsi occiderent. Host.hic.Sed quoniam scriptum est; Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, eum occidit. Prouerb. cap. 24. Et constat ab homicidij reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt. c. si quatuor.23.q.8. nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.c.negligere.2.q. 7. Ideo illi,qui non vt ferirent, sed vt percussoribus opem ferrent, si fortè per aliorum violentiam impedirentur, sunt pœna multandi,sed paulo minori,quàm illi,qui venerunt,vt occiderent. vt in tex.& c.qui potest.23.q.3.

§Qui

§. Qui verò.

INCITANS alium ad homicidium, mitius punitur, quàm homicida; secus autem si incitauit ad certum homicidium; nam eo secuto, tenetur vt homicida.

QVIA quanto magis quis est causa proxima delicti, tanto magis est in culpa. Felin. hic n. 2. Et quoniam qui incitauit aliquem ad certum homicidium, est causa magis proxima secuti homicidii, quàm ille, qui incitauit ad homicidium in genere. glos. in Clem. 1. ver. defensauerit, de pœnis. Ideo qui animum alicuius inflamauit ad odium, vnde homicidium fuit secutum, durè, & asperè; sed non ita seuerè est puniendus vt homicida; nisi fortè ipsum homicidam ad illud homicidium suis suggestionibus prouocasset. vt in tex. & l. 15. qui opem, & ibi Bart. ff. de furt.

§. Hi quoque.

CVSTODIENTES sarcinas occidentium, scientes eos esse sicarios, non sunt immunes à pœna homicidij.

QVIA assistens malefactori, vt habilius maleficium committat, tenetur tanquam præstans opem, & consensum. l. in furti. ff. de furt. Et quoniam ille, qui tenet vestimenta malefactoris in ipso actu, quo facit maleficium, censetur hoc facere, vt habilius perficiat. Bart. in d. l. in furti. sicut fecit Saulus in lapidatione beati Stephani. Act. Apost. cap. 7. Ideo illi non sunt à culpa liberi, nec à pœna debent esse immunes, qui licet fuerint machinationis ignari; tamen eis, quos sicarios esse sciebant, in sarcinis custodiendis, ministerium præbuerunt. vt in tex. & l. nihil. C. ad leg. Corn. de sicar.

§. Eos insuper.

OCCVPANS bona occisi, non per hoc tenetur de homicidio.

QVIA ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Et quoniam furtum, & homicidium sunt peccata diuersa. Leuit. cap. 19. Et ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. c. ratum. de reg. iur. in 6. Ideo qui post mortem alicuius, spolia eius occupat, si nihil aliud in facinore occisionis commisit, à pœna mortis eius est immunis. vt in tex. & l. sancimus. C. de pœnis.

ET non sufficit occupanti, quod eroget illa pauperibus, cum potuerit restituere eis, quorum constat fuisse.

QVIA non remittitur debitum, si vni soluitur, quod alij ex debito est soluendum. c. ea te. de iureiur. nec de alieno potest fieri eleemosyna, etiam si peccator sit is, cui debetur. c. tua nobis. de decim. Et quoniam

niam res ablata, prius debetur domino, quam alijs. c. cum tu. de vsur. Ideo qui res aliquas occupauit, eis, quorum fuerunt, tenetur in integrum restituere, si habet in facultatibus, vnde possit ea reddere; & ei ex hoc moderata est pœnitentia iniungenda; & licet quædam ex his, quæ occupauit, pauperibus erogauerit, non tamen aliena (cum ipsa potuerit eis, quorum fuerint, restituere) debuit pauperibus erogare. vt in tex. & c. si res. 14. q. 6.

§. Illis præterea.

PARTICIPANTES interfectoribus in excommunicatione, diuersimode puniuntur, iuxta modum participationis.

QVIA in participatione cum excommunicato sunt considerandæ multæ circunstantiæ, quæ minuunt, vel augent delictum. c. inter alias. de sent. excom. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Ideo illis, qui sola excommunicatorum participatione, se reos esse cognoscunt; considerata temporis mora, quo in eadem nequitia perdurarunt, & inquisito, si eis timore, vel affectione communicauerint, scienter, vel ignoranter, est pœnitentia indicenda. vt in tex. & c. quoniam. 11. q. 3.

§. Clericos.

PONITVR pœnitentia clericorum, præstantium morti auxilium, consilium, vel fauorem.

QVIA vindictæ sanguinis, quantumcunque iustæ, clerici non debent aliquatenus se immiscere. c. sententiam. ne cler. vel monach. Et quoniam homicidium dicitur committi non solum facto, sed etiam consilio, præcepto, & defensione. c. si quis viduam. dist. 50. Ideo clerici, qui armati mortis facinori interfuerunt, & illi, qui consilium dederunt, vt occisus caperetur, perpetuò non solum ab altaris ministerio sunt deponendi; sed etiam, quòd in Ecclesijs nullo vnquam tempore lectiones legant, vel responsoria in choro separatim cantent; sed in psalmis, apud Deum de commissis debent satagere veniam impetrare. Insuper in districto claustro monachorum, vel canonicorum regularium (si fieri potest) sunt recludendi, ita quod vsque ad septennium, vel quinquennium debeant ab Ecclesiarũ introitu coerceri. vt in tex. & c. miror. dist. 50. & ad hæc vide Diaz. in pract. crim. cap. 88. & 92.

Cap. 7. Presbyterum.

HOMICIDIVM casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.

QVIA quilibet in officio suo debet esse diligens, & non negligens. l. diuus. ff. de offic. præsid. Et quoniam nimia negligentia adsignatur culpæ. l. præceptoris. ff. ad leg. Aquil. Ideo presbyter, qui puerum, intuiu

tuitu disciplinæ percussit in capite, cum post paucos dies expirasset, tam ab omni altaris ministerio est perpetuo remouendus, quàm ab officio sacerdotali deponendus, si ex ipsa percussione interijt, vel aliam infirmitaté incurrerit, de qua noscitur expirasse. vt in tex. & c. studeat. dist. 50.

Cap. 8. Continebatur.

HOMICIDIVM casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, vel etiam licitæ, si non adhibuit omnem diligentiam, quam debuit.

QVIA licet casus sit causa agens præter intentionem; & ideo ea, quæ casualia sunt, simpliciter loquendo, non sunt intenta, neque voluntaria. Arist. 2. physic. tex. 49. & 50. Et quia omne peccatum est voluntarium. S. August. lib. 1. de ciuit. Dei. cap. 25. consequens est, quod casualia, in quantum huiusmodi, non sunt peccata. c. si concupiscentia. 15. q. 1. Tamen quoniam contingit, id, quod non est actu, & per se volitum, vel intentum, esse per accidens volitum, vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur remouens prohibens. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. Ideo ille, qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat remouere, erit quodammodo homicidium volũtarium. Hoc autem contingit dupliciter; vno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo, quando non adhibet debitam solicitudinem. Vnde si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiã adhibens, & ex hoc homicidiũ sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors hominis consequatur. vt in tex. & l. nam ludus. ff. ad leg. Aquil.

Cap. 9. Lator.

HOMICIDIVM casuale non imputatur ei, qui non fuit in culpa.

QVIA peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non sit peccatum. c. non est. 15. q. 1. Et quoniam casualia, simpliciter loquendo, non sunt intenta, neque voluntaria. Arist. 2. physic. cap. 49. Et vbi non est culpa, non debet esse pœna. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Ideo ei, qui non est in culpa, homicidium casuale non imputatur. vt in tex. & supr. c. prox. vbi not. quando quis dicatur esse in culpa. Et ad hæc vide Siluest. in sum. ver. homicidium 2.

Cap. 10. Suscepimus.

IS, ex cuius opera illicita sequitur homicidium, irregularis efficitur.

QVIA talis censetur homicida. supr. c. continebatur. Et quoniam omnis homicida, & mutilator fit irregularis, excepto eo, qui hoc

facit

facit ob defensionem suæ personæ, cum aliter mortem vitare non valet, & exceptis furioso, infante, ac dormiente. infr. Clem. vnic. Ideo dans operam rei illicitæ, si ob illam sequatur homicidium, tanquam homicida, irregularitatem incurrit. vt in tex. & infr. c. ad audientiam.

Cap. 11. De cætero.

DANS causam homicidio, irregularis est.

QVIA qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. c. studeat. dist. 50. & l. qui occidit. §. penult. ff. ad leg. Aquil. Quod intellige de causa propinqua, secus de remota. Host. hic. Et quoniam homicida regulariter fit irregularis. supr. c. prox. Ideo similiter irregularitatem incurrit, qui causam propinquam præstat homicidio. vt in tex. & supr. c. presbyterum.

Cap. 12. Ad audientiam.

HOMICIDIVM casuale imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.

QVIA ille, qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat remouere, committit quodammodo homicidium voluntarium; licet ea, quæ casualia sunt, simpliciter loquendo, non sint intenta, neque voluntaria; sed possunt esse volita, & intenta per accidens, secundum quod causa per accidens dicitur remouens prohibens. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. Et quoniam qui iniustè occidit, est seuerè puniendus. Leuit. cap. 19. & supr. c. sicut. Et culpa, quæ præcedit casum, imputatur. c. testamentum. dist. 6. & l. idem iuris. ff. ad leg. Aquil. Ideo si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidij reatum. Si verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors hominis consequatur. vt in tex. & supr. c. continebatur. Et S. Thom. d. art. 8.

Cap. 13. Dilectus. 14. Ex literis. 1. 15. Ex literis. 2. 16. Significasti. 1.

HOMICIDIVM casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.

QVIA vbi non est culpa, non debet esse pœna. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Et quoniam qui dat operam rei licitæ, & adhibet debitam diligentiam, si ex inde casuale homicidium sequatur, non est in aliqua culpa. supr. c. lator. Ideo propter id non est puniendus. vt in tex. & l. si putator. ff. ad leg. Aquil.

Cap.

Cap. 19. Tua nos.

RELIGIOSVS chirurgiam exercens, si ex ea mors sequitur, irregularis est, etiam si sit peritus, & diligens, & hoc fecerit causa pietatis.

QVIA officium chirurgiæ, religiosis, & clericis est omnino interdictum. c. sententiam. ne cler. vel mon. Et quoniam culpa est, se immiscere rei ad se non pertinenti. c. non est. de reg. iur. in 6. & vbi quis est in culpa homicidij, irregularitatem incurrit. supr. c. prox. Ideo talis religiosus fit irregularis. vt in tex. & supr. c. suscepimus. Officium autem medici non est clericis interdictum. Host. hic.

SED cum eo post satisfactionem, misericorditer dispensari potest.

QVIA ex causa decet iuris communis rigorem relaxari, & sicut tempus, locus, & persona requirunt, mitius agi. c. sciendum. dist. 29. Et quoniam peritia, diligentia, & pietas in huiusmodi actu adhibitæ, sunt rationabiles causæ dispensandi. vt in tex. Ideo licet talis monachus multum deliquerit, officium alienum vsurpando, quod sibi minimè congruebat; si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam infirmi, vel alterius, contra consilium eius accidit, adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, vt diuina officia valeat celebrare; alioquin interdicenda est ei sacerdotalis ordinis executio de rigore. vt in tex. & supr. c. continebatur. & ad hæc l. illicitas. §. sicuti. ff. de offic. præsid.

§. Ad vltimum.

QVI iudici sæculari dedit intersignia furis, à quo fuit vulneratus, irregularis non est, licet ille postmodum occidatur.

QVIA talis non fuit in culpa illius mortis, nam non accusauit, nec perhibuit testimonium, nec aliquo modo mandauit, nec subiecit illum morti; sed tantum requisitus à iudice, reddidit illà signa; & sic fuit causa multum remota mortis illius. Abb. hic. Et quoniam ad incurrendam irregularitatem pro homicidio ab alijs commisso, attenditur quod quis fuerit causa propinqua, non autem remota, si non habuerit animum, vt inde mors sequatur, nec fuerit in aliqua negligentia in tali effectu per ipsum euitando. glos. supr. in c. de cætero. Ideo propter huiusmodi mortem furis, ille, qui ab eo fuit vulneratus, & de eo signa dedit, non fit irregularis. vt in tex. & infr. c. exhibita. Et ad hæc vide Siluestr. ver. homicidium. 1.

Cap.

Cap. 20. Sicut il 2.

QVI dat causam abortioni, homicida est, si conceptum erat viuificatum anima rationali, aliàs secus.

QVIA ad esse hominis, duo principaliter exiguntur, videlicet, corpus, & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit. c. in quadam. de celebr. miss. Et quoniam in concepto viuificato anima rationali adsunt anima, & corpus, licet adhuc ex vtero non exierit. c. Moyses. 32. q. 2. antequam verò anima rationalis ibi sit infusa, non potest dici homo. c. quod verò. d. q. 2. & sic non potest dici exanimatum, quod non dum vixit. c. sicut. d. q. 2. priuatio enim præsupponit habitum. c. ad dissoluendum. de despons. impub. & Arist. 10. metaphysic. tex. 16. Ideo qui dat causam abortioni, post conceptum animatum anima rationali, est verè homicida, antequam verò anima rationalis in fœtu sit infusa, non dicitur propria homicida, sed interpretatiue in sua causa, si quis dederit venena sterelitatis. vt in tex. & supr. c. si aliquis, vbi notaui de constitutionibus Sixti V. & Greg. XIII. contra tales emanatis.

Cap. 21. Postulasti.

NON imputatur clerico, ciuiliter iustitiam petenti de laico, si iudex in laicum exercet vindictam sanguinis.

QVIA absit, vt ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, si aliquid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. c. de occidendis. 23. q. 5. Et quoniam si Prælati, aut clerici propter metum huiusmodi, quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus, taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere depredandi. c. 2. infr. in 6. Et proposito, ac voluntate maleficia distiguuntur. c. cum voluntate. de sent. excom. Ideo præmissa protestatione, quod non intendit ad vindictam sanguinis, potest clericus pro suo interesse petere iustitiam, nec sibi imputatur, si postea iudex sæcularis imponit pœnam mortis. vt in tex. & c. fin. ne cler. vel mon. in 6.

Cap. 22. Exhibita.

HOMICIDIVM casuale non imputatur ei, qui non occidit, nec fuit in culpa, etiam si ad cautelam veniam postulauerit.

QVIA vbi non est culpa, ibi non debet esse pœna. S. Thom. p. 3. q. 52. art. 1. in addit. Et quoniam ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, causa tamen dilectionis impendimus. c. iam nunc. 28. q. 1. Ideo ex eo, quod quis petit veniam causa humilitatis, & ad cautelam, delictum, pro quo talem veniam petit, ei non imputatur. vt in tex. & c. solet. de sent. excom. in 6. licet absolutio simpliciter petita in iudicio, probet vinculum. c. venerabilem. §. fuit. de elect.

Cap.

Cap. 23. Ioannes.

HOMICIDIVM casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.

QVIA non est peccatum, nisi voluntarium. S. August. lib. 2. de ciuit. Dei. tex. 49. Et quoniam, qui dat operam rei licitæ, & adhibet debitam diligentiam, si homicidium casuale ex inde sequatur, non præstat illi voluntatem, neque directam, neque interpretatiuam. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. Ideo tale homicidium ei non imputatur. vt in tex. & supr. c. lator.

Cap. 24. Petitio.

CLERICVS pugnando, etiam contra inimicos fidei Catholicæ, si quenquam percussit, & de interfectione ipsum remordet conscientia, à ministerio altaris abstinere debet.

QVIA licet clerici alios posint hortari ad pugnam in iusto bello contra hostes. c. igitur. & c. hortatu. 23. q. 8. in propria tamen persona pugnare non possunt. c. quicunque. d. q. 8. cum eorum officium reddat eos inhabiles ad pugnandum. c. ex multa. §. fin. de vot. Et quoniam consultius est in dubio peccati, ab altaris ministerio abstinere, quàm temerè celebrare. vt in tex. & supr. c. significasti il 2. Et quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. c. literas. de restit. spol. Ideo licet clericus ex sola percussione non fiat irregularis, si tamen timet, quod causa illius percussionis, etiam per alios sit secutum homicidium, vel mutilatio membrorum, irregularitatem incurrit, & ab altaris ministerio debet se abstinere, vt in tex. & supr. c. ad audientiam.

Cap. 25. Quidam.

HOMICIDIVM casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.

QVIA fortuitos casus, nullius hominum consilium præuidere potest. l. 2. §. si eo. ff. de admin. rer. ad ciu. pert. Et quoniam ad impossibile nemo tenetur. l. impossibilium. ff. de reg. iur. nec aliquis tenetur diuinare. c. vt nostrum. vt eccl. ben. sine dimin. conf. & l. si putator. ff. ad leg. Aquil. Ideo casus fortuiti nemini sunt imputandi. vt in tex. & supr. c. Ioannes. Intellige tamen, quod casus fortuiti non imputantur, nisi culpa quis incidat in casum, vel pacto, vel mora præcedentibus casum. c. vnic. de commod. & c. bona fides. de deposit.

In Sexto. Cap. 1. Pro humani.

PER assassinos faciens, vel tantum mandans aliquem interfici, tanquã ab omnibus diffidatus, absq; alicuius prolatione, sententias incurrit excommunicationis, & depositionis ab officio, & beneficio.

QVIA assassinium est maximum delictum. l. 3. ff. de sicar. cum enim natura inter nos ius cognationis constituerit, hominem homini insidiari, nephas est. l. vt vim. ff. de iust. & iur. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Et dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et vt transgressionis vltio, fiat cæteris interdictio delinquendi. c. quapropter. 2. q. 7. & qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. c. qui per alium. infr. de reg. iur. Ideo contra huiusmodi delinquentes, imponuntur istæ grauissimæ Ecclesiæ pœnæ, ipso facto incurrendæ. vt in tex. & ad id l. 1. ff. ad leg. Corn. de sicar. & nouissimè contra tales est Constitutio Sixti V. quæ incip. hoc nostri.

Cap. 2. Prælatis.

SINE pœna irregularitatis, possunt clerici de suis malefactoribus conqueri coram iudice sæculari, etiam de criminibus, ex quibus debetur pœna sanguinis, expressè protestando, quòd ad pœnam sanguinis non intendunt.

QVIA si Prælati, aut clerici propter metum huiusmodi, quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus, taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi. vt in tex. & extr. c. postulasti. Et quoniam est coercenda iniquitas eorum, qui ecclesiasticos viros molestare intentant. c. si verò. extr. de iureiur. Et per huiusmodi protestationem, exhibetur à clericis magna lenitas ergo eorum atrocissimos offensores. c. pœna. 23. q. 5. Ideo Prælatis, vel clericis quibuscunque, qui de laicis suis malefactoribus quærelam penes sæcularem iudicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & prouideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur; protestando expresè, quòd ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet; quamuis aliàs in tali casu de iure debeat pœna sanguinis irrogari, si iudex mortem illis inferat, iustitia exigente. vt in tex. & c. vnum solum. 23. q. 5.

Cap. 3. Is, qui mandat.

MANDANTI aliquem verberari, secuta mors imputatur.

QVIA talis mandans in culpa fuit; & hoc euenire posse, debuerat cogitare. vt in tex. & extr. c. continebatur. Et quoniam vbi culpa præcef-

præcessit, regulariter quis tenetur de casu. extr. c. sicut dignum. & l. si putator. ff. ad leg. Aquil. Et qui non præuidet, quod præuidere debuit, est in culpa. l. qui occidit. §. in hac. ff. d. tit. & protestatio contraria facto, non releuat protestantem. l. 1. C. de furt. Ideo is, qui mandat aliquem verberari, licet expressè inhibeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat. vt in tex. & extr. c. de cætero.

In Clement. Cap. vnic. Si furiosus.

FVRIOSVS, infans, vel dormiens, hominem mutilans, vel occidens, non efficitur irregularis.

QVIA cum tales non sint suæ mentis, non possunt dici in culpa. l. sed & si. §. & ideo. ff. ad leg. Aquil. Et quod per eos fit, habetur perinde, ac si casu aliquo accidisset sine facto personæ. l. fin. ff. de admin. tut. Et quoniã vbi culpa nõ præcessit, quis non tenetur de casu. extr. c. fin. & l. si putator. ff. ad leg. Aquil. Ideo si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. vt in tex. & ad id, l. infans. ff. ad leg. Corn. de sicar.

NEC etiam ille, qui aliter mortem vitare nequiens, suum inuasorem occidit, vel mutilat.

QVIA vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. l. vt vim. ff. de iust. & iur. Et quoniam non est necessarium ad salutem, vt hunc actũ moderatæ tutelæ quis prætermittat ad euitandã occisionem alterius; nam plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quàm vitæ alienæ. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. Ideo qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem, irregularitatem non incurrit. vt in tex. & extr. c. interfecisti.

Liber Quintus. Titulus XIII.

DE TORNEAMENTIS.

In Decret. Cap. 1. Fœlicis. & Cap. 2. Ad audientiã.

TORNEAMENTA fieri non debent.

QVIA in huiusmodi detestabilibus torneamẽtis, in quibus milites ex condicto conuenire solent, & ad ostentationẽ virium suarum, & audaciæ, temerè congredi, mortes hominum, & animarum pericula sæpe proueniunt. vt in tex. & c. monomachiam. 2. q. 5. Et quoniam talia absurda sunt maximè euitanda. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. arg. cum

anima sit cunctis rebus pretiosior.c. cum sit.de ætat. & qual.ord.& cum nemo sit dominus membrorum suorum. l.liber.ff.ad leg.Aquil.Ideo ista torneamenta omnino prohibentur. vt in tex. & c. 1. de cleric. pugn. & nouissimè Conc. Trid.sess. 25.de refor.cap.19.

ET vulnerato in eis conceditur pœnitentia; sed si moritur, denegatur ei sepultura Ecclesiastica, si accessit animo pugnandi.

QVIA Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti.c.quod in te. de pœnit. & remiss.Sed quoniam ita est consulendum talibns peccatoribus redeuntibus ad salutem,vt per pœnitentiam eis impositam, & per Ecclesiæ disciplinam,alij terreantur à similibus delictis perpetrãdis.c.quapropter.2.q.7. Et mortuis non obstet vilis, nec prodest pretiosa sepultura.13.q.2.c.animæ. Ideo conceditur pœnitentia tali vulnerato, eam poscenti,vt illius animæ consulatur; Ecclesiastica verò sepultura ei denegatur,vt alij videntes eũ sepeliri in campis,à similibus se abstineãt, & terreantur.vt in tex.& c.2.de raptor. & Conc.Trid.d.cap.19.

SECVS si accessit alia causa,vt puta,vt debita sibi exigeret.

QVIA voluntas, & propositum,distinguunt maleficium.c.cum voluntate.de sent.excom. & l.qui iniuriæ.ff. de furt. Et quoniam vbi non est culpa,non debet esse pœna. S.Thom.par.3.q.52.art.1. Et fortuiti casus nemini regulariter sunt imputandi.c. Ioannes.de homic. Ideo his tantum Ecclesiastica sepultura debet interdici,qui ad torneamenta animo id faciendi tantum accedẽtes, decedunt ibidem;si verò constat,quod ad prædictum torneamentum, non animo ludendi,sed percipiendi credita, vel similia, quis peruenisset, licet ibi fortuito casu obierit, corpus eius ecclesiasticæ sepulturæ tradi potest; maximè si Dominicum corpus susceperit, & sacri olei fuerit vnctione perunctus. vt in tex.& c. sacris. de sepult.

In Extrauag.Ioan. 22. Cap.vnic. Quia in futurorũ.

CONSTITVTIO Clementis, in quibusdam regnis torneamẽta inhibens sub pœnis excõmunicationis,& interdicti,hic reuocatur; & illi, qui huius occasione sententias incurrerant,absoluuntur.

QVIA in futurorum euentibus, sic humani fallitur incertitudo iudicij,vt quod coniectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio vtile pollicetur, reperiri damnosum quandoque contingat; nonnunquam quod consultè statuitur, ex sanioris inspectione iudicij consultius reuocatur.vt in tex.& Authent. hæc constitutio.coll.8.Et quoniam per illam Constitutionem Clementis V. qua ipse sperabat, subsidium terræ sanctæ augeri, illud potius diminuebatur.vt in tex.Ideo Ioan-

Ioannes XXII. eius successor eam reuocat, & illos, qui per ipsam sententias excommunicationis, vel interdicti incurrissent, absoluit. vt in tex. Hodie autem detestabilem duellorum vsum ex Christiano orbe pœnitus exterminauit Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 19.

Liber Quintus. Titulus XIV.

DE CLERICIS PVGNANTIB. in duello.

In Decretal. Cap. 1. Porrò.

CLERICVS iniens duellum, siue obtulerit, siue susceperit, deponendus est.

QVIA duellum reprobatur multis rationibus; Primo, quia per talem probationem Deus tentari videtur. c. monomachiam. 2. q. 5. Secundo, quia mortes hominũ, & pericula animarũ inde proueniunt. c. 1. de torneam. vnde & homicidæ veri existunt. infr. c. prox. Tertio, quia non est verisimilis probatio; imo verisimile est, quod fortior, & potentior debiliorem conculcet. d. c. 1. de torneam. potentioribus enim pares esse nõ possumus. l. 3. ff. de alien. iud. mut. cauf. fact. Quarto, quod ex tertio procedit, quia vix, aut nunquã possunt eligi pugiles pares in omnibus hinc, & inde; in iudicijs autem inquitas, & inæqualitas reprobantur, & parilitas approbatur. c. cum inter. de except. & c. 2. de mut. pet. Quinto, quia inuentum est, diabolo fabricante. c. Mennam. & c. consuluisti. 2. q. 5. Sexto, quia falsa probatio est, vnde nec sententia hac occasione lata, in rem iudicatam transit. c. 2. de purg. vulg. Septimo per consequens, quia nulla fortitudo sine iustitia est laudanda. Authent. vt omnes obed. iud. coll. 5. Et quoniã huiusmodi absurda, maximè sunt vitanda à clericis, quibus pugnare omnino est interdictum, c. ex multa. §. fin. de voto. Ideo si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit; siue victor, siue victus fuerit; de rigore iuris est merito deponendus. vt in tex. & c. si quis. dist. 51.

POTERIT tamen Episcopus cum eo dispensare si mors, vel mutilatio membri non sit inde secuta.

QVIA mors, vel mutilatio mẽbri taliter secuta, ita aggrauat delictũ, vt ille irregularis efficiatur. c. tua. de homic. Et quoniam maiores causæ, in signum præeminentiæ singularis sunt summo Ponti-

tifici reseruatæ.c.inter. de transl.episc. in alijs verò minoribus conceditur Episcopis dispensandi facultas. c. at si clerici.de iudic.Ideo quantuncumque eius in hoc grauis sit, & enormis excessus, euadere potest depositionis sententiā, si cum ipso suus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum; dummodo ex illo duello homicidium, vel membrorum diminutio, non fuerit subsecuta. vt in tex. & c. miror. dist.50. & Conc.Trid.sess.24.cap.6.& sess.14.cap.7.

Cap. 2. Henricus.

IRREGVLARIS est clericus, non solum si ipse interficit per se, sed etiam si pugil ab eo datus, aduersarium occidit.

QVIA homicidium, tam facto, quàm præcepto, siue consilio, aut defensione, non est dubium perpetrari. vt in tex.& c.sicut, il 1.de homicid. Et quoniam quilibet homicida irregularitatem incurrit, nisi sit furiosus, vel infans, aut dormiens, vel aliter mortem euitare non valens, suum inuasorem occiderit. Clem.vnic.de homic. Ideo non solum ille, qui per se interfecit, sed etiam alius, pro quo ille in duello pugnauit, & cuius consilio interfecit, irregularis euadit; & ob id si sit clericus, non debet in ordinibus ministrare. vt in tex. & d.c.sicut. §.fin. & S.Thom.2.2.q.40.art.2.

NEC excusat consuetudo.

QVIA talis consuetudo est praua, & reprobata. c. 1.de purg. vulg. Et quoniam consuetudo irrationabilis nullius est roboris, sed debet extirpari.c. fin. de consuet. Ideo consuetudo talem clericum non excusat. vt in tex. & c. monomachiam. 2. q. 5. & Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 19.

POTERIT tamen cum eo, circa beneficium habendum dispensari.

QVIA ex tempore, loco, persona, & causa, iuris rigor relaxatur. c. sciendum. dist. 29. Et per dispensationem factam ab eo, qui habet auctoritatem dispensandi, quod erat illicitum, fit licitum. c. dudum, il 2. & ibi glos. de elect. Et quoniam opprobrium est, vt clerici cogantur mendicare. c.studeat. dist. 50. Et detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus sanandis malis charitas sincera subueniat. c. vt constitueretur. d.dist.50. Ideo cum tali clerico circa habendum beneficium, poterit misericorditer despensari. vt in tex.& c. domino.d.dist.50. Quod intellige de gratia, & si clericus sit corrigibilis. Host.hic.nam alias de rigore, esset deponendus, & ad agendam pœnitentiam in perpetuum monasterium detrudendus.c.tuæ.de pœnis.

Liber Quintus. Titulus XV.

DE SAGITTARIIS.

In Decretal. Cap. vnic. Artem.

EXCOMMVNICANDVS est sagittarius, & balistarius, contra Christianos.

QVIA huiusmodi ars mortifera, est odibilis, propter homicidia, inde prouenientia, & animarum pericula. vt in tex. Et quoniam ad remouendum finem, sunt tollenda media, per quæ deuenitur ad illum finem. l. 1. ff. de mortuo infer. Ideo ars illa mortifera, & odibilis balistariorum, & sagittariorum aduersus Christianos, & Catholicos, exerceri de cætero sub anathemate prohibetur. vt in tex. & ad id. c. 1. de torneam. Et ex eo, quod talis ars prohibetur exerceri aduersus Christianos Catholicos; apparet, quod secus est aduersus hæreticos, & infideles. Host. hic. Et intellige hic prohiberi pro bello iniusto. glos. hic. arg. c. sicut il 3. de iureiur. nam si esset iustum, nulla distinctione armorum, licitum esset pugnare. c. dominus. 23. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 3.

Liber Quintus. Titulus XVI.

DE ADVLTERIIS, ET stupro.

In Decretal. Cap. 1. Si seduxerit. & c. 2. Peruenit.

STVPRANS virginem, tenetur eam dotare, & ducere in vxorem; & si non vult cum ea contrahere, vltra dotem, corporaliter castigabitur.

QVIA quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. literas. de temp. ord. Et quoniam si ipsi raptores metu, vel atrocitate pœnæ ab huiusmodi facinore se temperauerint, nulli mulieri, siue volenti, siue nolenti, peccandi locus relinquetur; quia hoc ipsum velle mulierum ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam,

 indu-

inducitur. Nisi etenim eã solicitauerit, nisi odiosis artibus circũuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere. l. vnic. §. 2. C. de rapt. virg. Ideo si seduxerit quis virginem non dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit vxorem. Si verò pater virginis dare noluerit; reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt. vt in tex. & c. tria. 36. q. 2. & Exod. cap. 22. Et quãuis de iure ciuili, qui virginem stupro decepit, esset alia pœna plectendus, scilicet, vt relegetur, vel si vilis persona fuerit, verberetur. Instit. de publ. iud. §. 2. si autem per vim hoc fecerit; capite plectetur. Instit. eod. §. sin autem: ius tamen canonicum aliquatenus legis duritiem molliens, hoc modo disponit, vt eam, quam stuprauit, vxorem habeat; aut si renuendum putauerit, corporaliter castigatus, excommunicatusq; in monasterio; in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla sit egrediendi fine præcepto licentia. vt in tex. & c. si quis il 2. 36. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 153. art. 6.

Cap. 3. Si vir.

MARITVS retinens adulteram coniugem, non peracta pœnitentia, particeps est delicti.

QVIA talis maritus videtur quasi leno vxoris, & facere causa quæstus. c. apud. 32. q. 1. & l. castitati. C. de adult. Et quoniam agentes, & consentientes, pari pœna puniuntur. c. quantæ. de sent. excom. Et causa fornicationis licet dimittere vxorẽ. Luca. cap. 16. Ideo si vir sciens vxorẽ suam deliquisse, quæ nõ egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, & vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps. vt in tex. & c. sicut. 32. q. 1.

SECVS, si egit pœnitentiam.

QVIA post satisfactionem pœnitentiæ, coniunx non meretur vocari adultera. c. si quis. 32. q. 1. Cum enim renuntiatur improbitati, statim adsciscitur virtus; nam egressus malitiæ virtutis operatur ingressum; eodemque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur. S. Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel. cap. 4. Et quoniam cessante causa, cessat effectus. c. cum cessante. de appell. Et facile debet maritus ignoscere, quod videt ignouisse Deum. S. August. ad Pollentium. lib. 3. cap. 6. Ideo si mulier dimissa, egerit pęnitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, recipi debet. vt in tex. & c. admonere. 33. q. 2. Et S. Thom. in 4. sent. dist. 35. q. 1. Quod intellige de debito honestatis, non necessitatis. glos. hic. Cum etiam post pęnitentiam, possit eam accusare de adulterio. d. c. admonere.

NON tamen debet eam sæpe recipere.

QVIA facilitas veniæ est incentiuum delinquendi. c. vt clericorum. de vit. & hon. cler. & delicta impunita transeunt in exempla. c. non

est.

32. q. 5. et quoniam non est miserendum illius, qui impunitatem delicti magis consuetudini, quàm emendationi imputauit. l. 3. C. de Episc. aud. Ideo vir non debet sæpe recipere vxorem de adulterio peccatricem. vt in tex. & c. de Benedicto. 32. q. 1. & Authent. sed hodie. C. de adult.

Cap. 4. Maritis.

MARITVS propter suspicionem potest accusare vxorem de adulterio.

QVIA probabilis, vel violenta præsumptio, sunt modi, per quos deuenitur in cognitionem fornicationis. c. dixit, & ibi glos. 32. q. 1. Et quoniam illæ probationes sunt admittendæ, quæ sunt verisimiliores, & aptiores negotio, de quo agitur. l. 3. ff. de testib. Ideo maritis, etiam ex suspicione, vxores accusare permissum est. vt in tex. & c. præterea. de testib. Quod intellige de suspicione probabili, vel violenta. glos. hic. secus de temeraria. c. primo semper. 2. q. 1.

ET in accusando, præfertur cæteris.

QVIA quo magis quis suam prosequitur iniuriam, eo magis in accusatione præfertur. l. hi tamen. ff. de accus. Et quoniam maritus in adulterio vxoris habet maius interesse, quam quilibet alius. c. dixit. 32. q. 1. Qui enim tenet adulteram, stultus, & impius est. Prouerb. cap. 18. Ideo mariti plus cæteris, & accusare possunt, & defendere. vt in tex. & l. 2. §. fin. ff. de adult.

Cap. 5. Significasti.

AD solam mulieris confessionem, asserenti se commisisse adulterium cum sacerdote, non debet sacerdos puniri.

QVIA in criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores. l. sciant. C. de probat. Et quoniam talis mulieris confessio contra illum sacerdotem non plene probat; tum quia mulier. c. forus. de verb. sign. tũ quia erat particeps criminis, & confitebatur delictũ suum. c. 1. de confess. tum quia sola. c. licet. de testib. Ideo licet illa mulier probet contra se, non tamen sufficienter probat contra alium, vt per eius dictum talis debeat puniri. vt in tex. & c. veniens. de testib.

SED sibi infamato potest indici purgatio, quam si præstiterit, absoluitur, deficiens verò suspenditur ab officio.

QVIA curandum est, ne infirmorum corda, mala fama sacerdotis percutiantur; & ne vituperetur ministerium nostrum, neuè securiores presbyteri existentes, licentius in peccatum prolabantur. 1. ad Corinth. cap. 8. & c. si mala. 2. q. 5. Et quoniam per purgationem canonicam, infamia orta contra aliquem remouetur; si verò ille in tali purgatione deficiat, ita augetur, vt pro conuicto habeatur. c. insinuatum. de

ſimon. Ideo tali ſacerdoti, cum vicinis quinque presbyteris, quos ſe nolle peierare, Epiſcopus, iuxta arbitrium ſuum, cognoſcat, purgatio eſt indicenda; quem, ſi purgare ſe poterit, in officio ſuo miniſtrare permittat; alioquin ipſum ab officio ſuo ſuſpendere non poſtponat. vt in tex.& c.inter.de purg. can.

Cap. 6. Intelleximus.

CONIVNX coniugem de adulterio impetere non poteſt, ſi & ipſe adulterium commiſiſſe conuincatur.

QVIA maritus, & vxor non iudicantur ad imparia circa matrimonium, quo ad mutuam ſeruitutem, & debitum carnis, & fidem ſeruandam. c.gaudemus. de diuort. & c. ſi quis. 32. q. 1. Et quoniam paria delicta mutua compenſatione tolluntur. vt in tex.& l.ſi ambo. ff.de compenſ. quod intellige, cum agitur ciuiliter, & delicta ſunt commiſſa circa idem. Abb.hic. nam ſi ageretur criminaliter, vel delicta eſſent commiſſa circa diuerſa, tunc delictum vnius non tolleretur per peccatum alterius, ſed quilibet eſſet de ſua culpa puniendus; & quiſq; pro ſua iniuria, & damno agere poſſet. c.delicti. de except.& l. 2. §. ſi publico. ff. de adult. Ideo cum matrimonij ius per adulterium vtriuſque coniugis pariter læſum conſiſtat, vnus non poteſt repellere alterum. vt in tex.& infr.c.prox.

Cap. 7. Tua.

NON debet ſeparari matrimonium, quo ad thorum, propter adulterium, quando ambo coniuges fuerunt adulterati.

QVIA paria crimina compenſatione mutua delentur. vt in tex. Et quoniam adulterium eſt in vtroque coniuge par crimen. c. præcepit. 32. q. 5. Ideo non poteſt maritus, vel vxor declinare propter adulterium, conſortium, vel cohabitationem alterius, ſi & alter eorum ſit adulteratus. vt in tex.& ſupr.c.prox.

Liber Quintus. Titulus XVII.

DE RAPTORIBVS, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum,

In Decretal. Cap. 1. De illis.

RATIONE rapinæ ſortitur quis forum non ſui iudicis, & ab eo poterit puniri, proprio iudice ſuffragante.

QVIA

QVIA in foro contentioso imponitur pœna, vt satisfaciat reipublicæ læsæ, quam scandalizauit delinquens. l.aut facta. ff.de pœnis. Et quoniam vbi quis committit rapinam, ibi maxime læditur respublica, & scandalizantur habitatores. l.2. ff. de vi bon.rapt. Ideo de illis, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas, & deprædationes peragunt; placuit, vt ab illius loci Prælato excommunicentur, nec ante ex parochia illa exeant, quàm dignè, quæ perpetrarunt, emendent, quorum excommunicatio proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat, antequam illuc redeant, vbi rapinam fecerint, & omnia plenè emendent. vt in tex. & c.postulasti.de for.comp.

Cap. 2. Super eo.

MANIFESTVS raptor, vel Ecclesiæ violator, si restituit, vel de restituendo cauet, in vita, & in morte ad pœnitentiam, & ad sepulturam admittitur.

QVIA iste per restitutionem satisfecit proximo in damno, quod perpetrauerat. c. cum tu. de vsur. & per pœnitentiam satisfacit Deo in peccato, quod commiserat.c.1.de pœnit.dist.1. Et quoniam Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti. c. 1.23. q. 6. Ideo huiusmodi pœnitenti non est deneganda ecclesiastica sepultura. vt in tex. & c.fin.de sepult.

SI verò noluit cauere, cum posset, & in morte non potest, clerici eius sepulturæ interesse non debent.

QVIA licet dimittatur peccatum, data contritione, si ablatum restitui non potest. d. c.cum tu. Tamen quoniam raptores, qui non restituerunt, & eorum hæredes, ac alij, videntes, quod propter omissam restitutionem, quam aliàs facere potuissent, à solemnitate sepeliendi excluduntur, facilius ad restitutionem inducuntur. Io. And. hic. Ideo tali non denegatur ecclesiastica sepultura, sed solemnitas sepeliendi cum præsentia clericorum, non conceditur. vt in tex.& c.sacris.de sepult.

ET clerici interessentes, vel iniungentes pœnitentiam contra hanc dispositionem, deponuntur ab officio, & beneficio.

QVIA quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c.litteras.de temp. ord. Et quoniam qui facit contra legem, committit in legem. l.non dubium.C.de legib. Ideo clerici, qui contra hanc prohibitionem committunt, in officio, & beneficio puniuntur. vt in tex.& c.3.de vsur.

Cap. 3. Excommunicationi.

EXCOMMVNICARI debent, qui capiunt, vel spoliant fideles, ex iusta causa nauigantes.

QVIA

QVIA huiusmodi piratæ sunt fures, & latrones. l. ne quid. ff. de incend. ruin. naufr. Et quoniam publicè interest, vt fideles sine periculo talium latronum, nauigare possint. l. 1. ff. d. tit. Ideo excommunicationi subdantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro negotiatione, vel alijs honestis causis, nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. vt in tex. & c. si quis. 23. q. 4.

EXCOMMVNICATI sunt, spoliantes naufragium patientes, nisi ablata restituant.

QVIA non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. c. cum tu. de vsur. Et quoniam afflictio afflicto addi non debet. l. diuus. ff. de offic. præsid. Et iniquum esset, vt quis lucraretur in aliena calamitate, & de re tam luctuosa compendium sectaretur. l. 1. C. de naufrag. lib. 11. Ideo illi, qui Christianos naufragium patientes (quibus secundum regulam fidei, auxilio esse tenentur) damnata cupiditate spoliant rebus suis; nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere. vt in tex. & ad id, Auth. naufragia. C. de furt. & huic cap. concordat processus Bullæ in Cœna Domini, quæ singulis annis legitur.

Cap. 4. In Archiepiscopatu.

EX Principis delegatione, possunt Prælati de raptu, & alijs criminibus iudicare; pœnam tamen sanguinis infligere non possunt.

QVIA licet laici non possint esse iudices super clericos, cum spiritualis iurisdictionis sint incapaces. c. at si clerici. de iudic. clerici tamen, & Prælati Ecclesiastici possunt esse iudices super laicos, cum iurisdictionis illius sint capaces. c. nouit. d. tit. Sed quoniam clerici iudicium sanguinis exercere non debent. c. clericis. ne cler. vel mon. Et vbi delegatus non potest expedire id, de quo agitur, est recurrendum à delegato ad delegantem. c. qualiter, il 1. de accus. & c. fin. de re iud. Ideo possunt Prælati constitui delegati laicorum, dummodo ad pœnam sanguinis non procedant. vt in tex. & c. sæpe. 23. q. 8. non tamen debent huiusmodi delegationem acceptare, nisi concernat fauorem animarum. Abb. hic. arg. c. sed nec procurationes. ne cler. vel mon. &c. te quidem. 11. q. 1.

Cap. 5. In litteris.

INCENDIARIVS Ecclesiæ in morte pœnitens, & absolutus, in cœmiterio sepelietur.

QVIA quibus communicamus viuis, communicandum est & defunctis. c. ex parte. de sepult. Et quoniam Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti. c. 1. 23. q. 6. Et in articulo mortis potest presbyter, tam parochus, quàm alienus, absoluere à sententia excommunicationis, tam hominis, quàm iuris, etiam si absolutio aliàs sit reseruata Papæ. c. si quis suadente. 17. q. 3. & Conc. Trid. sess. 14. de casuum reseruat. cap. 7. Ideo

quam-

quamuis ecclesiæ incendiarius sit ipso facto excommunicatus. c.conquæsti. de sent.excom.si pœnitens in morte, fuerit absolutus, corpus eius in cœmiterio sepeliri potest. vt in tex.& c.fin. de sepult.

ET hæredes compelluntur ad satisfaciendum, iuxta facultates defuncti.

QVIA hæredes, adeundo hæreditatem, videntur ex quasi contractu se obligare ad ea, ad quæ tenebatur defunctus. l.ex depositi. C. de act. & oblig. Et quouiam incendiarius tenetur resarcire damna per tale incendium commissa. c.pessimam. 23. q.8. Ideo ex quo ipse non satisfecit, debent iuxta facultates defuncti, satisfacere hæredes. vt in tex.& c.à nobis, il 2.de sent.excom.

Cap. 6. Cum causa.

RAPTVS non dicitur, vbi volens pro matrimonio abducitur.

QVIA raptus propriè dicitur committi, vbi mulier rapitur causa libidinis exercendæ; secus vbi causa matrimonij contrahendi; & hoc vbi prius præcessit tractatus de matrimonio. c.raptus. 27. q.2. & in hoc ius canonicum deuiat à iure ciuili, quod vult, vt possit committi raptus etiam cum sponsa de futuro. l. vnic.C.de rapt.virg. Et quoniam matrimonium solo consensu contrahitur. c. 1. de sponsal. Ideo raptor dici non debet, qui habuit mulieris assensum, & prius eam desponsauit, quam cognouerit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse. vt in tex. & c.lex illa.27.q.2.& S.Thom.2.2.q.154.art.7.

RAPTOR tamen cum rapta matrimonium contrahere potest.

QVIA prior dissensus potest postea transire in consensum.infr.c.prox. Et quoniam solus consensus contrahentium sufficit ad contrahendum matrimonium. c.sufficiat. 27. q. 2. Ideo raptor potest matrimonium contrahere cum rapta, vbi datur libera facultas in contrahendo. vt in tex. & c.tria.36.q.2.& Conc.Trid.sess.24.de refor.matr.cap.6.

ET post consummationem matrimonij, alter sine consensu alterius, religionem ingredi non potest.

QVIA post matrimonium carnis commistione perfectum, vxor sui corporis potestatem non habet, sed maritus, & è conuerso. Apost. 1. ad Corinth. cap. 7. Et quoniam in professione religionis emittitur votum castitatis. c.cum ad monasterium. de stat. mon. Et nemo potest facere oblationem Deo de alieno, sine illius voluntate. S.Thom. par. 3. q.61. art.1.in addit. Ideo si præcessisse matrimonium consummatum, vel ex probationibus viri, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodum sine assensu viri non potest ipsa monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. Non ergo pro eo, quod post matrimonium consummatum, rapta

rapta per vim in monasterio fuerit, viri poterit consortium declinare; maximè si probari nequeat, virum, vt mulier profiteretur continentiam, assensisse. vt in tex.& c.cum sis.de conuers.coniug.

Cap. 7. Accedens.

RAPTA potest matrimonium contrahere cum raptore, vbi datur libera facultas in contrahendo.

QVIA per subsequentem consensum, tollitur vitium præcedens. c. ad id, quod.de sponsal. & l.2. C. quod met. caus. Et quoniam matrimonium solo consensu contrahitur.c.1.de spons.Ideo rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum; & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere; dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ. vt in tex. & sup. c. prox. Vnde licet secundum antiquos canones, & secundum leges, non poterat raptor contrahere cum rapta. 36.q.2.c.de puellis. & c. si autem. & l. vnic. C.de rapt.virg.hodie secus est. vt in tex. & c.denique.36. q.2. Ius autem posterius derogat priori. c.1.de constit. in 6. Et in matrimonio, & in eius accessorijs, standum est iuri canonico.c.penult. & fin. de secund. nupt. Et nouissime ad hæc vide Conc.Trid.sess.24.de refor.matr.cap.6.

Liber Quintus. Titulus XVIII.

DE FVRTIS.

In Decretal. Cap. 1. Qui furatur.

QVI furatur hominem, & vendiderit, conuictus morte moriatur.

QVIA cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est hominem homini insidiari, nefas esse. l. vt vim.ff.de iust. & iur. Et quoniam graui crimini, grauis pœna debetur.c.disciplina.dist.45.Ideo qui furatur hominem, & vendiderit, conuictus morte moriatur. vt in tex.& l. lege Flauia. ff. ad leg.Flau. de plag. Sed dices, ex quo de iure canonico non imponitur pœna sanguinis. vt in c.in Archiepiscopatu. sup.tit.prox. quomodo hic imponitur pœna mortis? Respond. quod ista non est institutio canonica, sed lex antiquà Exodi, cap.21.vt patet in suprascriptione; sed compilator eam posuit hic, vt sciretur, quomodo acriter furantes homines liberos, sunt puniendi, quasi innuat, quod secundum legem antiquam sunt puniendi morte, & debent per iudicem ecclesiasticum, citra mortem acriter puniri. Abb. hic. Secundo potest dici, quod ideo interseruit hic hanc decretalem,

talem, quia per mortem hodie de iure canonico intelligitur excommunicatio. vt in c.per venerabilem. qui fil.sint legit.

Cap. 2. Fures.

FVRIBVS, & latronibus in peccato obeuntibus, sacramenta ecclesiastica deneganda sunt.

QVIA tales in mortali peccato existunt. Exod.cap.20. & S.Tho.2.2. q.66.ar.6. Et quoniam existentes in mortali peccato, tanquam indigni, ab ecclesiasticis sacramentis excluduntur: c.placuit. 23.q.5. Ideo fures, & latrones, si in furando, vel deprædando, occiduntur, pro eis non est orandum. vt in tex. & c.pro obeuntibus. 13.q.2.

SECVS si in morte eos pœnituit.

QVIA cum renunciatur improbitati, statim adsciscitur virtus; egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingressum; eoq. studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur. c.cum renunciatur. 32.q.1. Et quoniam Ecclesia non claudit gremium redeunti. c.super eo. de hæret. in 6. Ideo si tales comprehensi, aut vulnerati, presbytero, vel diacono confessi fuerint, communio, & sepultura eis non negantur. vt in tex. & c. 2. de pœnit.dist.7. Et in quantum dicit, posse confiteri diacono, intelligitur in casu necessitatis, in quo quis potest etiam non presbytero confiteri, licet ab illo non possit absolui, cum non habeat potestatem clauium, sed propter contritionem Deus dimittit sibi peccatum. c. quem pœnitet. de pœnit.dist.1. & per hoc euidens signum pœnitentiæ, & contritionis, Ecclesia non denegat sibi sepulturam. Host.hic.

Cap. 3. Si quis.

COMMITTENS furtum ex necessitate, non multum vrgente, peccat, sed non grauiter; vnde imponenda est ei leuis pœnitētia,

QVIA in necessitate omnia sunt communia. c.sicut.dist.47. & c.discipulos.de consecr. dist.5. vnde propter necessitatem, furans excusatur quandoque à toto, quandoque à parte, secundum quod maior, vel minor est fames. Raym.in summa.de furt. & Abb.hic. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c.disciplina. dist.45. Ideo si propter necessitatem famis, aut nuditatis, quis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur ieiunare. vt in tex. & c.quod autem. 23.q.7. & S.Thom.2.2.q.66.art.7.

Cap. 4. Qui cum fure.

NON indicans furem propter lucrum, quod ab eo consequitur, reus peccati est.

QVIA pessimum genus est receptatorum, sine quibus latere nemo diu potest. l.1. ff.de receptat. Et quoniam tales sunt criminis partici-

pes,

pes, & quod eis datur, turpiter datur.l.4.ff. de condict.ob turp. cau. Ideo qui cum fure partitur, occidit animam suam. vt in tex. & Prouerb.cap.29. Et non fur solum, sed & ille reus tenetur, qui furti conscius, quærente possessore, non indicat. vt in tex. & S.Hieronym.super d.prouerb.& Instit.de oblig. quæ ex delict.nasc. §. ope. Pro inueniendæ autem re furata, quando iudex debeat concedere, vt perquiratur domus alterius. vide tex. in l.qui leuandæ. ver. & si suspicati. ff.ad leg.Rhod.de iact.& Bald.in l.2.C.de seru. fug. Vbi autem immineret periculum mortis, melius esset tacere, quàm furem indicare. c. ne quis. 22.q.2.

Cap. 5. Ex litteris.

FVR occultus potest post restitutionem, & pœnitentiam, ad sacros ordines promoueri.

QVIA Ecclesia non iudicat de occultis.c.erubescant.dist.32. Et quoniam per restitutionem satisfit parti offensæ. c. cum tu. de vsur. Et per pœnitentiam quis incipit esse, quod non fuit. c. ferrum. dist. 50. & per per eam satisfit Deo. c.2.de rapt. & c. cum renunciatur.32.q.1. Ideo si fur spontè confessus fuerit, & domino rei satisfecerit, nec sit super hoc nota, vel infamia manifesta respersus; post peractam pœnitentiam, aut congruam partem pœnitentiæ (dummodo aliàs sit idoneus) ad sacros ordines potest promoueri. vt in tex.& c.fin.de temp.ord.

In Extrauag. comm. Cap. vnic. Infidelis.

PVBLICATIO excommunicationis latæ in eos, qui furati sunt thesaurum Ecclesiæ, quem iubente Clemente Papa, de Perusio in Lucanam ciuitatem, tres viri hic nominati deportauerunt. Et hic habetur optima practica monendi malefactores, vt intra certum terminum satisfaciant, aliàs excommunicationem incurrant; & modum ipsius excommunicationis publicandæ hac Extrauagans clarè manifestat.

QVIA infidelis, & stolidæ prædicationis alumni, se per culpæ vitium indignos efficiunt, vt matris Ecclesiæ filij nuncupentur, dum ad ipsius matris iniuriam se conuertunt, matris eiusdem pietatem offendunt, & his in perniciem miserabili cæcitate dilapsis, respergunt infamiæ maculis loca propriæ nationis. vt in tex. Et quoniam maior excommunicatio separat non solum à perceptione sacramentorum, sed etiam à communione fidelium. c.penult. ext.de sent. excom. Et dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Ideo in personam huiusmodi malefactorum,

& vt thesaurus sic furatus facilius recuperetur, contra tales criminosos hæc grauissima Ecclesiæ pœna infligitur. vt in tex. & simile in c. 1. ext. eod.

Liber Quintus. Titulus XIX.

DE VSVRIS.

In Decretal. Cap. 1. Plures. & Cap. 2. Quoniam.

VSVRA est lucrifacere fructus rei pignoratæ.

QVIA qui plus, quàm dederit, accipit, vsuras expetit. c. si fœneraueris. 14. q. 3. Et quoniam si fructus rei pignoratæ non computarentur in sortē, ille, qui tenet pignus, plus acciperet, quàm fuerit mutuatus. c. cum contra. de pignor. Ideo si aliquis alicuius possessionem, data pecunia sub hac specie, vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam (deductis expensis) de fructibus iam perceperit, absolutè possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet; eo recepto, possessio liberè ad dominum reuertatur. vt in tex. & c. illo. de pignor. & S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. & l. 1. C. de pign. act.

FALLIT in casu hic excepto, scilicet, nisi fortè Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum clerico hoc modo de manu laici videatur.

QVIA in tali casu clericus non dicitur percipere fructus ex re aliena, sed ex re sua, & Ecclesiæ. c. 1. & ibi Abb. de feud. Et quoniam res facilè reuertitur ad naturam suam. l. si vnus. §. pactus. ff. de pact. Ideo dominus proprietatis, siue clericus dominus beneficij, est dominus tunc etiam illorum fructuum, nec tenetur eos computare in sortem. vt in tex. & infr. c. conquæstus. Et ex his habes vnum casum, in quo aliquid percipitur vltra sortem, & non est vsura: sunt & alij casus, quos vide per glos. in sum. 14. q. 3. Et generaliter vbicunque percipitur aliquid loco interesse, non committitur vsura. Abb. hic. & pone exemplum in terminis quotidianis; mutuaui tibi centum, & cum indigerem hac pecunia, & tu non valeres restituere, recepi tantam pecuniam ad interesse; tunc potero exigere à te non solum debitum, sed etiam interesse, quod solui; quia non vt vsuram, sed vt interesse percipio; nam mihi nullum lucrum tunc accedit. c. dilecti. de for. comp. & idem in fideiussore, qui necesse habuit soluere creditori, & accepit ad interesse. c. peruenit. de fideiuss.

Cap. 3. Quia in omnibus.

MANIFESTI vsurarij ad communionem altaris, & ecclesiasticam sepulturam, & oblationem offerendam admitti non possunt.

QVIA

QVIA vsura est peccatum mortale. infr.c.consuluit. & S.Thom.2.2. q.78.art.1. Et quoniam manifestè existentes in peccato mortali, cum appareant extra gratiam Dei, non sunt ad hæc sancta, & ecclesiastica opera admittendi. c. omnis. de pœnit. & remiss. & c. pro obeuntibus. 13. q. 2. Ideo cum in omnibus ferè locis ita crimen vsurarum inualuerat, vt multi (alijs negotijs prætermissis) quasi licitè vsuras exercerent, & qualiter vtriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attenderent; constituitur, quod vsurarij manifesti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam (si in hoc peccato decesserint) accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quisquam accipiat. vt in tex. & infr. c. cum in diœcesi.

ET clerici hoc facientes, puniuntur.

QVIA aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod peruenitur ad illud. c.cum quid.de reg.iur. in 6. Et quoniam omne prohibitum à lege, est peccatum. c. nam. de constit. Et quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c.literas. de temp.ord. Ideo qui aliquid tunc acceperit, vel tales Christianæ tradiderit sepulturæ; & quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspensus. vt in tex. & c.2.de raptor.

Cap. 4. Super eo.

NON licet inducere quẽ ad exercendũ vsuras, etiam pro pio opere.

QVIA prætextu boni, malum fieri non debet.c.non est putanda. 1.q. 1. Et quoniam inducere hominem ad peccandum, est malum.c.ita ne. 32.q.5. Ideo cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur. vt Luc. cap. 6. & Psalm.14. super hoc dispensatio aliqua fieri non potest. vt in tex. nam cum Scriptura sacra prohibeat, pro alterius vita mentiri. S.August. in quinto psalmo ad vers. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. & c.ne quis. 22. q.2. multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur. vt in tex. & infr.c.tuas. Dic tamen, quod quamuis nullo modo liceat inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & vsuras exercet, mutuum accipere sub vsuris, propter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Et in tali casu ille, qui accipit, non consentit in peccatum vsurarij, sed vtitur eo; nec placet ei vsurarum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona; nec dat occasionem vsurario vsuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem vsurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui; vnde scandalum passiuum ex parte sua est, non autem actiuum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passiuum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat; quia huiusmodi passiuum scandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia. S.Thom.2.2.q.78.art.4.

Cap.

Cap. 5. Cum tu.

VSVRARII, qui ſunt ſoluendo, coguntur per pœnas Lateranenſis Concilij, vſuras reſtituere.

QVIA non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. S.Auguſt.epiſt. 54. ad Macedon. Sed quoniam ad impoſſibile nemo tenetur.l.impoſſibilium. ff.de reg. iur. Ideo vſurarij cogendi ſunt per pœnam in Lateranenſi Concilio ſtatutam, vſuras his, à quibus extorſerunt, vel eorum hæredibus reſtituere, vel (his non ſuperſtitibus) pauperibus erogare; dummodo in facultatibus habeant, vnde ipſis poſſint eas reſtituere. Illi autem, qui nō habent in facultatibus ſuis, vnde vſuras valeant reſtituere, non debent vlla pęna multari; cum eos nota paupertatis euidenter excuſet. vt in tex. & ſupr.c.quia.

ETIAM quas ante concilium receperunt.

QVIA crimen iſtud ante illam conſtitutionem, prohibitum erat vtroque teſtamento.ſupr.c.prox.& c.quoniam. 14.q.4. Et quoniam conſtitutio, iuris naturalis, vel diuini declaratiua, extenditur etiam ad præterita.c.fin.& ibi gloſ. de conſtit. Ideo ſiue ante, ſiue poſt illud Concilium vſuræ fuerint extortæ, reſtituendæ fuerunt. vt in tex. & infr. c. præterea.

ET facultatibus non extantibus, debent poſſeſſiones emptæ ex pecunia fœnebri uendi, & debentibus recipere, ſatisfieri.

QVIA res illæ ſuccedunt loco alterius pecuniæ. l. Imperator, in fin. ff. de legat. 2. & c.Eccleſia. vt lit. pend. Sed quoniam fortè plus valent, quàm vſuræ extortæ, & non ita bene poſſent inter illos, qui debent recipere, diuidi, ſicut pecuniæ. S.Thom. 2.2.q.78.art. 3. Ideo poſſeſſiones, quæ de vſuris comparatæ ſunt debent vendi, & ipſarum pretia his, à quibus vſuræ ſunt extortæ, reſtitui; vt ſic non ſolum à pœna, ſed etiam à peccato poſſint (quod per vſurarum extorſionem incurrerant) liberari. vt in tex.& infr.c.tua.& Sot.lib.6.de iuſt.& iur.q.1.art.4.

Cap. 6. In ciuitate.

VENDENS rem plus, quam ualeat; quia ſolutionem differt, peccat; niſi dubium ſit, an tempore ſolutionis erit ualor rei uariatus, & uenditor non erat uenditurus tempore, quo uendidit.

QVIA huiuſmodi expectatio pretij ſoluendi habet rationem mutui, vnde quicquid vltra iuſtum pretium pro huiuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem vſuræ. Similiter etiam ſi quis emptor velit rem emere vilius, quàm ſit iuſtum pretium, eo quod pecuniam ante ſoluit, quàm poſſit ei res tradi, eſt

peccatum vſuræ; quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium eſt, quod diminuitur de iuſto pretio rei emptæ. Si vero aliquis de iuſto pretio velit diminuere, vt pecuniam prius habeat, non peccat peccato vſuræ, ſcilicet ex parte venditoris minus accipientis, licet videatur eſſe ex parte emptoris. S. Thom. 2.2.q.78.art.2. Et Silueſter. ver. vſura.2.n.1. Et valor verus rei attenditur ſecundum tempus emptionis; & venditionis. c. cum dilecti.de empt.& vend.& l. 2.C.de reſcind. vend. Sed quoniam quando dubium eſt, an tempore ſolutionis res ſit plus, vel minus valitura, tunc non poteſt dici, quod in pretio habeatur reſpectus ad augendum pretium propter tempus; ſi & venditor non erat venditurus tempore, quo vendidit; nam tunc tam emptor, quam venditor æqualiter commodum, & incommodum ex dilatione expectat. l. penult. C. de ſolut. & videtur tunc vendidiſſe ad ſeruiendum amico, rem ſuã in aliud tempus ſeruaturus. Silueſt.d.ver.vſura 2.n.1. Ideo peccatum eſt, vendere rem plus, quam valeat, propter ſolutionem dilatam, niſi pretium ſolutionis remitteretur ad tempus, quo dubium eſſet, an res illa tunc eſſet plus, vel minus valitura; & venditor eſſet rem vſque ad illud tempus ſeruaturus. vt in tex.& infr.c.fin. Contractus tamen ille ex ſui forma non poteſt cenſeri nomine vſurarum. vt in tex. quia vſura committitur regulariter ex mutuo; interpretatiue autem eſt vſurarius. Abb.hic.

Cap. 7. Præterea.

VSVRARIVS monitus non deſiſtens, ſi clericus eſt, ab officio, & beneficio ſuſpenditur, ſi laicus, excommunicatur.

QVIA dignum eſt, vt quos Dei timor à malo non reuocat, eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeueritas diſciplinæ. c.cum in cunctis. de elect. Sed quoniam monitio ſemper debet præcedere vindictam. c. ſacro. de ſent.excom. Ideo Epiſcopus ſubditis ſuis vſuras recipere debet interdicere, qui ſi parere contempſerint; ſi clerici ſint, eos ab officio, beneficioque ſuſpendat. Si laici, vſque ad dignam ſatisfactionem, ipſos vinculo excommunicationis adſtringat. vt in tex.& ſupr.c.quia.

Cap. 8. Conqueſtus.

FRVCTVS rei pignoratæ computari debent in ſortem.

QVIA vſura eſt, vbi amplius requiritur, quàm quod datur. c. vſura.14.q.3. Et quoniam ſi fructus rei pignoratæ non computarentur in ſortem, ille, qui mutuauit, & pro cautione pignus accepit, plus reciperet, quàm dederit. ſupr. c. 1. Ideo ſi quis terram aliquam titulo pignoris detinet, & de fructibus eius ſortem receperit, terram illam domino reddere debet. vt in tex.& c.ad noſtram.de empt.& vend. & S.Thom. 2.2.q.78.art.2.

ET

ET excipit vnum casum, scilicet, si terra illa sit de feudo illius, qui mutuauit.

QVIA in tali casu ille, qui mutuauit, non dicitur percipere fructus ex re aliena, sed ex sua. c. 1. de feud. Et quoniam res facile redit ad naturam suam. l. si vnus. ff. de pact. Ideo in hoc casu consolidatur vsusfructus cum proprietate, & fructus percepti à domino feudi non computantur in sortem. vt in tex. & supr. c. 2.

Cap. 9. Tua.

HAERES vsurarij filius, vel extraneus, vsuras extortas per defunctum, restituere compellitur.

QVIA ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet. l. ex qua. ff. de reg. iur. Et quoniam vsurarius tenetur vsuras extortas restituere. supr. c. cum tu. Ideo si per ipsum non fuerint restitutæ, eius hæres per eandem districtionem, qua defunctus cogeretur, ad illas restituendas est cogendus. vt in tex. & cap. in literis. de raptor. Sed dices, quid si bona defuncti non sufficiunt ad vsuras restituendas, nunquid hæres tenetur de suo? Respond. quod in foro contentioso, sic, si non confecit inuentarium. l. scimus. C. de iure delib. in foro autem animæ, hæres non tenetur vltra vires hæreditatis, licet inuentarium non confecerit. Host. in sum. in tit. de testam. §. penult. & ratio diuersitatis est, quia lex illa fori contentiosi est fundata super præsumptione, nam præsumit plus fuisse in hæreditate; sed in foro animæ de omnibus creditur confitenti; & ex quo cessat ratio legis, debet cessare ipsa lex. Abb. hic. & Felin. in c. 1. de constit.

Cap. 10. Consuluit.

MVTVANS ea mente, vt ultra sortem aliquid recipiat, tenetur in foro animæ ad illud restituendum, si ex hoc aliquid consecutus est. Idem in non dante parabolam iuramẽti, nisi aliquid inde recipiat. Et idẽ in uendẽte rem plus quam ualeat, quia differt solutionẽ.

QVIA quid in his casibus tenendum sit, ex Euangelio manifestè cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuũ, nihil inde sperantes. Luc. cap. 6. Et quoniam non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. S. August. epist. 54. ad Macedon. Ideo huiusmodi homines, pro intentione lucri, quam habent (cum omnis vsura, & superabundantia prohibeatur in lege) iudicandi sunt male agere; & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum iudicio inducendi. vt in tex. & supr. c. cum tu. & S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. Et in quantum dicitur, nihil inde sperantes, intellige, in spe mutui principaliter posita; secundario tamen aliquid sperare, non est malum, vt & ipse seruiat illi. glos. hic. arg. c. quid proderit.

dist.61. imo naturaliter debitor est illi obligatus ad antidota.c.cum in officijs.de testam.& l.sed si lege. §. consuluit.ff.de petit.hæred.Sed dices, quid intelligitur, per parabolam iuramenti? Respond.quod intelligitur, quando debitor iurat restituere mutuum intra aliquem terminum,puta mensem, & adueniente termino, & non valens commodè soluere, rogat creditorem, vt differat terminum, ille malitiosè non vult prorogare,vt prius inde lucrum aliquod percipiat;& lucro percepto,prorogat terminum, iste tenetur ad restituendum, nam videtur percipere lucrum pro termino prorogato, & sic vendere tempus in mutuo, quod non licet. Abb. hic.

Cap. 10. Quàm perniciosum.

MANIFESTVS usurarius,appellans ad subterfugiendum restitutionem,audiendus non est.

QVIA appellatio non debet esse præsidium iniquitatis. c. suggestum.de appell. Et quoniam iniquum esset,vt ille,qui manifestè apparet vsurarius,male ablatum non restitueret.supr.c.cum tu.Ideo manifesti vsurarij(maxime quos vsuris publicè renuntiasse constiterit)cum aliquis eos conuenerit de vsuris, nullius appellationis subterfugio sunt permittendi,se tueri. vt in tex.& c.cum sit.de appell.

Cap. 12. Post miserabilem.

PER subtractionem communionis Christianorum, & per principes sæculares cogendi sunt Iudæi ad usuras restituendas.

QVIA Iudæi non debent esse melioris conditionis, quam Christiani,sed peioris.c.Iudæi il 2.de Iudæis. Et quoniam Christiani vsurarij cogendi sunt,vsuras restituere. supr.c.cum tu. Ideo summus Pontifex præcipit, Iudæos ad remittendas Christianis vsuras, per principes, & potestates sæculares compelli. Et donec eis remisserint, ab vniuersis Christifidelibus, tam in mercimonijs, quàm in alijs,per excommunicationis sententiam eis iubet, communionem omnimodam denegari.vt in tex.& ii.fr. c. quanto. Et de hac materia vide extrauagantem Pauli III. incip. cupientes Iudæos. & Marquar.tract. de Iudæis.part.1.cap.11. Et quibus pœnis possint Iudæi per Ecclesiam coerceri, tradit Zanchin. tract.de hæret.cap.36.

Cap. 13. Tuas.

NON obstante iuramento, de non repetendis vsuris,per debitorem præstito,potest iudex ex officio suo, vsurarium ad restituendas vsuras compellere.

QVIA

QVIA huiusmodi iuramentum fuit per vsurarium fraudulenter extortum, vt ex illo impediretur debitor repetere vsuras. c. debitores.de iureiur. Et quoniam fraus,& dolus nemini patrocinari debent. c. sedes. de rescript. Et iudex potest suum officium nobile impartiri ad vtilitatem priuatam,vbi vertitur periculum animarum.c.nouit.de iudic. Ideo vsurarij,qui eos,quibus dant pecuniam ad vsuram,præstare faciunt iuramentum, quòd vsuras non repetant, & super ijs, quas soluerint,nullam moueant quæstionem; per Ecclesiasticum iudicem, monitione præcedente, censura Ecclesiastica, appellatione remota,sunt compellendi, ante vsurarum solutionem, ab earum exactione desistere,vel restituere ipsas, postquam fuerint persolutæ, ne de dolo, & fraude contingat eos commodum reportare. vt in tex.& c.1.de iureiur. Ipse autem debitor nō potest propria auctoritate contra tale iuramentum venire. d.c. debitores:sed potest agere ad relaxationem illius,& postea vsuras non soluere, & solutas repetere.d.c.1.& c.ad nostram,il 1.de iureiur.

Cap. 14. Quia frustra.

NON auditur vsurarius repetens vsuras, nisi prius restituat extortas.

QVIA frustra legis auxilium inuocat,qui committit in legem.vt in tex.& l.auxilium,in fin.ff.de minor. Et quoniam vsuræ vtriusque testamenti pagine, & iure canonico prohibentur. supr.c. quia in omnibus. ac etiam iure ciuili ad certam summam limitantur. Auth.ad hæc. & l.eos.C.de vsur.Ideo summus Pontifex statuit, vt si quis vsurarius ab ipso literas impetrauerit, super restituendis vsuris, vel fructibus computandis in sortem,nisi prius ipse restituerit vsuras, quas ab alijs noscitur recepisse,auctoritate literarum ipsarum nullatenus audiatur. vt in tex.& infr.c.prox. & de illa regula,quod non sit dignus legis auxilio, qui facit contra legem,vide Federic.cons.89.

Cap. 15. Cum in dirœcesi.

CONVICTVS de vsuraria prauitate per famam, & alia argumenta, potest manifestari vsurarius; & tanquam manifestus vsurarius compesci secundum dispositionem Lateranensis Concilij.

QVIA iudex debet curare, ne eius subditi existant in peccatis. c.1. de offic.ord.Et reipublicæ interest, ne crimina remaneant impunita.c.vt famæ.de sent.excom.& l.si operis. C. de pœnis. Et quoniam pessimum genus hominum sunt vsurarij. supr. c. quam perniciosum. Et euidentia patrati sceleris, non indiget clamore accusatoris. c.euidentia.de accusat.Ideo etiam nemine instante,debet ordinarius contra vsurarium, officium suum exercere.vt in tex.& supr.c. cum tu. Qui autem dicantur

vſurarij manifeſti, tradit Iulius Clarus in ſua pract.crim.lib. 5.§.vſura. & Couar. lib.3. variar.reſol.q. 3.

Cap. 16. Salubriter.

MARITVS recipiens pignus pro dote promiſſa, non tenetur fructus in ſortem computare.

QVIA fructus dotis cedunt lucro mariti propter onera matrimonij. l. pro oneribus. C. de iure dot. Et quoniam iſti fructus rei pignoratæ ſuccedunt loco fructuũ rei dotalis. Hoſt.hic. Et ſubrogatum ſapit naturam eius,in cuius locum ſubrogatur.c.Eccleſia.vt lit.pend. & §. fuerat.Inſtit. de action. & etiam de iure canonico poteſt peti aliquid vltra ſortem ratione intereſſe, non ſolum damni emergentis,ſed etiam lucri ceſſantis.c.quoniam,& ibi gloſ.14.q.4.Quod intellige quo ad lucrum ceſſans,ſi creditor erat ſolitus mercari,ita vt ſi habuiſſet pretium in termino conſtituto, forte lucratus fuiſſet in mercimonio; & habebit hoc æſtimare bonus iudex;aliàs non eſt habenda ratio lucri ceſſantis, ſed ſolum damni emergentis. Abb. ſupr. c. conqueſtus. Et frequenter fructus dotis non ſufficiunt ad onera matrimonij ſupportanda. vt in tex.Ideo gener ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi à ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ,computandos in ſortem,non eſt compellendus.vt in tex.& l.plerunque.ff.de iure dot.

Cap. 17. Michael.

REPETENS vſuras non auditur,niſi reſtituat extortas,per ſe, vel per alium, à quocunque cauſam habeat.

QVIA fruſtra legis inuocat auxilium, qui committit in legem.ſupr.c.quia. & ex qua perſona quis lucrum capit, eius factum præſtare debet.l.ex qua. ff.de reg.iur. Et quoniam non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.ſupr.c.cum tu.Ideo ab alio repetens vſuras,non auditur, niſi ipſe prius reſtituat extortas per ſe, vel patrem ſuum, aut alium,cuius ipſe ſit hæres.& ſucceſſor.vt in tex.& ſupr.c.tua nos.

Cap. 18. Quanto.

ETIAM iudei compellendi ſunt ad reſtituendas vſuras extortas à Chriſtianis.

QVIA quanto amplius Chriſtiana religio ab exactione compeſcitur vſurarum, tanto grauius ſuper his Iudæorum perfidia inſoleſcit,ita quod breui tempore Chriſtianorum exahurirent facultates.vt in tex. Et quoniam iniquum eſſet, ac nimis abſurdum, vt blaſphemus Chriſti,Chriſtianos ſuis bonis ſpoliaret,& ex illis ipſe diteſceret. c. cum nimis.de Iudæis. Ideo ſummus Pontifex volens in hac parte proſpicere Chriſtianis, ne à Iudæis immaniter aggrauentur, ſynodali decreto ſtatuit,vt ſi de cætero,quocunque prætextu Iudæi à Chriſtianis graues,immo-

moderata ſue vſuras extorſerint, Chriſtianorum eis participium ſubtrahatur, donec de immoderato grauamine ſatisfecerint competenter; vnde Chriſtiani (ſi opus fuerit) per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur ab eorum commercijs abſtinere. Principibus autem iniungit, vt propter hæc non ſint Chriſtianis infeſti; ſed potius à tanto grauamine ſtudeant cohibere Iudæos. vt in tex. & c. ſupr. poſt miſerabilem.

ET ad ſoluendas decimas, vel oblationes de eorum poſſeſſionibus.

QVIA res tranſit cum onere ſuo. c. ex literis. de pignor. & l. ſi conuenerit. §. ſi fundus. ff. de pignor. act. Et quoniam onus decimarum prædialium, vel oblationum, eſt annexum ipſis prædijs, vt qui percipit fructus, illas ſoluere teneatur. c. ex parte. de decim. Ideo hac eadem pœna, qua in ſuperiori caſu fuit dictum, ſummus Pontifex decernit, Iudæos compellendos, ad ſatisfaciendum Eccleſijs pro decimis, & oblationibus debitis, quas à Chriſtianis de domibus, & poſſeſsionibus alijs percipere conſueuerant, antequam ad Iudæos quocunque titulo deueniſſent, vt ſic Eccleſiæ conſeruentur indemnes. vt in tex. & c. de terris. de decim. Hodie autem Iudæi non poſſunt habere bona immobilia, per Conſtitutiones Pauli III. incipien. Cupientes. & Pij V. incip. Hæbræorum.

Cap. 19. Nauiganti.

VSVRARIVS eſt, qui à debitore recipit aliquid vltra ſortem, etiam ſi ſuſcipiat in ſe periculum.

QVIA mutuum eſt, cui nihil accedere debet. ſupr. c. conſuluit. Et quoniam ſi nullum periculum ſecutum fuiſſet, ille, qui ſic mutuauit, reciperet vltra ſortem. gloſ. hic. Et mutuum eſt, quod de meo fit tuũ. l. 1. ff. ſi cert. pet. vnde & periculum de ſui natura pertinet ad debitorem. l. incendium. ff. de tit. Ideo imputet ſibi creditor, qui in ſe periculum recipit, nam pactum iſtud poteſt ipſum onerare, non autem releuare. Hoſt. hic. Et ſic ſi nauiganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. vt in tex. & ſupr. c. conqueſtus. & S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2.

NON eſt vſurarius emptor rei minus iuſto pretio, ſi tunc veriſimiliter dubitetur, an tempore ſolutionis, plus, vel minus ſit res valitura.

QVIA in tali caſu tam emptor, quàm venditor, æqualiter commodum, & incommodum ex dilatione expectat. l. penult. C. de ſolut. Et quoniam propter tale dubium, non poteſt dici, quod emptor, aut vẽditor, expectent maius, vel minus pretium ex pecunia, propter dilationem, aut anticipationem ſolutionis. ſupr. c. in ciuitate. Ideo ille, qui dat

decem solidos, vt alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus, solutionis tempore fuerint valituræ verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc vsurarius reputari. vt in tex. & supr. c. consuluit. & S. Thom. d. art. 2.

PROPTER dubium excusatur is, qui ex eo, quod differt solutionem pretij, vendit rem plusquam valeat, si non erat eam aliàs venditurus.

QVIA tunc videtur vendidisse ad seruiendum amico, nec censetur posuisse spem ad augendum pretium propter dilatam solutionem. Siluester ver. vsura 2. n. 1. Et quoniam ex illo dubio, pretium potest tam ad commodum emptoris, quàm venditoris, alterari. supr. c. in ciuitate. Ideo ratione huius dubij, etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. vt in tex. & supr. d. c. in ciuitate & S. Antonin. par. 3. tit. 1. cap. 7. §. 22. Sed quæritur, mutuaui certam speciem, puta frumentum, quod tempore contractus valebat tres florenos, nunc tempore satisfactionis valet sex; nunquid salua conscientia possim hoc frumentum pretiosius recipere? Respond. quod aut ductus bona intentione tibi mutuaui; & tunc, licet varietur pretium, possum salua conscientia recipere, & tu teneris reddere; nam mutuaui frumentum, ideo debeo recipere etiam frumentum eiusdem bonitatis intrinsicæ. l. cum quid. ff. si cert. pet. nam sic potuisset vilescere eius pretium; secus, si habuissem intentionem deprauatam, quia mutuaui frumentũ antiquũ, vt sic postea haberem nouum, & sic in meliori pretio. Abb. hic, & Archid. in c. si quis clericus. 14. q. 4.

In Sexto. Cap. 1. Vsurarum.

PRIMO innouat, & obseruari præcipit Lateranense Concilium contra vsurarios editum.

QVIA per illud Concilium diligenter prouidetur contra vsurarios. extr. c. quia in omnibus. Et quoniam quando ius nouum denuo præcipit obseruari ius antiquum, apparet euidentius, quod per contrariam consuetudinem illi non est derogandum. supr. c. 1. de consuet. Ideo summus Pontifex Gregor. X. in generali Concilio Lugdunensi, vsurarum voraginem (quæ animas deuorat, & facultates exhaurit) compescere cupiens, constitutionem Lateranensis Concilij contra vsurarios editam, sub diuinæ maledictionis interminatione præcipit inuiolabiliter obseruari. vt in tex. & ad id Clem. 1. de sepult.

ET

ET præcipit omnibus dominis, & vniuerſitatibus terrarum, ne permittant alienigenas in terris ſuis conducere domos ad exercendum fœnus, vel conductas habere, & quod aliquis eis ad hoc domos non locet.

QVIA quo minor fœneratoribus aderit fœnerandi commoditas, eo magis adimetur fœnus exercendi libertas, vt in tex. Et quoniam occaſio delinquendi eſt tollenda. l. æquiſsimum. ff. de eo, per quem fact. erit. Et vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus, iuſtitiam negligat, quàm eſurienti panis frangatur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat. c. non omnis. 5. q. 5. Et maius ſcandalum eſt in alienigena vſuras exercente, quàm in indigena; & minus ſcandalum in expulſione illius, quàm iſtius; & magis conſueuerunt vereri inter ſuos exercere fœnus, quàm inter extraneos. gloſ. hic. Ideo hac generali conſtitutione ſancitur, vt nec collegium, nec alia vniuerſitas, vel ſingularis perſona, cuiuſcunque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum, publicè fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut aliàs habitare permittant; ſed huiuſmodi vſurarios manifeſtos, omnes intra tres menſes, de terris ſuis expellant, nunquam aliquos tales de cætero admiſſuri; nemo illis ad fœnus exercendum, domos locet, vel ſub alio titulo quocunque concedat. vt in tex. & ad id l. non aliter. ff. de vſu, & habit.

VLTIMO imponit pœnam clericis contra facientibus, & ſimiliter laicis.

QVIA niſi iſti alienigenæ inuenirent domos, vbi habitarent, ibi vſuras exercere non poſſent. l. 1. ff. de receptat. Et quoniam melius eſt ante tempus occurrere, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere. l. fin. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſ. Ideo, qui contrafecerint, ſcilicet talibus locando, vel permittendo habere domos conductas, vel non expellendo intra tres menſes, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis; minores verò perſonæ ſingulares, excommunicationis; ſi autem collegium, ſeu alia vniuerſitas, interdicti ſententiam, ipſo facto, ſe nouerint incurſuros. Quam ſi per menſem animo ſubſtinuerint indurato, terræ ipſorum (quamdiù in eis iidem vſurarij commorantur) ex tunc Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. Cæterum ſi laici fuerint, per ſuos ordinarios ab huiuſmodi exceſſu (omni ceſſante priuilegio) per cenſurã Eccleſiaſticam compeſcãtur. vt in tex. & ſimile in c. vt inquiſitionis, in fin. ſupr. de hæret.

Cap. 2. Quanquam.

MANIFESTIS vſurarijs, licet mandauerint uſuras reſtitui,

tui, ecclesiastica sepultura negabitur, nisi primo satisfiat, uel idoneè caueatur.

QVIA verba sunt intelligenda cum effectu. c. relatum. extr. de cleric. non resid. Et quoniam promissio de dando, non concludit dationem. c. eos. 1. q. 1. Ideo quanquam vsurarij manifesti de vsuris, quas receperant, satisfieri, expressa quantitate, vel indistinctè, in vltima voluntate mandauerint; nihilominus tamen eis ecclesiastica sepultura denegetur, donec de vsuris ipsis fuerit (prout patiuntur facultates eorum) plenariè satisfactum; vel illis, quibus facienda est restitutio, si præsto sint ipsi, aut alii, qui eis possint acquirere, vel eis absentibus, loci ordinario, aut eius vices gerenti, siue rectori parochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia (quibus quidem ordinario, vicario, & rectori, prædicto modo cautionem huiusmodi eorum nomine liceat præsentis constitutionis auctoritate recipere; ita quod illis perinde actio acquiratur) aut seruo publico, de ipsius ordinarij mandatò idoneè de restitutione facienda sit cautum. Cæterum, si receptarum vsurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta summus Pontifex exprimi vult; alioqui aliam recipientis cautionem, huiusmodi arbitrio moderandam, ipse tamen scienter non minorem, quàm verisimiliter creditur, moderetur; & si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. vt in tex. & extr. c. 3. & S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3.

SEPELIENTES eos contra hanc constitutionem, Lateranensis Concilij pœnam incurrunt.

QVIA aliquo prohibito, omne illud prohibetur, per quod peruenitur ad illud. c. cum quid. infr. de reg. iur. Et quoniam tales vsurarij prohibentur sepeliri, nisi primo satisfiat, vel idoneè caueatur. vt in tex. Ideo omnes religiosos, & alios, qui manifestos vsurarios contra præsentis sanctionis formam, ad Ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam, pœnæ Lateranensis Concilij contra vsurarios promulgatæ, summus Pontifex statuit subiacere. vt in tex. & infr. Clem. vnic.

TESTAMENTA ipsorum aliter facta, non ualent; nec debet eis aliquis interesse, nel eos absoluere, uel ad confessionem admittere.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et quoniã non remittitur peccatũ, nisi restituatur ablatũ. extr. c. cum tu. Ideo statuitur, vt nullus manifestorum vsurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, siue ipsos absoluat; nisi de vsuris satisfecerint, vel de satisfaciendo, pro suarum viribus facultatum præstent (vt præmittitur) idoneam cautionem. Testamenta

quo-

quoque manifestorum vsurariorum, aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso iure. vt in tex. & Clem. 1. de sepult.

In Clement. Cap. vnic. Ex graui.

OFFICIALES communitatum facientes, dictantes, uel scribentes statuta super usuris soluendis, non repetendis, uel non restituendis, uel iudicantes secundum illa, uel non delentes illa (si possunt) intra tres menses de libris communitatum, uel illa seruantes, excommunicati sunt.

QVIA vsurarum crimen est extirpandum. extr. c. cum tu. Et quoniam quorundam communitates locorum, in offensam Dei, & proximi, ac contra iura diuina pariter, & humana, vsurariam approbantes quodammodo prauitatem, per statuta sua iuramento quandoq. firmata; vsuras exigi, & solui, ne dum concedebant, sed ad soluendas eas debitores scienter compellebant, ac iuxta ipsorum continentiam statutorum, grauia imponenda plerunque vsuras repetentibus onera, alijsq; vtendo super his diuersis coloribus, & fraudibus exquisitis, repetitionem impediebant earumdem. vt in tex. Ideo perniciosis his ausibus summus Pontifex Clemens V. obuiare volens, sacro approbante Viennensi Concilio; statuit, vt quicunque communitatum ipsarum potestates, capitanei, rectores, consules, iudices, consiliarij, aut quiuis officiales, statuta huiusmodi de cætero facere, scribere, vel dictare, aut quod soluantur vsuræ, vel quod solutæ, cum repetuntur, non restituantur plenè, ac liberè, scienter iudicare præsumpserint, sententiam excommunicationis incurrant: Eandem etiam sententiam incursuri, nisi statuta huiusmodi edita, de libris communitatum ipsarum (si super hoc potestatem habuerint) intra tres menses deleuerint, aut si ipsa statuta, siue consuetudines effectum eorum habentes, quoquo modo præsumpserint obseruare. vt in tex. & ad id c. nouerit. extr. de sent. excom.

§. Cæterum.

FOENERATORES in causis usurarum, edere coguntur libros rationum suarum.

QVIA fœneratores, sic, vt plurimum, contractus vsurarios occultè ineunt, & dolosè, quod vix conuinci possunt de vsuraria prauitate. vt in tex. Et quoniam fraudibus est obuiandum. c. plerunque. extr. de rescr. Et crimen vsurarum est maximè odiosum. extr. c. consuluit. Ideo ad exhibendum, cum de vsuris agetur, suarum codices rationum, censura Ecclesiastica decernuntur vsurarii compellendi. vt in tex.

& ad

& ad id l.3. ff.de edend.aliàs qui edere teneantur propria instrumenta, not.in c.1.extr.de probat.& l.1.ff.de edend.

§. Sane.

PERTINACITER asserens, exercere vsuras non esse peccatum, hæreticus est.

QVIA qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti, vt sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. c. qui in Ecclesia. 24.q. 3. Et quoniam tam in veteri, quàm in nouo Testamento, ac in canonibus constitutum est, quod exercere vsuras, sit graue peccatum. Deuteron.cap. 23.Lucæ.cap.6. & extr.c.quia in omnibus. Ideo si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum, summus Pontifex decernit; eum velut hæreticum puniendum; locorum nihilominus ordinarijs, & hæreticæ prauitatis inquisitoribus, districtius iniungens, vt contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos inuenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi, procedere non omittant. vt in tex.& c.hæresis.24.q.3.

Liber Quintus. Titulus XX.

DE CRIMINE FALSI.

In Decretal. Cap. 1. Falsidicus.

TESTIS falsidicus tres lædit, videlicet Deum, iudicem, & partẽ.

QVIA primùm est obnoxius Deo, cuius præsentiam contemnit, deinde iudici, quem mentiendo fallit; postremò innocenti, quem falso testimonio lædit. vt in tex. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist.45.& curandum est, vt pœna sit correctio ipsius delinquentis. c. non est. 23.q. 5. & fiat metus alterius. c.quapropter.2.q.7. Ideo testi falsidico triplex pœna debetur; primo, quia offendit Deum, septennis pœnitentia iniungitur pro periurio. c.quicunque.6.q. 1. secundo, quia iudicem delusit, infamabitur.c.si quis conuictus.22.q.5. & verberibus castigabitur. c.illi, qui.5.q. 5. De iure autem ciuili pœna falsi, vel quasi falsi, deportatio est, & omnium bonorum publicatio.l.1.ff.ad l.Corn.de fals. Et quia

pro-

proximum lædit, iuxta modum læsionis punietur. c. nihilominus. 3. q. 9. & l. qui nomine. ff. de fals.

ET falsus est non solum, qui mendacium dicit; sed etiam qui veritatem occultat.

QVIA & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. vt in tex. & c. quisquis. 11. q. 3. Et quoniam boni Christiani est, nulli nocere; omnibus autem velle prodesse. c. denique. 14. q. 5. Et cauendum est, ne prætextu nocentis, innocens puniatur. l. 2. in fin. C. de his, qui latr. occid. Ideo testis dicitur falsus, non solum quando dicit mendacium, sed etiam quando occultat veritatem. vt in tex. & l. 2. ff. de fals. Et hoc intellige, quando interrogatus super certo articulo, dicit se nihil scire, vel quando iurauit dicere puram, & meram veritatem, & multa subticuit. c. cum dilecti. de accusat. Secus autem vbi non iurasset, vel non fuisset interrogatus. l. nunquam. ff. de priuat. delict. tunc enim non tenetur, si non dixit veritatem, quia testis non debet esse verbosus, & satis est, quod respondeat ad interrogata. Abb. hic. Et aliquando melius est tacere verum, quàm illud propalare, licet nunquã debeat quis falsũ dicere. c. ne quis. 22. q. 2.

Cap. 2. Super eo.

SENTENTIA lata per falsas literas, non debet executioni mandari.

QVIA falsæ literæ nullam attribuunt iurisdictionem. infr. c. ad falsariorum. & c. si quando. de rescript. Et quoniam ex defectu iurisdictionis, sententia est nulla, & nullum potest producere effectum. c. ad probandum. de re iudic. & l. si vt proponis. C. quomod. & quand. iud. Ideo sententia lata falsarum literarum auctoritate, non est executioni mandandã; & quoties aliqua scripta sub nomine principis destinata, iudex redarguenda viderit falsitatis, nullam eis debet fidem adhibere; & quod per illas mandatum fuerit, non debet obseruare; sed eum, qui præsentauerit, retineri debet facere diligenter. vt in tex. & l. maiorem. C. ad leg. Corn. de fals. & ad hæc vide Iulium Clarum. q. 36. §. falsum.

Cap. 3. Ad audientiam.

CLERICVS falsificans sigillum Principis, deponitur. Item ei character imprimitur, & in exilium mittitur.

QVIA huiusmodi falsificatio est graue delictum. infr. c. ad falsariorum. & l. fin. ff. ad leg. Corn. de fals. Et quoniam vbi grauitati delicti vna pœna non sufficit, alia est addenda. c. necesse. dist. 29. & Ecclesia non imponit pœnam mortis, vel mutilationis membrorum. c. sententiam. ne cler. vel mon. Ideo clerico, qui falsificauerit sigillum principis, debet (à suis ordinibus prius degradato) in signum maleficij, character aliquis imprimi, quo inter alios cognoscatur, & isdem in exilium mitti. vt in

tex.

tex.& infr.c.ad falsariorum, vbi contra falsificantes literas Papæ, etiam aliæ pœnæ imponuntur. De iure autem ciuili talibus interdicitur aqua, & ignis.l.fin.ff.de fals.

Cap. 4. Dura.

EXISTENS in curia, literas Apostolicas non recipiat, nisi de manu Papæ, uel officialium ab ipso deputatorum; personæ tamen solemnes, per Nuntios recipere poterunt, de manibus tamen prædictorum. Contrafaciens, si laicus est, excommunicationi subiacet; si clericus ab officio, & beneficio deponitur.

QVIA antiquitus multum falsificabantur litteræ Apostolicæ in curia; & falsificantes dicebant, se à Papa illas impetrasse. infr. c. prox. Et quoniam fraudibus est obuiandum. c.plerunque.de rescript. Et vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum. c. vbi.de elect.in 6. Et dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c.cum in cunctis.de elect. Ideo summus Pontifex statuit, & sub excommunicationis pœna, & suspensionis ordinis, & beneficij districtius inhibet, ne quis apud Sedem Apostolicam literas suas, nisi ab ipso, vel de manibus illorum recipiat, qui de mandato ipsius ad illud sunt officium deputati. Si verò persona tantæ auctoritatis extiterit, vt ipsam deceat per Nuntium literas Apostolicas recipere; Nuntium ad Cancellariam Apostolicam, vel ad ipsum summum Pontificem mittat idoneum, per quem literas Apostolicas iuxta formam præscriptam recipiat. Si quis autem in hac parte huius mandati transgressor extiterit; si laicus fuerit, excommunicationi subiaceat; si clericus, officij suspensione damnetur. vt in tex.& c. nonnulli.de rescript.

§. Adijcientes.

PER excommunicationis pœnam prouidet contra non resignantes, nec destruentes literas falsas, intra uiginti dies; & absolutio Papæ reseruatur, & contra factum non tenet.

QVIA periculum esset, ne illæ seruarentur, vt aliquis ipsis vteretur.infr.c.prox. Et quoniam ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt. c. in canonibus. 16. q. 1. Ideo summus Pontifex statuit, vt Episcopi generalem excommunicationis sententiam promulgent, quam per singulas parochias faciant frequentius innouari, quod si quis falsas literas se habere cognoscit, intra viginti dies literas illas, aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit euadere; quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali Papæ mandato, à quoquã non vult relaxari, nec etiam (si præsumpta fuerit contra hoc) absolutio quicquam habeat firmitatis. vt in tex.& infr.c.ad falsariorum.

Cap.

Cap. 5. Licet.

PONIT nouem modos falsandi literas Papales.

QVIA prima species huiusmodi falsitatis hæc est, vt falsa bulla falsis literis apponatur. Secunda, vt filum de vera bulla extrahatur ex toto,& per aliud filum immissum falsis literis inseratur. Tertia, vt filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum cum vera bulla,falsis literis immittatur sub eadem plicatura cum filo similis canabis restauratum. Quarta, cum à superiori parte bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum. Quinta, cum literis bullatis,& redditis in eis,aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sexta, cum scriptura literarum, quibus fuerat apposita vera bulla, cum aqua,vel vino vniuersaliter abolita,seu deleta, eadem charta, cum calce, & aliis iuxtà consuetum artificium dealbata, de nouo rescribitur. Septima,cum chartæ, cui fuerat apposita vera bulla,totaliter abolitæ, vel abrasæ, alia subtilissima charta eiusdem quantitatis, scripta cum tenacissimo glutino coniungitur. Illi etiam à crimine falsitatis non reputantur immunes, qui contra constitutionem Apostolicam, de qua habetur supr. in c. prox. scienter literas non de summi Pontificis, vel eius bullatoris manu recipiunt. Illi quoque,qui accedentes ad bullam falsas literas cautè proijciunt, vt de vera bulla cum alijs sigillentur. Sed hæ duæ species falsitatis non possunt facilè comprehendi, nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ, falsitas cognoscatur. In cæteris autem, diligens indagator falsitatem poterit intueri,vel in adiunctione filorum,vel in collatione bullæ,vel motione,vel obtusione, præsertim si bulla non sit æqualis,sed alicubi magis tumida, & alibi magis depressa. vt in tex. Et quoniam de malis tractatur, vt cognita facilius euitentur; sicut medici tractant de venenis. Host.hic. Ideo vt varietates falsitatis,circa literas Apostolicas deprehendere quis valeat, præsentibus literis exprimuntur. vt in tex. & supr.c.prox.

Cap. 6. Quam graui.

FALSAE sunt literæ Papales, in quibus Episcopus uocatur filius, uel inferior frater, uel uni scribitur in plurali.

QVIA in literis Apostolicis stilus, & consuetudo Romanæ curiæ, est attendendus. c.ad hæc. de sent.excomm.Et quoniam Apostolica Sedes in suis literis hanc tenet consuetudinem, vt Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos,fratres;cæteros autem,reges, principes, vel alios cuiuscunque ordinis, filios Papa appellet. Et cum vni tantum personæ eius literæ diriguntur,nunquam ei loquitur in plurali, vt vos,siue vester,& his similia, in ipsis litteris apponat. vt in tex.Ideo si literæ Papales sint præter hunc stilum,præsumuntur falsæ, & non à Sede Apostolica

lica emanasse. vt in tex. & c. porrecta. de confir. vtil. vel inut. Et de huiusmodi stilo Romanæ curiæ, vide late per Felin. in c. 2. de rescr. & Roman. conf. 376.

Cap. 6. Ad falsariorum.

QVI per se, uel per alios, literas Papæ falsant, excommunicati sunt cum suis fautoribus; & clerici officijs, & beneficijs priuati sunt, & degradandi, & tradendi curiæ sæculari, per quam laicus legitimè punitur. Qui uerò falsis literis utitur, si clericus est, officio, & beneficio priuatur; si laicus, excommunicatus est.

QVIA curandum est, vt falsariorum malitia confundatur, & puniatur. vt in tex. Et quoniam grauius delictum est, falsare literas proprii principis, præsertim Papę, quàm alterius. l. maiorem. C. ad leg. Corn. de fals. & magis delinquit, qui falsificat, quàm ille, qui vtitur falsificatis ab alijs; vnde expendens monetam falsam, licet scienter, non ita grauiter punitur, sicut illam falsantes, nisi in casibus expressis, de quibus habetur in l. lege Cornelia. ff. de fals. & Bart. in l. saccularij. ff. de extraord. crimin. Ideo statuitur, vt qui literis Apostolicis vti voluerint, eas primò diligenter examinent, quoniam si falsis literis se vsos dixerint ignoranter, eorum sera pœnitentia euitare nequibit pœnas inferius annotatas, videlicet, vt falsarij omnes Apostolicarum literarum, qui per se, vel alios, vitium falsitatis exercent, cum fautoribus, & defensoribus suis, anathematis vinculo innodentur, & clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officijs, & beneficijs Ecclesiasticis, perpetuò sint priuati; ita quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi; per quam & laici, qui fuerint de falsitate conuicti, legitimè puniantur. Qui verò sub nomine Papæ, literis falsis vtuntur, si clerici fuerint, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis spolientur; si laici, tamdiù maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter; ita tamen, vt in istis, & in illis, malitia grauius, quàm negligentia puniatur; quod & de jis, qui falsas literas impetrant, statuitur obseruandum. vt in tex. & supr. c. dura. Et ad id concordat Bulla in cœna Domini. & vide Diaz. in pract. crim. can. cap. 108. & 132. & Rebuf. in praxi benefic. in declaratione nouæ prouisionis, & Afflict. decis. 404.

Cap. 8. Accedens.

NON præsumitur quis falsare literas de simplici iustitia; nec punitur, si hoc comperto, destiterit uti illis.

QVIA literæ de simplici iustitia possunt facilè obtineri. vt in tex. secus est de literis gratiosis. glos. hic. Et quoniam in re modica nõ

præ-

præſumitur, quod doloſè agatur. l. ſi oleum.§.fin.ff.de dol. & deſ.ſtando illis vti, comperta falſitate, magis apparet, quod non erat conſcius illius falſitatis. ſupr. c. dura, in fin. Ideo ſi literæ Apoſtolicæ, in quibus falſitas fuerit deprehenſa, de ſimplici iuſtitia formam habeant (cum præſumi non debeat, quod pro talibus literis, quæ poſſunt facilè obtineri, fraudem quis commiſerit falſitatis) nec literis vſus ſit, poſtquam eas falſas eſſe cognouit, ille impetrator non eſt ſuper hoc moleſtandus. vt in tex.& c.ſuper literis.de reſcript.

Cap. 9. Ex conſcientia.

PROPTER paucarum literarum raſuram in loco non ſuſpecto, reſcriptum non probatur falſum.

QVIA illa raſura inducit probationem, ſeu ſuſpicionem falſitatis, quæ habet vertere ſapientis animum in dubitationem. vt in tex. Et quoniam modica ſuſpicio non debet ſapientis animum immutare. c.& ſi quæſtiones.de ſimon.& c.iudices. 1.q.1. Ideo paucarum literarum raſura in loco non ſuſpecto, non inducit probationem falſitatis. vt in tex.& c.ex literis.de fide inſtr. vbi plenius notaui, quando dicatur in loco ſuſpecto. Et intellige, quando illa fuit facta per officialem Papæ; nam ſi ipſe impetrans raſiſſet, tunc falſarius iudicaretur, quantumcunque raſura fuiſſet modica. ſupr. c.licet. & Moder. in l. ſi vnus. C.de teſtam. ſed quādo eſt in loco non ſuſpecto, præſumitur raſura facta per officialem; ſi vero eſt in loco ſuſpecto, præſumitur facta per impetrantem, ſeu vtentem. Abb.hic.& ob id tunc non datur talibus literis fides. c.cum venerabilis. de relig. dom.

In Extrauagant. Ioann. 22. Cap. vnic. Prodiens.

FALSIFICANTES monetam Regis Franciæ, & aliorum locorum circumuicinorum, aliquo de quatuor modis hic prolixè declaratis, ipſo facto excommunicationem incurrunt; à qua abſolui non poſſunt, niſi à Papa, præterquam in mortis articulo.

QVIA per huiuſmodi falſificationem, magnum præiudicium multis inferebatur. vt in tex. & ad id l. 1. C.de falſ. mon. Et quoniam ſpectat ad Papam, qui eſt paſtor vniuerſalis, prouidere, in quantum fieri poteſt, vt vbique peccata euitentur. c. nouit. de iudic. Ideo ſummus Pontifex Ioann. XXII. tunc Auinioni degens, attendens, quod iidem falſarij, & fabricatores monetarum talium, & emptores illarum,

per hoc se dignos maledictione constituunt, eos, qui dictam falsam monetam moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad Regnum Franciæ, & loca vicina, scienter præsumpserit, excommunicationis sententia innodat; absolutione illorum sibi, & successoribus suis, prçterquam in mortis articulo, reseruata. vt in tex. & ad id. c. ad audientiam. extr. eod.

In Extrauag. commun. Cap. vnic. Spondent.

ALCHIMIAE bic prohibentur, & puniuntur facientes, & fieri procurantes; quoniam tantum de vero auro, & argento, debent inferre in publicum, vt pauperibus erogetur, quantum de falso, & adulterino posuerunt. Et si eorum facultates non sufficiant, pœna per iudicis discretionem in aliam commutabitur, & infames sunt. Et si sint clerici, beneficijs habitis priuantur, & ad habenda inhabiles efficiuntur.

QVIA spondent, quas non exhibent diuitias, pauperes alchimistæ; pariter qui se sapientes existimant, in foueam incidunt, quam fecerunt; nam haud dubiè huius artis alchimiæ alterutrum se professores ludificant, cum suç ignorantiæ conscij, eos, qui supra ipsos aliquid huiusmodi dixerint, admirentur; quibus cum veritas quæsita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, ijdemque verbis dissimulant falsitatem, vt tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum, vel argentum sophistica transmutatione confingant; eòque interdum eorum temeritas damnata, & damnanda progreditur, vt fidis metallis, cudant publicç monetæ characteres fidis oculis; & non aliàs alchimicum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. vt in tex. Et quoniam huiusmodi fraudibus est obuiandum. supr. c. prox. Et interest reipublicæ, ne quis re sua malè vtatur. §. sed hoc. Instit. de his, qui sunt sui, vel al. iur. Ideo summus Pontifex Ioannes XXII. volens, hæc perpetuis exulare tẽporibus, hac edictali constitutione sancit, vt quicunque huiusmodi aurum, vel argentum fecerint, vel fieri secuto facto mandauerint, vel ad hoc scienter, dum id fieret, facientibus ministrauerint, aut scienter, vel auro, vel argento vsi fuerint, vendendo, vel dando in solutum, verum tanti ponderis aurum, vel argentum, pœnæ nomine inferre cogantur in publicum, pauperibus erogandum, quanti alchimicum existat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum, legitimè constiterit deliquisse; faciẽtibus nihilominus aurum, vel argentum alchimicum, aut ipso (vt præmittitur) scienter vtentibus, perpetuæ infamiæ nota respersis. Quod si ad præfatam pœnam pecuniariam exoluendam delinquentium ipsorum facultates non sufficiant, poterit discreti moderatio iudicis pœnam hanc in

in aliam (puta carceris,vel alteram, iuxta qualitatem negotij,personarum differentiam, aliasque attendendo circumstantias)commutare. Illos verò, qui in tantæ ignorantiam infœlicitatis proruperint, vt ne dum nummos vendant, sed naturalia iuris præcepta contemnant, artis excedant metas,legumque violent interdicta,scienter videlicet adulterinam ex auro, & argento alchimico cudendo, seu fundendo,cudi,seu fundi faciendo monetam ; hac animaduersione ipse summus Pontifex percelli iubet,vt ipsorum bona deferantur carceri,ipsique perpetuò sint infames. Et si clerici fuerint delinquentes, ipsi,vltra prædictas pœnas, priuentur beneficiis habitis, & prorsus reddantur inhabiles ad habenda.vt in tex. & supr. c. prox. Et ad hæc vide S. Thom. 2. 2. q. 77. art.2.& Siluester. verb. alchimia.

Liber Quintus. Titulus XXI.

DE SORTILEGIIS.

In Decretal. Cap.1. In talibus.

SORTILEGIA pro furtis inueniendis, vel diuinationibus faciendis,prohibentur; & contrafacientibus pœna imponitur.

QVIA sortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid occultum innotescat. Et quidem si quæratur iudicio sortium, quid cui sit adhibendum,siue illud sit res possessa,siue sit honor,siue dignitas, seu pœna, aut actio aliqua,vocatur sors diuisoria. Si autem inquiratur, quid agere oporteat,vocatur sors consultoria. Si verò quæratur, quid sit futurum, vocatur sors diuinatoria. Actus autem hominum,qui requiruntur ad sortes,non subduntur dispositioni stellarum, nec etiam euentus ipsorum. Vnde si quis ea intentione sortibus vtatur,quasi huiusmodi actus humani,qui requiruntur ad sortes,secundum dispositionem stellarum sortiantur effectum, vana, & falsa est opinio; & per consequens non carens dæmonum ingestione;ex quo talis diuinatio erit supestitiosa,& illicita. Hac autem causa remota,necesse est, quod sortialium actuũ expectetur euentus, vel ex fortuna, vel ex aliqua spirituali causa dirigente. Et si quidem ex fortuna, quod locum habere potest solum in diuisoria sorte,nõ videtur habere, nisi fortè vitium vanitatis, sicut si aliqui nõ valentes aliquid concorditer diuidere, velint sortibus ad diuisionem vti, quasi fortunæ

exponentes, quis quam partem accipiat. Si verò ex spirituali causa expectetur sortium iudicium, quandoq; quidé expectatur ex dæmonibus, sicut legitur Ezech. 21. quod Rex Babylonis stetit in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, cõmiscens sagittas, interrogauit idola, exta consuluit; & tales sortes sunt illicitæ, & secundum canones prohibentur. Quandoq; verò expectatur à Deo, secundum illud, prouerb. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur; & talis sors secundum se non est malum, vt August. dicit in psal. 30. tom. 8. Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primò quidem, si absq; vlla necessitate ad sortes recurratur. Hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere; Vnde Ambros. dicit super Lucam; Qui sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. cap. 1. in tit. de ingressu Zachariæ in templum, tom. 5. Secundo, si quis etiam in necessitate, absque reuerentia Dei, sortibus vtatur. Vnde super Act. Apost. dicit Beda; Sed si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc, ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse. in cap. 1. Act. tom. 2. Tertio, si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. Vnde August. dicit ad inquisitores Ianuarij: His, qui de paginis euangelicis sortes legunt, & si optandum sit, vt potius faciant, quàm ad dæmonia consulenda concurrant; tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ huius vanitates, diuina oracula velle conuertere. epist. 119. tom. 2. Quartò, si in electionibus ecclesiasticis, quæ Spiritus sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur. Vnde sicut Beda dicit super Act. Apost. Matthias ante Pentecostem ordinatus sorte quæritur, quia scilicet, non dum erat plenitudo Spiritus sancti in Ecclesia effusa. Septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati. Secus autem est in tẽporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur, in quarum electione plerunque homines sortibus vtuntur, sicut & in temporalium rerum diuisione. in cap. 1. Act. tom. 2. Si verò necessitas immineat, licitum est cum debita reuerentia sortibus diuinum iudicium implorare. Vnde August. dicit in epist. ad Honor. Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omniũ deseratur Ecclesia; si hęc disceptatio aliter nõ potuerit terminari, quantũ mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte eligendi sunt. epist. 180. tom. 2. Et in primo de Doctr. Christiana dicit: Si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuisset; si tibi occurrant duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel vrgente aliqua necessitate superaret; nihil iustius faceres, quàm vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari vtrique non posset. lib. 1. cap. 28. tom. 3. & Sanctus Thomas. 2. 2. q. 95. art. 8. Et quoniam tex. hic loquitur de sortilegijs, quæ fiunt per incan-

incantationem; vel per puncta, vel quid simile, quæ in se mala sunt. Abb.hic. Ideo in talibus, vel codicibus, aut alijs, sorte furta non sunt requirenda; nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus quis obseruare præsumat. Qui autem contra fecerit, quadraginta dies pœniteat. vt in tex. & c. sortes. 26. q. 5. Et intellige hanc pœnitentiam in foro conscientiæ; nam in foro contentioso imponitur alia pœna magis grauis; vt si fuerit laicus, communione Ecclesiæ priuetur; si verò clericus, officio, & beneficio potest priuari. c. non oportet. 26. q. 5. & alijs pœnis iuxta qualitatem, & quantitatem delicti, arbitrio superioris possunt puniri. vt per Concil. Lateranense sub Leone X. celebratum, in sessione 9. Et ad hæc vide Diaz. in pract. crim. cap. 100.

Cap. 2. Ex tuarum.

PRESBYTER, qui per inspectionem astrolabij, furta requirit, ad tempus suspenditur ab altaris ministerio.

QVIA diuinationi, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio dæmonis, vt hominum animos implicet vanitati, aut falsitati. Vana autem, aut falsa opinione vtitur, si quis ex consideratione stellarum futura velit præcognoscere, quæ per ea præcognosci non possunt. Est ergo considerandum, quid per cælestium corporum inspectionem de futuris possit præcognosci. Et de his quidem, quæ ex necessitate eueniunt; manifestum est, quod per considerationem stellarum possunt præcognosci, sunt astrologi prænunciant ecclipses futuras. Circa præcognitionem verò futurorum euentuum ex consideratione stellarum, diuersi diuersa dixerunt. Fuerunt enim, qui dicerent, quod stellæ potius significant, quàm faciant ea, quæ ex earum consideratione prænunciantur; sed hoc irrationabiliter dicitur. Omne enim corporale signum, vel est effectus eius, cuius est signum, sicut fumus significat ignem, à quo causatur; vel procedit ab eadem causa, & sic dum designat causam, per consequens significat effectum, sicut iris quandoque significat serenitatem, in quantum causa eius, est causa serenitatis. Non potest autem dici, quod dispositiones cælestium corporum, & motus, sint effectus futurorum euentuum; nec iterum possunt reduci in aliquam superiorem causam communem, quæ sit corporalis. Possunt autem reduci in vnam causam communem, quæ est prouidentia; sed alia ratione disponuntur à diuina prouidentia motus, & situs cælestium corporum, & alia ratione euentus futurorum contingentium; quia illa disponuntur secundum rationem necessitatis, vt semper, & eodem modo proueniant, hæc autem secundum rationem contingentiæ, vt variabiliter contingant. Vnde non potest esse, quod ex inspectione siderum accipiatur præcognitio futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus. Duplices autem effectus subtrahuntur causalitati cælestium corporum. Primò quidem om-

nes effectus per accidens contingentes, siue in rebus humanis, siue in rebus naturalibus, quia vt probatur in 6. metaphysic. tex. 4. 5. & 6. ens per accidens non habet causam, & præcipuè naturalem, cuiusmodi est virtus cælestium corporum; quia quod per accidens fit, neque est ens propriè, neque vnum; sicut quod lapide cadente fiat terræmotus, vel quod homine fodiente sepulchrum, inueniatur thesaurus. Hæc enim, & huiusmodi, non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa. Operatio autem naturæ semper terminatur ad aliquid vnum, sicut & procedit ab vno principio, quod est forma rei naturalis. Secundò autem subtrahuntur causalitati cælestium corporum actus liberi arbitrij, quod est facultas voluntatis, & rationis. Intellectus enim, siue ratio, non est corpus, nec actus organi corporei, & per consequens nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per Phylosoph. 3. de Anima. tex. 42. Nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream. Vnde impossibile est, quod corpora cælestia directè imprimant in intellectum, & voluntatem. Hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu, quod Arist. in lib. 2. de Anima. tex. 159. imponit his, qui dicebant, quod talis voluntas est in hominibus, qualem in die inducit Sol, vel Cælum. Vnde corpora cælestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij. Possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum; quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires sensitiuæ obediunt rationi, vt patet per Phylos. in 3. de Anima, tex. 42. & 47. & 1. Ethic. cap. fin. nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cælestium corporum homo potest per rationem operari. Si quis ergo consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum; procedit hoc ex falsa, & vana opinione, & sic operatio dæmonis se immiscet; vnde erit diuinatio superstitiosa, & illicita. Si verò aliquis vtatur consideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cælestibus causantur corporibus, puta, siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita diuinatio, nec superstitiosa. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5. Et quoniam ille, qui vult furta per inspectionem astrolabij requirere, grauissimè delinquit, etiam si ex bono zelo, & simplicitate, & non ea intentione, vt inuocaret dæmonium, se fecisse dicat. vt in tex. Ideo si est presbyter, qui taliter deliquit, ab altaris ministerio, ad arbitrium superioris suspenditur. vt in tex. & si ex simplicitate non excusetur, quicunque sit, grauius punitur. c. non licet. 26. q. 5. Et si cessare noluerit, excommunicatur. d. q. 5. in sum. Et sic Christiana pietas planetarios istos expellit, & damnat. c. illos. 26. q. 2. Et nouissime astrologia iudiciaria, sub grauibus pœnis prohibetur per constit. Sixti V. incip. Cæli, & Terræ. data anno eius primo.

Cap.

Cap. 3. Ecclesia.

NON solum electio per sortes fieri non debet, sed etiam electiones compromissariorum per sortes assumi non debent.

QVIA de connexis idem est iudicium.c.translato. de constitut. Et quoniam electio per sortes fieri prohibetur, ne illa cadat in indignum.c.quia propter. de elect. Ideo similiter prohibetur per sortem electio compromissariorum, ne sic eligerentur compromissarij indigni, per quos postea fieret in dignitate, vel officio Ecclesiastico electio de indigno.vt in tex.& c.cum in cunctis.de elect. & S.Thom.2.2.q.95.art.8. Inter laicos tamen, vel inter clericos quo ad temporalia, hic vsus sortis non reperitur prohibitus, ex quo tantum subijciunt se fortunæ, & ita in multis locis faciunt laici, eligentes officiales per ballotas, seu breuia; sed etiam ipsi melius facerent, si ab hoc modo eligendi abstinerent, cum etiam in ipsis militet eadem ratio, quæ dicta est in clericis, scilicet, ne sors cadat super indignum; & ne videantur tentare Deum, dum habent, quod rationabili consilio facere possunt. Abb.hic.& not.supr.in c.1.

Liber Quintus. Titulus XXII.

DE COLLVSIONE detegenda.

In Decretal. Cap. 1. Scripta.

ACCVSATORE desistente ab accusatione, potest iudex ex officio suo inquirere super crimine illato.

QVIA publicæ vtilitatis interest, ne crimina remaneant impunita.l.ita vulneratus.ff.ad leg.Aquil.& curandum est, ne per impunitatis audaciã illi), qui erant nequam, fiant nequiores.c.vt famæ. de sent.excom. Et quoniam de iure Canonico non solum attenditur concordia inter subditos, sed etiam principalius intenditur, vt homines dirigantur ad Deum.c.nouit. de iudic. Ideo ex quo crimen delatum est ad iudicium, si accusator velit à prosecutione desistere, videndum est per iudicem, an ille velit desistere ex charitate, quod ei potest indulgeri, & facilius reo potest parci; an verò velit desistere ex collusione, ob quod crimen potest accusator puniri, & iudex

debet super crimine illato, tunc contra reum ex officio inquirere. vt in tex.& l.1.C.de abolition.& S.Thom.2.2.q.69.art.2.

Cap. 2. Crimina.

DESISTENTE accusatore, & accusato, iudex prosequitur.

QVIA vndecunque crimina claruerint, sunt punienda.c.eece.24.q.3. Et quoniam potest contingere, quod accusator desistat à prosecutione iudicij, non ex charitate, sed ex collusione. supr.c.prox. Ideo si tunc crimen est probatum contra reum, vel saltem est fama contra eum, potest iudex ex officio illud iudicium prosequi. vt in tex.& infr.c.fin.

Cap. 3. Audiuimus.

COLLVDENS in causa beneficiali, priuari debet beneficio.

QVIA collusio est inter actorem, & reum, latens, & fraudulenta conuentio. c. si quem.2.q.3. Et quoniam fraus, & dolus nemini debent patrocinari.c. sedes.de rescript. sed quis puniendus est in eo, in quo deliquit.c.literas. de temp.ord. Ideo si aliqui clerici inter se collaudant, & fingant litem, vt vnus retineat beneficium, & alter super illo obtineat pensionem, ille beneficio, & iste pensione, debent priuari. vt in tex.& c. cum clerici.de pact.

Cap. 4. In tantum.

ABSOLVTIO de criminibus illatis, per collusionem facta, non impedit facultatem iterum accusandi, & inquirendi de illis criminibus.

QVIA talis absolutio fuit fraudulenter obtenta.c. si quem.2.q.3. Et quoniam malitia sua nemini debet esse lucrosa.l.1.ff.de dol. Ideo licet absolutus legitimè non debeat super eodem crimine amplius impeti.c.de his.de accusat.& l.licet.ff.naut.caup.& stab. sententia tamen lata per collusionem, id est, per fraudulosam conuentionem, non tollit facultatem iterum accusandi, & inquirendi de illis criminibus. vt in tex. & supr.c. 1. perimit tamen illam iudicij instantiam. Abb. hic.& l.1.& fin. ff.de collus.deteg.

Liber Quintus. Titulus XXIII.

DE DELICTIS PVERORVM.

In Decretal. Cap. 1. Pueris.

IMPVBERES (præter vitium carnis) delinquere possunt.

QVIA

QVIA puer circa septennium incipit esse doli capax. S. Thom.par.3.q.43.art.2.in addit.& S.Greg.lib.4.dialog. cap. 18. vbi refert de quodam pucro quinque annorum, qui propter blasphemiam fuit raptus à diabolo. Et quoniam ad cor, & ad spontaneas voluntates respicit Deus. c. si quandoque. 15.q.6. Et voluntate, ac proposito maleficia distingunutur. c. cũ voluntate.de sent. excom. Ideo licet ante pubertatem, quæ in masculo est in decimo quarto anno, in fœmina autem est in duodecimo, quis non præsumatur aptus ad generandum, nisi malitia suppleat ætatem. c.de illis. de desponſ.impub. in pueris tamen grandiusculis, furti, mendacij, periurij, & similium delictorum, quorum puerilis ætas est plena, potest cadere peccatum.vt in tex.& c.paruuli,& ibi glos.de consecr.dist.4.

PVNIVNTVR tamen mitius, quam adulti.

QVIA qui peccat ex malitia, grauius peccat, quàm ille, qui peccat ex passione. S. Thom. 1.2.q.78. art. 4. Et qui peccat ex habitu, magis peccat, quam ille, qui peccat ex dispositione. c. fin.de consuet. Et quoniam adulti magis peccant ex malitia, & ex habitu, quam pueri.S.Thom.par.3.q.43. art.2.in addit. & pœnæ inferuntur, secundum quod personæ, causæ, loca, & tempora requirunt. c. fin.de transact. Ideo idem delictum mitius punitur in puero, quàm in adulto. vt in tex. & l. auxilium.ff.de minor.

Cap. 2. Referente.

PVER non debet ita seuerè puniri, sicut maior.

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto. c.disciplina.dist. 45. Et quoniam idem delictum est grauius in adulto, quàm in puero.supr.c. prox. Ideo pro eodem delicto non ita seuerè punitur puer, sicut adultus.vt in tex.& l.impunitas.C.de pœnis.

NEC pater ex delicto filij impuberis, tenetur.

QVIA peccata suos debent tenere auctores. c.2. de his, quæ fi. à ma. par. cap. Et quoniam viuente patre, legitima non potest separari à bonis patris. l. 1. §. si impuberi. ff. de collat.bon. Ideo pro delicto filij, pater non tenetur, nec quo ad personam, nec quo ad bona.vt in tex.& C.ne fil.pro patr.l.1.

Liber Quintus. Titulus XXIV.

DE CLERICO VENATORE.

In Decretal. Cap. 1. Episcopum. & Cap. 2. omnibus.

CLERICO prohibetur uenatio, & contrafacienti pœna imponitur.

QVIA cui portio Deus est, nihil habet curare, nisi Deum. c.cui. 12. q. 1. Et quoniam qui incumbit venationi, primo diluculo, non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum sancta loca perquirit; sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus, siluasque perlustrat; seruos secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiã festinantes; & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens, reum se futurum tam de suo delicto, quàm de perditione seruorum. c. an putatis. dist. 86. Ideo Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum, habere non licet. Quòd si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus à communione; si presbyter, duobus; si diaconus, ab omni officio suspendatur. Vnde omnibus seruis Dei, venationes, & siluaticas fatigationes cum canibus, & accipitres, aut falcones habere, interdicitur. vt in tex. & c. 1. ne cler. vel mon. Et ad hæc Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12. & Diaz in pract. crim. cap. 61.

Liber Quintus. Titulus XXV.

DE CLERICO PERCVSSORE.

In Decretal. Cap. 1. Si quis.

CLERICVS sæpe alium percutiens, & monitus non desistens, deponendus est.

QVIA nunquam nos docuit Dominus, vt percuteremus; sed è contrario ipse cum percuteretur, non repercutiebat; cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. 2. Petri, cap. 2. Et quoniam omnis Christi actio debet esse nostra instructio. S. Greg. in homil. Luc. cap. 10. Ideo si quis in aliquo gradu

du sacro, percussor extiterit, corripiatur à crimine;& si non emendauerit,deponatur. vt in tex. & c.1.dist.45. Sed dices,nonne Dominus flagellis percussit? Matth. cap. 21. Respond. quod hoc non fecit animo iniuriandi, sed causa correctionis. c. Episcopum, & ibi glos.dist.45.vbi enumerantur diuersæ personæ,quæ moderatè licitè percutere possunt,causa correctionis,& ad idem c.cum voluntate.de sent.excom.

Cap. 2. Præterea.

DVOBVS mensibus à missarum administratione suspenditur Episcopus,qui crudeliter aliquem fustigari facit.

QVIA cum beatus Paulus Apostolus arguere, & obsecrare, vel increpare in omni bonitate,& potentia præcipiat.2.ad Timoth.cap. 4.non est dignum, vt Prælatus, prout voluerit, & ei placuerit, subditos verberibus subijciat, & dolori; ne dum incautè subdita percutit membra; ipse quoq; debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat. c.cum beatus. dist. 45.iuxta illud:Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimiæ increpatio,nec increpationem recipit; nec salutem. Prouerb.cap.23. Vnde disciplina,vel misericordia multum destituitur,si vna sine altera teneatur;sed circa subditos inesse debet rectoribus, & iustè consulens misericordia, & piè sæuiens disciplina. S. Greg.in moralib. lib. 20. parte 4. cap. 6. Et quoniam nimia sæuitia superioris, culpæ adsignatur.l.præceptoris.ff.ad leg.Aquil. Ideo si Episcopus contra ordinem sacerdotij fecerit aliquem crudeliter fustibus deputari,duobus mensibus ab administratione missarum statuitur abstinere. vt in tex.& c.Episcopum.dist.45.

Cap. 3. Præsentium.

NON punitur clericus vt homicida, si fuit ipse in conflictu pro parte violentiam repellentium, licet ibi aliqui mortui sint, & ipse lapides proiecerit,ex quo nullum ipse percussit.

QVIA talis rei licitæ operam dedisse videtur, cum sit licitum se defendere,& violentiam repellere.c.ex tenore.de sent.excom. & c. fortitudo. 23. q. 3. sed vlcisci non licet. c.seditionarios.dist.46. Et quoniam peccata suos debent tenere auctores.c.quæsiuit.de his,quæ fi.à ma. par. cap. Ideo ex quo iste non fuit in culpa, rei licitæ se immiscendo;nec percusserit, vt possit dici,quod in defensione excesserit, non debet de homicidio per alios commisso puniri.vt in tex.& c.petitio.de homicid.

Cap. 4. Continentiam.

CLERICVS, qui fuit in conflictu, vbi aliqui fuerunt occisi sine eius facto, vel consilio, de iure communi promoueri potest.

QVIA

QVIA vim vi repellere, omnes leges, omniaque iura permittunt. c. si verò. de sent. excom. & l. vt vim. ff. de iust. & iur. Et quoniam ei, qui dat operam rei licitæ, non imputatur, si per alium in illo facto excedatur. c. lator. de homicid. Ideo etiam clericus licitè assumit arma ad resistendum prædonibus, nec tenetur de homicidio ibi facto, si absque eius consilio, & facto gestum est. vt in tex. & supr. c. prox.

Liber Quintus. Titulus XXVI.

DE MALEDICIS.

In Decretal. Cap. 1. Innotuit.

MALEDICENS Papæ, puniendus est, vt alij deinceps deterreantur, & ipse arceatur.

QVIA principi nemo maledicere debet. c. paratus. 23. q. 1. & non solum principi detrahi non debet; imo nec fratribus. c. summa. 6. q. 1. Vnde scriptum est: Omnis, qui detrahit fratri suo, homicida est; & omnis homicida non habet partem in regno Dei. 1. Ioan. cap. 3. Et detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Psal. 100. Et quoniam Papa, qui alios in sua iustitia confouet, ius suum negligere non debet. c. licet. de suppl. negl. præl. Ideo qui verba in depressionem summi Pontificis profert, ita à temeritate sua est compescendus, vt pœna illius, alijs terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Ecclesiam, in talia verba prorumpant. vt in tex. & c. Guilisarius. 23. q. 4. Nunquid autem superior possit punire subditum contra eum excedentem? Distingue, quod aut iniuria est notoria; & tunc potest ipsemet superior illum punire. vt not. Innoc. in c. ex parte il 1. de verb. sign. per c. si quis. 2. q. 7. & glos. in c. Romana. de pœnis in 6. quod tamen limita, & intellige, quando pœna est à iure expressa; sed vbi pœna venit imponenda arbitrio iudicis, quod est regulariter secundum ius commune, in actione iniuriarum; tunc dic, quod iste superior, tanquam suspectus potest recusari, quia posset in arbitrando excedere modum, nec excusat ibi notorietas delicti. Abb. hic. arg. glos. in c. super his. ver. arbitrium. de accusat. Aut iniuria non est notoria; & tunc si est illata personæ, non potest, quia nemo potest esse iudex in facto proprio. c. inter. 23. q. 4. & l. vnic. C. ne quis in sua caus. Aut est illata dignitati, & potest. vt in d. c. si quis. & l. 1. C. de offic. eius, qui vic. alt. gerit. Dic tamen etiam in hoc casu, quod quia in consequentiam tangit personam; si iste

est

est delegatus, potest recusari; si verò est ordinarius, petetur adiunctus. vt in l.apertissimi. cū Auth.sua.C.de iudic.Et quod dicitur de adiuncto,procedit de iure ciuili, secundum quod ordinarius non recusatur in totum. vt in d.l.apertissimi; secus dic de iure canonico, secundum quod etiam Episcopus in totum recusari potest, si est suspectus. vt in c. si quis. de for. comp. Io.And.hic, & Cyn.in d.l.1.C.de offic. eius. An autem peccet, non remittens iniuriam? Conclusio est,quod rancorem iniuriæ debet remittere. c.si quis contristatus. dist. 9. sed satisfactionem iniuriæ, nemo tenetur remittere, si non vult. d.c.si quis. & c.studendum. dist.90.& ad hæc S.Th. 2.2.q.108.art.1.& Bart. in l.si tibi decem. ff.de pact. Detractio autem, per quā denigratur fama alterius;per se loquendo, est peccatū mortale. Contingit tamen quandoque, quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud: Hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solùm materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba,per quæ fama alterius diminuitur,proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium, debitis circunstantijs obseruatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi leuitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale; nisi fortè verbum, quod dicitur,sit adeò graue, quòd notabiliter famam alicuius lædat; & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtractæ. S.Thom. 2.2. q.62. art.2. & q.73.art.2.& de pœna maledici, vide Diaz in pract.crim.cap.6.

Cap. 2. Statuimus.

HIC ponitur pœna blasphemantis Deum, vel aliquem Sanctum, & maxime Virginem gloriosissimam.

QVIA longe grauius est, æternam, quàm temporalem lædere maiestatem.c.vergentis.de hæret.Et quoniam qui contra temporalē maiestatem delinquit,grauiter punitur.sup.c.prox.& l.si quis cū militibus. C. ad leg.Iul.maiest.& blasphemia est directè peccatum in Deum. S. Th. 2.2. q.13. art. 3. & sicut Deus in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in sanctis efficit; ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos,ex consequenti in Deum redundat.S.Thom.d.q.art.1.Ideo statuitur,vt si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè Beatam Virginem, linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœnæ subdatur inferius annotatæ, videlicet, vt septem diebus Dominicis, præ foribus Ecclesiæ in manifesto (dum aguntur missarum solemnia) blasphemus existens, vltimo illorum die dominico, pallium, & calciamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum,septemq. diebus præcedentibus vj. ferijs in pane, & aqua ieiunet,ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum, tres, si poterit,

alioqui duos reficiat pauperes, siue vnum. Et si nec ad hoc eius suppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur; cui etiam, si renuerit recipere, ac peragere pœnitentiam supradictam, ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi diœcesani adhibita contra eum, blasphemus, si diues fuerit, quadraginta solidorum, alioqui triginta, siue viginti, & si ad id non sufficiat, quinque solidorum vsualis monetæ pœna multetur, nullam in hoc misericordiam habiturus; quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur. vt in tex.& c.si quis. 22.q.1. Et nouissime contra blasphemos, vide constit. Iulij III. incipient. In multis, & Pij V. incip. Cum primum.

Liber Quintus. Titulus XXVII.

DE CLERICO excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

In Decretal. Cap. 1. Si quis Episcopus.

CLERICVS depositus, celebrans, excommunicatur.

QVIA per depositionem aufertur clerico executio, & priuilegium ordinis clericalis. c.degradatio. de pœnis, in 6. Et quoniam talis, rem sibi prohibitam faciendo, & censuram ecclesiasticam violando, mortaliter peccat. infr. c. prox. Et propter mortale peccatū potest excommunicatio ferri.c. nullus. 12.q.3. Ideo si quis Episcopus, presbyter, vel diaconus depositus iustè pro certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium sibi dudum commissum, hic ab Ecclesia abscindatur. vt in tex.& c.dictum est. dist.81.& S. Thom.par. 3.q.82.art.8.

Cap. 2. Si quis presbyter.

DEGRADATVS, vel suspensus celebrans, & monitus non desistens, excommunicatur; & si nec sic desistat, per sæcularem potestatem, ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur.

QVIA talis rem sibi prohibitam faciendo, & censuram ecclesiasticam violando, grauiter peccat.c.si quis Episcopus.11.q.3.Et incorrigi-

rigibilitas auget delictum. c. vnum. dist. 25. Et quoniam vna iurisdictio per aliam adiuuatur. c. quoniã idem. dist. 10. vt vbi pœnæ vnius non sufficiunt, alia ad requisitionem alterius suas adhibeat. c. significauit. de offic. ord. Ideo siquis presbyter, aut alius clericus, fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per cõtemptum, & superbiam, aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & postea ab Episcopo suo correctus in incepta præsumptione perdurauerit, modis omnibus excommunicetur, & quicunque cum eo communicauerit, similiter se sciat excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel fœminis excommunicatis obseruandum est. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus minimè emendare potuerit, Regis iudicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur. vt in tex. & c. cum non ab homine. de iudic.

Cap. 3. Clerici.

INTERDICTVS, & excommunicatus, celebrans, monitus non desistens, deponitur.

QVIA interdictum, & excommunicatio sunt pœnæ medicinales. c. audi. 11. q. 3. & ob id interdictis, & excommunicatis non aufertur executio sacerdotalis potestatis, quasi in perpetuum; sed ad correctionem vsque ad tempus. Degradatis autem, seu depositis aufertur executio, quasi in perpetuum condemnatis. c. degradatio. de pœnis, in 6. & S. Thom. par. 3. q. 82. art. 8. Et quoniam celebrans contra prohibitionem sibi factam, & Ecclesiæ censuras spernens, grauiter peccat. sup. c. prox. quod peccatum aggrauatur per eius contrauentionem speciali monitioni rursus sibi factę, ne celebret. c. cum non ab homine. de iudic. Ideo clerici, si qui à suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis, ab alienis Episcopis interdicti, vel excommunicati, ante absolutionem diuina officia celebrauerint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 4. Latores.

EXCOMMVNICATI, vel interdicti, celebrantes, deponi debent.

QVIA omne crimen imprimens irregularitatem, est dignum depositione. vt not. in c. cum non ab homine. & c. at si clerici. de iudic. Et quoniam excommunicatus, vel interdictus, celebrans, incurrit irregularitatem ipso facto. c. 1. de re iudic. in 6. Ideo præter irregularitatis pœnam impositam à iure, excommunicatus, vel interdictus, celebrans, debet per iudicem deponi perpetuò ab officio, & beneficio. vt in tex. & sup. c. prox.

NISI propter multitudinem mitigetur pœna.

QVIA vbi per graues dissensionum scissuras, non huius, aut illius hominis periculum, sed populorum plurimorum strages iacet, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus sanandis malis charitas

sincera

syncera subueniat. c. vt constitueretur. dist. 50. Et quoniam si omnes sacerdotes, qui taliter deliquerunt, deponerentur, ciuitas, vel prouincia fortasse pateretur defectum in sacerdotibus. Host. hic. Ideo si sacerdotes alicuius loci, postquam interdicti, vel excommunicati fuerint, diuina præsumpserint officia celebrare; si quadraginta solummodo, vel pauciores in his deliquisse constiterit; omnes in perpetuum ab officio sacerdotali sunt deponendi. Si verò multitudinem magnam in hoc peccasse apparuerit; illi, quos magis causam delicti esse constiterit, perpetua depositione sunt condemnandi; & alij, qui non tantum deliquerint, ab officio ad tempus sunt suspendendi, & omnibus pœnitentia, secundum discretionem Episcopo à Deo datam, est iniungenda. vt in tex. & infr. c. fraternitati.

Cap. 5. Illud

SI habens notitiam excommunicationis per solam famam, celebrat, debet de rigore deponi.

QVIA licet talis in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse. vt in tex. cum fama per se solam non plene probet. c. fin. 4. q. 3. Tamen quoniam in dubijs via tutior est eligenda. vt in tex. & c. iuuenis. de sponsal. & fama facit magnam præsumptionem. c. super eo. de consang. & affin. Ideo etsi delata in eum sententia excommunicationis, iste dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quàm sacramenta ecclesiastica pertractare. vt in tex. & sup. c. prox.

LICET cum eo possit misericorditer dispensari.

QVIA ex quo talis non erat verè certus de excommunicatione in eum lata; sed solùm per famam audierat, non fuit omnino culpabilis, si tali famæ non credidit. vt in tex. & c. illud. de præsumpt. Et quoniam vbi rationabilis causa exigit, à iuris rigore receditur, & mitius agitur. c. sciendum. dist. 29. Ideo Summus Pontifex cum isto misericordiã faciens, pœnam, quam canon minatur ijs, qui post excommunicationem diuina præsumpserint officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint diuinorum, ei non duxit infligendam; sed eum mitius puniendum. Et quantum ad id, quod sub spe veniæ, iste diuina sibi fecit (postquam se à Papa nouerat excommunicatum) celebrari, & communioni fidelium se ingessit, potius facit contra eum, quàm pro eo; cum sub fiducia pœnitentiæ non debuerat deliquisse, & excommunicato non vitare, multò magis, quàm non vitari, periculosum existat. Non vitare siquidem (cum in eo sit) excommunicatus sine delicto non potest; sed, cum ex alijs pendeat, sine suo delicto poterit non vitari. vt in tex. & c. si verè. de sent. excomm.

Cap. 6. Fraternitati.

EXCOMMVNICATVS celebrans, à beneficio deponitur.

QVIA

QVIA omne crimen inducens irregularitatem, eſt dignum depoſitione.ſupr.c.latores.Et quoniam excommunicatus celebrans,incurrit irregularitatem ipſo facto. c.1.de re iudic.in 6. Ideo presbyteros, & alios clericos, qui pro ſuis exceſsibus ab Epiſcopo nexibus anathematis canonicè innodati,præſumpſerunt,vel præſumunt officia celebrare diuina, rationabiliter poterit ipſe Epiſcopus omnibus beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliare.vt in tex.& ſupr.clerici.

Cap.7. Poſtulaſtis:

COLLATIO beneficij excommunicato facta non tenet.

QVIA cum denegatur aliquid, denegatur & omne id, per quod peruenitur ad illud.l.oratio.ff.de ſponſal.Et quoniam cum excommunicato neque orare,neque loqui(niſi quæ ad eandem excommunicationem pertinent) nec veſci licet.c.cum excommunicato.11.q.3. Et Eccleſiaſtica beneficia ad hoc ſunt conſtituta,vt in eis diuinus cultus exerceatur. c. fin.de reſcript. in 6. Ideo cum excommunicatis communicari non debeat; & clericis excommunicationis vinculo innodatis Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt; nec illi valent ea retinere licitè,niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum,cum ea non fuerint canonicè conſecuti.vt in tex.& c.cum bonæ.de ætat.& qual.ord.

ET ſcienter talibus conferens, à beneficiorum collatione ſuſpenditur.

QVIA quis puniendus eſt in eo, in quo deliquit.c.literas.de temp. ord. Et quoniam conferens ſcienter beneficium excommunicato, delinquit in collatione. c.cum dilectus.de conſuet. Ideo illi, qui ſcienter beneficia excommunicatis contulerunt, tandiù debent à beneficiorum collatione ſuſpendi,donec ſuper hoc veniam conſequi mereantur,vt puniantur in hoc,in quo delinquere præſumpſerunt. vt in tex.& c.nihil.eſt. de elect. Sed qui ignoranter contulit,nulla pœna punitur,collatio tamen non tenet.d.c.cum dilectus.& c.cum in cunctis.de elect.

§. Quæſiuiſtis.

CELEBRANS in loco interdicto, ſi eſt clericus ſæcularis,beneficijs priuatur; ſi monachus, in arctius monaſterium detruditur.

QVIA talis grauiter peccat, rem prohibitam faciendo,& Eccleſiæ cenſuram contemnendo.c.1.de re iudic.in 6.Et quoniam pœna debet eſſe commenſurabilis delicto. c.diſciplina.diſt.45. Ideo ſi clerici,vel monachi,aut moniales,poſt latam interdicti ſententiam,in locis ſuppoſitis interdicto præſumpſerint diuina officia celebrare;quamuis propter hoc ſint excommunicationis vinculo innodati;clerici,qui talia præſumpſerint, ſunt Eccleſiaſticis beneficiis ſpoliandi, monachi verò, vel moniales, in arctioribus monaſteriis ad peragendam pœnitentiam detrudendi.vt in tex.& c.fin.de exceſſ.Præl.

Abb.hic. Et quoniã qui eligitur,vel promouetur ad aliquod beneficium, principaliter eligitur,vt exerceat ſe in ſacramentis Eccleſiæ.c.fin.de reſcr.in 6. Ideo minori excommunicatione irretitus, nec eligere prohibetur,nec ea,quæ ratione iuriſdictionis ſibi competunt,exercere. Si tamen ſcienter talis electus fuerit,eius electio eſt irritanda pro eo,quòd ad ſuſceptionem eorum eligitur, quorum perceptione à ſanctis Patribus eſt priuatus.vt in tex.& c.tranſmiſſam.de elect.

ET ſi confert ſacramenta,licet peccet,tamen collatio tenet,& ſuum habet effectum.

QVIA excommunicato excõmunicatione minori prohibetur participatio ſacramentorũ ad commoditatem ſuã;non autẽ in quantum hæc ſacramenta confert alijs. d.c.ſi quem.& c. Engeltrudam.3.q.4. Et quoniam pœnæ ſunt ſtrictè intelligendæ.l.in pœnis.ff.de iur.Ideo talis peccat conferendo eccleſiaſtica ſacramenta; ſed ab eo collata,virtutis non carent effectu; cum non videatur à collatione, ſed à participatione ſacramentorum (quæ in ſola conſiſtit perceptione)remotus. Dummodo non in contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ, videlicet, contra prohibitionem ſuperioris, communioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit; in quo caſu eſt anathemate feriendus. vt in tex.& c.nuper.de ſent.excom.& S.Thom.par.3.q.82.art.9.

Liber Quintus. Titulus XXVIII.

DE CLERICO NON ordinato miniſtrante.

In Decretal. Cap. 1. Si quis.

CLERICVS miniſtrans in pertinentibus ad ordinem, quem non habet,deponendus eſt,& amplius non ordinandus.

QVIA talis grauiter delinquit, vſurpando ſibi miniſterium,quod ad ipſum non ſpectat. c.ſingula.diſt.89. Et quoniam quis puniendus eſt in eo,in quo deliquit.c.inter.de exceſſ.prælat.& Sapient.cap.11. Ideo ſi quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur. vt in tex.& c.presbyteros. 16.q.1. Et quantum ad baptiſmum, intellige,ſi talis conferret,ac ſi eſſet ordinatus, & ei liceret ex officio; tunc enim punitur, prout hic dicitur. Secus, ſi in neceſſitate, quia tunc licitum eſt cuilibet.c.ad limina.30.q.1.

M 2 &c.

& c. diaconos.dist.93.vnde etiā ab hæretico potest recipi baptismus tēpore necessitatis.c.à quodam. de consecr. dist.4.dummodo in forma Ecclesiæ.cap.1.§.sacramentum.de sum.Trin.& c.si quem.33.q.1.& S.Thom. par.3.q.67.art.3. 4. & 5. Et quo ad clericum administrantem in subdiaconatu,vel diaconatu, in quibus ordinibus non sit constitutus,vt incurrat pœnam hic statutam, intellige, quando cum solemni apparatu hoc facit, secus si facit sine apparatu solemni illius ordinis.Host.hic.& Diaz. in pract.crim.cap.12.

Cap. 2. Ex literis.

DIACONVS missam celebrans, ad sacerdotium non promouetur,& à diaconatu suspenditur ad tempus.

QVIA quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c.fin.de immunit. eccl.& l.qui vas.§.qui furem.ff.de furt. Et quoniā talis in sacro ordine grauiter deliquit. supr.c.prox. Ideo diaconus,qui non sit presbyter ordinatus, missarum celebrationem vsurpare præsumens, ad sacerdotis officiū nō poterit promoueri, & à diaconatu biēnio, vel triēnio ad arbitriū Episcopi debet manere suspensus.vt in tex. & c.latores.supr.c.prox.

SED in beneficio poterit ad tempus dispensari.

QVIA cum talis sit in sacris,clericaliter viuere tenetur,nec potest ad sæculum redire.c.clericus,il 2.de vit.& honest.cler. Et quoniam redundaret in opprobrium ordinis clericalis, si mendicare cogeretur.c. ad supplicationem. de renunt.& c.diaconi.dist.93.Ideo de beneficio cum eo misericorditer est agendum, ne sustentatione priuatus, ad sæculi negotia reuertatur. Vt autem securius ei possit Episcopus hanc misericordiam facere, de agenda pœnitentia diligentem circa eum curam debet exhibere.Salubrius autem sibi absque dubio talis diaconus prouidebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum. vt in tex. & c.studeat. dist.50.

Liber Quintus. Titulus XXIX.

DE CLERICO PER saltum promoto.

In Decretal. Cap. vnic. Tuæ.

QVI ignoranter per saltū de subdiacono fit presbyter,post pœnitentiā in diaconū ordinatur,& postea potest secū in sacerdotio dispensari.

QVIA

QVIA ordo seruandus in collatione ordinum, est à canone introductus. c. 1. dist. 78. Et quoniam talis ordo est de necessitate præcepti, non de necessitate sacramenti. S. Thom. in 4. sentent. q. 23. art. 5. & præposteratio facti non vitiat factum. c. solicitudo, & ibi glos. dist. 52. Nec intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur. c. placuit. de consecr. dist. 4. Ideo collatio ordinum præposterè facta tenet (licet fieri non debeat, & transgredienti sit pœna imponenda) & ordo omissus est supplendus. vt in tex. & c. 1. de sacr. non iter. & vide Diaz in pract. crim. cap. 20.

Liber Quintus. Titulus XXX.

DE EO, QVI ORDINEM furtiuè suscepit.

In Decretal. Cap. 1. Veniens. Cap. 2. Cum H. & Cap. 3. Innotuit.

QVI furtiuè recipit ordinem, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio, sine dispensatione Papæ in sic suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere non potest; sed si excommunicatio lata non erat, Episcopus, & Abbas poterunt dispensare.

QVIA suscipiens ordinem in excommunicatione, incidit in irregularitatem. c. cum illorum. de sent. excom. Et quoniam cum irregulari solus Papa dispensat, vt possit in susceptis ordinibus ministrare, vel ad superiores ascendere. c. clerici. & c. latores. de cler. excom. Ideo si excommunicatio erat lata ab Episcopo, vel Archidiacono contra suscipientes furtiuè ordines, ille, qui furtiuè suscepit, non potest sine dispensatione Papæ in ordine sic suscepto ministrare, vel ad superiores ascendere; si verò talis excommunicatio non erat lata, poterunt Episcopus, & Abbas cum isto dispensare. vt in tex. & c. Lugdunensis. 9. q. 2. & Diaz in pract. crim. cap. 21.

DE EXCESSIBVS Prælatorum, & subditorum.

In Decretal. Cap.1. Peruenit.

MONET Prælatos abstinere à grauaminibus subditorum, & aliqua enumerat, & geminatam pœnam imponit contrafacientibus.

QVIA Episcopi presbyteros, & alios clericos, quasi filios, & fratres, benigna, ac fraterna debent charitate fouere. c. prædicator. 16. q. 1. Et quoniam nonnulli contrarium facientes quærebant cleros tallijs, & exactionibus indebitis vexare, quas nisi soluissent, eis diuinum officium interdicebant. vt in tex. & c. cum Apostolus. de cens. quod magis ad tirannidem, quàm ad rectitudinis pertinet formam. c. dictum. dist. 94. Et pœna est imponenda delinquentibus, vt ipsi puniantur, & alijs per illam, vt à similibus abstineant, terror incutiatur. c. 1. de maledic. Ideo præcipitur Episcopis, quatenus in subditos tallias, & exactiones indebitas exercere non præsumant; nec de cætero illos grauent indebitè, vel tractent inhonestè, & sine consilio Capituli sui ipsos suspendere, vel eorum ecclesias interdicere non præsumant; neque duas ecclesias, quarum vna sufficiat, eos habere permittant; nec aliquos excommunicent sine ordine iudiciario; sciturì, quod si contrafecerint, Papa eos taliter puniet, quod timore pœnæ alij à similibus abstinebũt. vt in tex. & c. hoc tantũ. 18. q. 2. & Conc. Trid. sess. 13. de refor. cap. 1.

Cap. 2. Ad hæc.

NON potest Episcopus sine causa ecclesiam alteri subiectam, ab illius subiectione, & obsequio liberare.

QVIA Episcopus nemini debet iniuriam irrogare. c. 1. de offic. ord. Et quoniam tollere ius alterius sine causa, est ei damnum, & læsionem inferre. c. super eo. de offic. deleg. & l. 1. C. de iur. reip. & hoc est speciale priuilegium Principis, qui in suo genere, & administratione super omnes est. c. conquestus. 9. q. 3. qui nec de facili hoc consueuit facere. c. ad aures. de rescr. & l. nec auus. C. de emanc. Ideo ecclesiam alteri subiectam, Episcopus non potest sine causa ab illo liberare. vt in tex. & c. ad audientiam, il 2. de eccl. ædific. potest tamen cum Capitulo, ex causa, aliquam dignitatem, illa vacante, supprimere. c. 1. de reb. eccl. non ali. sicut & vnam ecclesiam alteri vnire, & subijcere; dummodo non præiudicet rectori viuenti. Clem. 2. d. tit. de reb. eccl. non ali.

Cap.

Cap. 3. Ad Aures.

HABENS subiectionem, seu collationem beneficij, illud pro suo vsu retinere non potest, seu sibi conferre.

QVIA inter dantem, & recipientem debet esse distinctio personalis.c. fin.de instit.& nemo debet sibi auctorizare. Instit.de auct.tut. §.si tutor. Et quoniam si quis sibi retineret beneficium, quod alij conferre tenetur, ius dantis, & recipientis in se confunderet, & ambitiosus appareret.c.per nostras.de iurepatr. Ideo habens beneficium sibi subiectũ, non potest illius fructus sibi retinere, nec illud sibi conferre. vt in tex.& c.vnic.vt eccl. benef. sine dim.conf.quod procedit, etiam si beneficium sit regulare. Clem.vnic.de suppl.negl.præl.

Cap.4. Clerici.

CONTRA naturam incontinentes, si sunt clerici, deponuntur, & in monasterio detruduntur; si laici, excommunicantur.

QVIA vitium contra naturam, grauissimum, & turpissimum est; cum per illud transgrediatur homo, quod secundum naturam determinatum est circa venereorum vsum. S.Thom.2.2.q.154.art.12. vnde propter hoc peccatum ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque ciuitates igne consumpsit. Genes.cap.19.& tantum valet ordinatio creatoris, & ordo creaturę, vt in rebus ad vtendũ concessis, cum modus exceditur, longe tolerabilius sit, quã in eis, quæ cõcessa nõ sunt, vel vnus, vel rarus excessus. S.August. de adulterinis coniugijs.lib.1.cap.9. Et quoniã maiora delicta, maioribus pœnis, minora minoribus sunt punienda. c. non afferamus. 24.q.1. & Authent. vt fratrum filij.coll.9.& depositio in clero est grauissima pœna. c. degradatio. de pœnis, in 6.sicut & in monasterium detrusio.c.tuæ. de pœnis. Et excommunicatione non est maior pœna spiritualis in Ecclesia. c.corripiantur. 24.q.3. Et taliter delinquentes, tanquam putridæ corporis partes, debent ferro excommunicationis abscindi, ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis, putredinis suæ contagione corrumpit; ita isti si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis interficiant.c.ecce autem. 24.q.3. Ideo quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam est, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint, deiiciantur à clero, & ad agendam pœnitentiam in monasterijs detrudantur. Si laici excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant pœnitus alieni. vt in tex. & c. flagitia. 32.q.7. Et capite puniri debent secundum leges. l. cum vir.C.de adult.& in Authent. vt non luxur. contr.nat.coll.6. Et nouissimè per extrauag.Pij V.incip.Cum primum, & aliam incip.Horrendum illud. Clerici huius criminis rei decernuntur tradi Curiæ sęculari.& vide Iul. Clarum lib.5.sent.§. sodomia, & Diaz in pract.crim.cap.80.

Cap. 5. Sanè.

SVBDITVS non tenetur parere superiori aliquid exigenti, vel præcipienti contra tenorem sui priuilegij.

QVIA inferior non potest tollere legem superioris. c. cum inferior. de maior. & obed. Et quoniam vbi apparet notoriè de iniustitia præcepti, quis non tenetur illi obedire. c. iniustum. 11. q. 3. Ideo si Episcopi aliquid ab Abbatibus, præter debitam obedientiam, contra libertatem ordinis à summis Pontificibus indultam, exigunt, liberum est Abbatibusq; auctoritate Apostolica, quod petitur, denegare. vt in tex. & infr. c. cum ad quorundam.

Cap. 6. Illud.

VICARIVS Ecclesiæ vsurpans sibi illius Ecclesiæ personatum contra pristinũ iuramentum, ad officij sui executionẽ admitti nõ debet.

QVIA qui venit contra suum licitum iuramentum, est infamis. c. si quis. 22. q. 5. Et quoniam infamibus portæ dignitatum patere non debent. c. infamibus. de reg. iur. in 6. & l. 2. C. de dignit. lib. 12. Ideo de vicarijs, qui personis, fide, & sacramento obligati sunt, statuitur, quod si personatum sibi falsò assumentes, contra personas se erexerint, & super hoc in iure confessi fuerint, vel conuicti, de cætero in eodem Episcopatu ad officij sui executionem nullatenus admittantur. vt in tex. & c. querelam. de iureiur.

Cap. 7. Cum ad quorundam.

EXCOMMVNICATIO lata contra subditum, quia non paret contra priuilegium sibi à superiori concessum, non tenet.

QVIA temerariũ est, & indignũ, aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui (certa ratione inspecta) singularibus voluit beneficijs indulgere. c. sanè. de priuil. Et quoniam sententia, quę cõtinet manifestã iniquitatẽ, est nulla. c. inter cæteras. de re iudic. Ideo si Ecclesiarũ Prælati numerũ euectionis, & personarũ in Lateranen. Cõcilio constitutũ, cum Ecclesias visitant, excedere fortè præsumpserint, & pro illis procurationẽ exegerint, liberũ est subditis, auctoritate Apostolica denegare; & si propter hoc in illas Ecclesias, vel clericos, aliquã sententiam promulgauerint; illa decernitur non tenere. vt in tex. & c. illud. 11. q. 3. Et ad hæc vide Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 3.

Cap. 8. Sicut.

PRAELATVS inferior citra Episcopum; non potest suam Ecclesiam, vel sibi subiectam alteri vnire sine Episcopi consensu.

QVIA sicut vnire Episcopatus, atq; potestati subijcere alienæ, ad summũ Pontificẽ pertinere dignoscitur. c. & tẽporis. 16. q. 1. ita Episcopi

scopi est,ecclesiarum suæ diœcesis vnio,& subiectio earundem. Clem.2.de reb.eccl. non ali. Et quoniam nemo debet ponere manum in messem alienam. c. venerabilem. de elect. Et ea, quæ fiunt à iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt. c.ea,quæ. de reg. iur. in 6. Ideo vnio ecclesiarum facta per Prælatum inferiorem Episcopo, non tenet. vt in tex.& c.consultationibus. de donat. & Conc.Trid.sess.7.c.6.

ETIAM metropolitani auctoritate interueniente.

QVIA metropolitanus in ecclesias, & subditos sui suffraganei (exceptis quibusdam articulis) nullam habet potestatem, licet Episcopus suffraganeus sit ei metropolitana lege subiectus.c.pastoralis. de offic. ord. Et quoniam iste casus confirmandi vniones ecclesiarum, factas per Prælatos subiectos suffraganeo, non est de articulis exceptis, in quibus metropolitanus habeat potestatem. glos.in d.c.pastoralis. ver.exceptis, quæ enumerat, qui sint illi articuli excepti. Ideo ex eo, quod metropolitanus tali vnioni suum præstauerit assensum,illa valida non redditur. vt in tex.& c.1.de offic.ord.in 6. Et de materia vnionis, vide nouissime Conc.Trid.sess.7.de refor.cap.6.sess.14.cap.9.sess.21. cap.5. & sess. 24. cap.13.& 15.

Cap. 9. Cum sit.

SVSPENDI debet clericus, qui de suo crimine publicè gloriatur.

QVIA quàm sit graue crimen in clericis, cum malefecerint, gloriari, nullus sanæ mentis ignorat. vt in tex. vnde & propheta inquit: Quid gloriaris in malitia? Psal.57. Et quoniam crimen, de quo publicè constat, non debet transire impunitum. c. vt famæ. de sent. excomm. nec eget accusatore. c. euidentia. de accusat. & maxime quis puniendus est, quando alius occasione ista damnum incurrit. c. fin. de postul. Ideo licet talis per huiusmodi suam confessionem extraiudicialem, non sit puniendus illa pœna, quam illud crimen, de quo gloriatur, mereretur. c.2. de confess. debet tamen puniri de illa gloriatione,tanquam maledicus,leuis, & detractor. vt in tex. & c. 1. de maledic. & sufficit talis confessio ad supponendum ipsum confitentem torturæ, vt si ipsam in iudicio ratam habuerit, pœna, quam delictum, de quo gloriatus est, meretur, afficiatur. Bart.in l.capite.ff.de adulter.& Rot.decis.173. aliàs 183.in antiq.

Cap. 10. Ex litteris.

CLERICVS auctoritatem, vel consilium directè, vel indirectè, homicidio præstans, irregularis efficitur.

QVIA homicidium dicitur committi non solum facto, sed etiam consilio, præcepto, & defensione. c.si quis viduam. dist.50.Et quoniam clerici non debent se immiscere vindictæ sanguinis, quantumcunque iustæ. c.sententiam. ne cler.vel mon. quod si fecerint,& mors,vel mu-

tilatio

tilatio membri, fuerit inde secuta, eis imputatur, vt irregularitatem incurrant. c.de cætero. de homicid. Ideo clericus, qui auctoritate, vel consilio præstat causam homicidio, efficitur irregularis. vt in tex. & c. sicut dignum. §. fin. de homicid. Qualiter autem debeat committere causam criminalem Episcopus qui habet iurisdictionem temporalem.notaui in c. fin.ne cler. vel mon.in 6.

Cap. 11. Inter dilectos.

COLLATIO beneficij facta indigno occultè, cassari debet, & conferens secundo ante cassationem primæ collationis, priuari debet ea vice potestate conferendi.

QVIA personis vilibus, & indignis portæ dignitatũ patere non debent.vt in tex.& l.neque famosis.C.de dignit.lib.12.Sed quoniam quando indignitas est occulta ita, vt per conferentem illa verisimiliter nesciretur, ipse conferens non est priuatus ipso facto potestate conferendi, nec illa collatio est reputanda nulla, antequam de eius inualiditate appareat, & inualida pronuncietur. Abb. hic. Et vbi prima collatio habetur valida, licet veniat irritanda, antequam irritetur, non potest dici beneficium vacare, vt interim possit alteri conferri. c.considerauimus. de elect. licet secus sit, vbi collatio est notoriè inualida. c. cum in cunctis. d.tit.de elect. Et dignum est, vt quis puniatur in eo, in quo visus est deliquisse. vt in tex.& c.litteras. de temp.ord. Ideo in hoc casu collatio facta primo cassari debet propter indignitatem personæ; sed secunda non est valida, ex quo est facta, prima non cassata; Collator autem non punitur pro prima collatione, ex quo indignitas erat occulta, sed punitur propter secundam, in qua notatur eius inconstantia, cum ad ipsam deuenerit, prima non cassata. vt in tex.& Host.hic.

Cap. 12. Accedentibus.

COGNOSCERE de causa matrimoniali, item pœnitentias publicas, & indulgentias concedere, spectat ad dignitatem Episcopalem; vnde inferior Prælatus de his se intromittere non debet, nisi ei competat de iure speciali.

QVIA Episcopi tenent in Ecclesia locum Apostolorum.c.quorum dist.68. & ad eos spectat cura totius diœcesis. c. 1. de offic. ord. Et quoniam maiores causæ in signum prærogatiuæ specialis,regulariter maioribus dignitatibus debent esse reseruatæ.c. inter.de transl. episc. & istæ hic enumeratæ sunt causæ, quæ inter maiores computantur. c. quamuis. dist.68. quæ tamen cum non sint ordinis Episcopalis, sed dignitatis, & iurisdictionis, possunt ex præscriptione, vel alio iure speciali, competere etiam alteri personæ ecclesiasticæ Episcopo inferiori. c. cum olim. de præscr.

præscr. Ideo accedentibus ad Summum Pontificē de diuersis mundi partibus Episcoporum querelis, intellexit graues, & grandes quorundam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendebant, de causis matrimonialibus cognoscendo, iniungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præsumendo, vnde contingebat interdum, quod vilescebat Episcopalis auctoritas apud multos; volens igitur Summus Pontifex in his, & Episcoporum dignitati, & Abbatum prouidere saluti, præsenti decreto firmiter prohibet, ne quis abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum euitare, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super huiusmodi valeat se tueri. vt in tex. & c. cum venerabilis. de except. & ad hæc vide S.Thom.par.3.q.26.art.1.& q.28.art.1.in addit.& Conc.Trid.sess.24. de sacram. matr.can.12.

Cap.13. Dilectus.

AD reuelandum peccatorem, siue peccatum, in pœnitentia confessum, sacerdos compelli non potest.

QVIA sigillum secreti confessionis, est de iure diuino. Sotus lib. 4. sent.dist.18.q.4.art.5.& 6. Et illud, quod sacerdos scit in confessione, non scit vt homo, sed vt Deus. c.si sacerdos.de offic.ord.& S.Thom.in 4.sent.dist.21.q.3. art.1. Et perniciosum esset, vt confessio reuelaretur. vt in tex. nam alij à confessione peccatorum retraherentur. Host. hic. Et quoniam oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Act.Apost.cap. 5.& inferior superiorem soluere nequit, vel ligare. c.cum inferior.de maior.& obed.& nihil cum scandalo est faciendum. c.ad aures. de temp.ord. Ideo sacerdos non potest compelli, etiam per iudicem ecclesiasticum, ad reuelandum peccatorem in pœnitentia sibi confessum, quinimo nec etiam peccatum. vt in tex.& c.omnis. de pœnit.& remiss.

Cap. 14. Dilecta.

PRIVATI homines regulariter nequeunt constituere collegium, & habere signa collegij, nisi eis aliter concedatur.

QVIA omne collegium est improbatum, nisi appareat specialiter approbatum.l.1.ff.quod cuiusque vniu. nom. improbatur autē, ne homines faciāt ista conuenticula,& cōgregationes, quia ex eis timetur conspiratio, seu coniuratio cōtra principē, seu ciuitatē.l.1. ff.de colleg.illic. Et quoniā salus principis,& quies populorum sunt maximè attendendæ.l.1. §.quies.ff.de off.præfect.vrb.Ideo nō possunt particulares ex se nouū constituere collegium, nec vti aliquo sigillo sub nomine collegij, nisi eis appareat specialiter cōcessū.vt in tex.& l.3.ff.de coll.illic. An autē liceat sumere arma, vel cognomē alterius? Dic, quod si alteri per id infertur præiudiciū, quis potest prohiberi, aliàs nō. Burr.hic. & Bart.in tract.de insig.& armis.

Cap.

Cap. 15. Grauem.

QVI contra iuramentum negat Prælatum dominum suum, vel coram iudice sæculari de ipso conqueritur, vel ipsum inuadit, deponi debet.

QVIA periurium, & violatio fidelitatis, & debitæ reuerentiæ erga superiorem, sunt grauia delicta. c. ego N. de iureiur. Et quoniam morbida facta pecus abscindenda est ab ouili, ne totum gregem corrumpat. c. ea, quæ. de stat. mon. Ideo qui contra suum iuramentum, vel fidelitatem, & reuerentiam debitam proprio Prælato, taliter delinquit, tanquam membrum putridum est ab Ecclesia illa perpetuò abscindendus, & suis beneficijs priuandus. vt in tex. & c. de forma. 22. q. 5.

Cap. 16. Nimis iniqua.

PONIT quindecim grauamina illata religiosis, à quibus præcipit Prælatos abstinere.

QVIA cum religiosi viri, abnegantes salubriter semetipsos, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquã nihil habentes, & omnia possidentes, eis sunt fauores, non grauamina, præsertim à Prælatis, & alijs Ecclesiasticis impartienda. vt in tex. & c. 1. de stat. mon. Sed quoniam non deerant plerique tam Ecclesiarum Prælati, quàm alij, qui cœca cupiditate seducti, propriæ auiditati subtrahi reputantes, quicquid prædictis fidelium pietas elargiebatur, quietem ipsorum multipliciter inquietabant. Volebant namque contra regulam à sede Apostolica approbatam, & sui ordinis instituta, ipsis inuitis, eorũ confessiones audire, ac eis iniungere pœnitentias, & eucharistiam exhibere; nec volebant, vt corpus Christi in eorum oratorijs reseruaretur, & fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas compellebant sepeliri, & eorum exequias celebrari; & si quis decedentium fratrum, alibi, quam in suis Ecclesijs eligeret sepulturam, funus primò ad Ecclesias suas deferri cogebant, vt oblatio suis vsibus cederet. Nec sustinentes eos habere campanam, vel cœmiterium benedictum, certis tantum temporibus permittebant ipsos celebrare diuina. Volebant quoque in domibus eorum certum numerum fratrum, sacerdotum, clericorum, & laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando nouiter apponebantur, exigebant ab eisdem. Nec permittebant, quod noui sacerdotes eorum alibi, quàm in Ecclesijs suis celebrarent primas missas, eos nihilominus compellentes, vt in quotidianis missis (quas in suis locis, & altaribus celebrabant) oblationes ad opus eorum reciperent, & reseruarent; quicquid etiam eis dum celebrabant missarum solemnia intra domorum suarum ambitum, pia fidelium deuotione donabatur, ab ipsis extorquere oblationis no-

nomine contendentes, quod eisdem tam in ornamentis altaris, quàm in libris ecclesiasticis absolutè conferebatur, vendicabant perperam iuri suo. vt in tex. Ideo summus Pontifex mandat, quatenus vniuersi, & singuli à prænotatis grauaminibus desistant, subditos suos ab huiusmodi arctius compescendo. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 17. Nimis praua.

PONIT duodecim grauamina Prædicatorum, & Minorum, à quibus præcipit Prælatos abstinere.

QVIA cum quidam viri religiosi, vt puta, fratres prædicatores, & minores (quorum ordinem, & regulam sedes Apostolica noscitur approbasse) in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur, eis maximè est fauendum. supr. c. prox. Sed quoniam plerique Prælati, & alii eos ad synodos suas cogebant accedere, ac suis constitutionibus subiacere; nec his contenti, capitula, & scrutinia in locis fratrum, pro his corrigendis facturos se comminabantur, fidelitatem iuramento firmatam ab eorum ministris, & custodibus exigentes; eis quoque, vt tam extra ciuitates, quàm intra, cum eis processionaliter venirent, ex leui causa mandantes, excommunicationis sententiam fulminabant in benefactores ipsorum, & id ipsum fratribus comminantes, eos de locis, in quibus Domino famulabantur, satagebant amouere, nisi eis obedirent in omnibus supradictis. Ad hoc, ne fratres ad honorabiliores ciuitates, & villas, vbi religiosè, ac honestè valerent commorari, à populis deuotè vocati, accedere auderent, inhibentes, tam in accedentes fratres, quàm in receptatores eorum, præsumebant excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis fratrum (sicut de Iudæorum domibus) contendebant reditus extorquere, asserendo, quod nisi fratres morarentur ibidem, ab alijs habitatoribus prouentus aliqui soluerentur; & vt ipsos suæ subderent totaliter ditioni, eisdem ministros, & custodes volebant præficere, pro suæ arbitrio voluntatis. vt in tex. Ideo cum priuilegia à sede Apostolica his religiosis cōcessa, eos ab istis oneribus reddant exemptos, summus Pontifex mandat, quatenus vniuersi, & singuli Prælati à prænotatis grauaminibus desistant, subditos suos ab huiusmodi arctius compescendo. vt in tex. & supr. c. prox. Hodie autem, qui religiosi sint vocandi ad synodum, vide Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 2. & qui teneantur accedere ad publicas processiones, vide idem Conc. sess. 25. de regular. cap. 13.

Cap. 18. Tanta.

NON seruans interdictum, suspensus est ab officio, & beneficio, & omni iurisdictione.

QVIA qui violat interdictum, videtur contemnere Petri claues, & lædere Ecclesiasticam potestatem. c. postulastis. de cler. excom. Et quo-

quoniam talis grauiter delinquit. c. si quis Episcopus. 11. q. 3. & vbi magis exceditur, ibi est seuerius vindicandum. c. excommunicatus. de hæret. Et si huiusmodi delinquentes effugerent seueritatem canonicæ vltionis, timendum esset, ne facti peruersitas transiret præsumptoribus in exemplum. c. quapropter. 2. q. 7. Ideo qui non seruat interdictum, in eius pœnam suspenditur ab officio, & beneficio, ac omni iurisdictione. vt in tex. & c. clerici. de cler. excom. vnde si talis celebrat irregularitatem incurrit, à qua non potest absolui, nisi per Papam. c. 1. de re iud. in 6.

In Sexto. Cap. vnic. Cum ex eo.

MENDICANTES non possunt acquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare, absque speciali licentia Papæ, qua de hac prohibitione faciat mentionem.

QVIA ex eo, quòd prædicatores, minores, & religiosi alij mendicantes, in ciuitatibus, castris, villis, aut alijs locis, ad habitandum, domos, vel loca de nouo suscipiebant, seu olim suscepta dimittebant, se inde ad alia transferentes; diuersa scandala quandoque proueniebant, & frequentes clamores ad sedem Apostolicam perferebantur. vt in tex. & extr. c. nimis. Et quoniam propter scandalum euitandum, multa sunt dimittenda. c. 2. de cler. ægrot. dicente Domino: Væ homini illi, per quem scandalum venit. Matth. cap. 18. quod intelligitur, vt in c. 2. extr. de nou. oper. nunt. & pacis bonum est maximè diligendum. c. 2. de desp. impub. Ideo summus Pontifex volens super hoc prouidere, hoc perpetuo prohibet edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis, quibuscunque super hoc priuilegijs muniti existant (quæ ipsis contra tenorem constitutionis præsentis, nullatenus ipse summus Pontifex vult suffragari) in aliqua ciuitate, castro, villa, seu loco quocunque, ad habitandum, domos, vel loca quæcunque de nouo recipere, seu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cuiuscuis alienationis titulo quocunq; in alios transferre præsumat, absque sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam, & expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem; si secus egerint, irritum decernens. vt in tex. & Clem. cupientes. de pœnis, quæ contra tales transgressores imponit etiam pœnam excommunicationis, ipso facto incurrendam.

IN acquirentibus tamen loca pro eremitica vita ducenda, cessat prohibitio.

QVIA in talibus non est timendum de illo scandalo, & clamore, quæ in alijs religiosis mendicantibus imminebant. vt in tex. Et quoniam cessante causa, cessat effectus. c. cum cessante. extr. de appell.

Et

Et qui verè, pureque folitariam eligunt vitam, digni funt conuenienti honore.c.qui verè. 16.q.1. Ideo per hoc'eis, qui vitam duxerint eremiticam, feu folitariam eligendam,de maiorum fuorum licentia (quin cellas,manfiones, feu habitacula in eremo, fiue locis,vbi non fit hominum habitatio de propinquo, pofsint acquirere,ac mutare) fummus Pontifex non intelligit effe interdictum. vt in tex. & d. Clem.cupientes.

In Clement. Cap. vnic. Frequens.

PROVIDERAT Greg. IX. contra viginti feptem grauamina, quæ Prælati religiofis inferebant.vt extr.c.nimis.1.& 2. Hoc verò Cōcilium prouidet contra triginta,à quibus Prælatos ceffare præcipit, & per fuos fubditos ceffari facere,iubens ipforum priuilegia,& iura feruari.

QVIA frequens, & afsidua fummum Pontificem Clementem V. quorundam religioforum querela circunftrepebat, quòd plerique Epifcopi,& eorum fuperiores,ac cæteri Ecclefiarum Prælati, ipforum religioforum quietem iniuftè in fubfequentibus triginta cafibus hic enumeratis, multipliciter inquietabant, videlicet,& c.vt in tex.Et quoniam vna eft regularium,& fæcularium Prælatorum, & fubditorum,exemptorum,& non exemptorum,vniuerfalis Ecclefia,extra quam nullus omnino faluatur. c. 1. extr. de fum. Trinit. quorum omnium vnus eft Dominus,vna fides, & vnum baptifma. Apoft.ad Ephef.cap.4.decet,vt omnes, qui eiufdem funt corporis,vnius etiam fint voluntatis,& ficut fratres adinuicem vinculo charitatis fint adftricti. vt in tex.& c.Ecclefia.de confecr.dift. 1.Ideo cum deceat,vt & Prælati,& alij,tam exempti,quàm non exempti,fuis iuribus fint contenti.c.nullus.9.q.2.& alter in alterius iniuriam non profileat, vel iacturam. c. 1. extr. de fepult. fummus Pontifex Clemens V. in Concilio Viennenfi, vniuerfis Prælatis Ecclefiarum,præfentis fanctionis edicto, diftrictè præcipiendo, mandat, quatenus ipfi à prædictis grauaminibus omnino ceffantes,& ceffare fuos fubditos faciētes,viros religiofos, exemptos, priuilegiatos, & non exemptos,mendicantes, & non mendicantes,charitatiuè tractent, & foueant,& fua iura, & priuilegia inuiolabiliter eis feruent.Et quoniam plus folet timeri, quod fpecialiter, quàm quod generaliter inhibetur, eifdem Prælatis diftrictifsimè inhibet,vt Abbates,Priores,& alios religiofos,ne ad fua generalia, vel prouincialia vadant capitula, impedire quomodolibet non præfumant.vt in tex.& c.ficut il 2.23.q.4.

DE NOVI OPERIS nuntiatione.

In Decretal. Cap. 1. Intelleximus. & Cap. 2. Cum ex iniuncto.

ETIAM Ecclesia ædificata post nuntiationem noui operis, destruenda est expensis construentis.

QVIA ficut leges non dedignantur sacros canones imitari. Authent. vt cler. apud propr. Episc. coll. 6. & Auth. de eccl. tit. coll. 9. ita & sacrorum canonum statuta principum constitutionibus adiuuantur. vt in tex. & c. historia. 13. q. 2. vnde causa ecclesiæ potest decidi per ius ciuile in defectum canonum; cum leges principum non contradicentes canonibus, sint per ecclesiam approbatæ. vt in tex. & c. lege. dist. 10. Et quoniam post denuntiationem noui operis, siue iure, siue iniuria aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri. l. prætor. §. ait prætor. ff. de nou. oper. nunt. Ideo cum in hoc non reperiatur contrarium statutum per canones, sed potius conforme definitur, eodem modo est in hoc terminandum in foro ecclesiastico, ac in sæculari. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 3. Significantibus. & Cap. 4. Is, cui.

IN optione est nuntiantis nouum opus, an intra tres menses de præiudicio suo debeat ostendere, & interim cessetur ab opere; an verò recepta cautione de opere demoliendo, statim ædificare permittat.

QVIA huiusmodi prouisio est vtilis & ei, cui facta est denuntiatio, & denuntianti; nam sæpe aliquis credens ius ædificandi habere, errando ædificat; vnde si posset ædificare, oblata cautione, posset perdere expensas factas in ædificando, & faciendas in destruendo, & sic vtilius sibi est expectare denuntiantem per tres menses, nam si probauerit de iure suo, vterque conseruatur indemnis; & hæc prouisio vtilis est etiam denuntianti; nam si ius ædificandi illi non competeret, tunc posset interim isti præiudicium magnum generare in ædificio, pone, quòd ædificium ante portam domus est, vel in alio loco isti præiudiciali. Io. Andr. hic. Et quoniam melius est ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam, remedium quærere. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est

eft nec. Et mora modici temporis non præfumitur facere præiudicium. l. fi debitori.ff.de iudic. Ideo oblatio cautionis de opere deftruendo, non dat facultatem procedendi in ædificio, nifi vel confentiente denuntiatore, vel poft lapfum trium menfium à tempore denuntiationis; non enim vltra expectare tenetur cum graui præiudicio fuo. vt in tex. & l. vnic.C. de nou. oper.nunt.

Liber Quintus. Titulus XXXIII.

DE PRIVILEGIIS, ET excefsibus priuilegiatorum.

In Decretal. Cap. 1. Epifcopalia.

EPISCOPALIS dignitas non debet tribui, nifi locis infignibus, & populofis.

QVIA Ἐπίσκοπος dicitur fuperintendens, eo, quod in excelfiori gradu collocatus, fit cæteris alicuius diœcefis præpofitus, ad habendam curam falutis animarum illorum. c.legimus.dift.93. funtque Epifcopi Apoftolorum fucceffores.quorum.dift.68.& pofiti, ficut Apoftolus ait, à Spiritu fancto, regere ecclefiam Dei. Actor. cap.20. Et quoniam omne, quod rarum eft, plus appetitur,& honoratur.d.c.legimus; multitudo verò numerofa parit contemptum. Auth. de referend. coll. 2. Ideo Epifcopalia gubernacula, non nifi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus præfidere oportet, ne honor, cui debent excellentiora committi, fui numerofitate vilefcat. vt in tex. & c. Epifcopi.dift. 80. ficut & ad Epifcopatum is eft affumendus, quem ætatis maturitas, morum grauitas, & literarum fcientia, maximè commendant. c.cum in cunctis. de elect. & Conc.Trid.feff.24.de refor. cap. 1. Dum hæc fcriberem, die 2. Decembris 1615. Sanctifsimus D.N. Paulus V. creauit decem nobilifsimos Cardinales; & inter eos D. Tiberium Mutium Romanum, Epifcopum Viterbienfem, quem ob eius præclara merita, multis ab hinc annis, fingulari obferuantia profequor.

Cap. 2. Sicut in iudicijs.

NON obftante priuilegio fori, poteft laicus ecclefiæ malefactor, per ecclefiam puniri.

QVIA licet generale fit, vt actor forum rei fequatur.c. fi clericos. de for. comp. & l.iuris ordinem. C.de iurifd.omn.iud.Tamen quo-

niam sæculares iudices in exhibenda iustitia personis ecclesiasticis, sæpe in iudicio sunt remissi.c.administratores.23.q.5.& ad euitandum peccatum,iudex ecclesiasticus habet actualem iurisdictionem contra quoscunque. c.nouit.de iudic. Ideo sicut in iudicijs, laicorum priuilegia summus Pontifex non vult turbare; ita eis præiudicantibus ecclesiæ,moderata vult auctoritate resistere. Violentos itaque laicos coercere, non contra legem est agere; sed legi facere subsidium. vt in tex.& c.cum sit. de for. comp. Præterea malefactor ecclesiæ,dicitur sacrilegus.l.si quis.C. de Episc. & cler. Et quoniam sacrilegium est delictum mixti fori, vt laicus in hoc delinquens, possit tam coram ecclesiastico,quàm coram sæculari iudice conueniri.d.c.cū sit.Ideo datur locus præuentioni,vt vel à iudice ecclesiastico, vel à sæculari, laicus malefactor ecclesiæ puniatur. vt in tex.& c.conquestus.de for.comp.

Cap.3. Cum & plantare.

RELIGIOSI, etiam exempti,ecclesias, & decimas non debent à laicis recipere, sine consensu diœcesanorum.

QVIA laicis, quantumcunque religiosis, disponendi de rebus ecclesiæ,nulla est attributa potestas.c.fin.de reb.eccl.non ali.Et quoniā pro non dato habetur,quod ab illo datur,qui nō potest de iure donare.c.quod autem.de iurepatr.Et cum plantare sacrā religionē,& plantatā fouere modis omnibus debeamus,nusquam hoc melius exequimur, quā si nutrire ea,quæ recta sunt, & corrigere, quæ profectū virtutis impediunt, diligenter studeamus.vt in tex. Ideo ecclesias,& decimas de manu laicorū,sine cōsensu Episcoporū, recipere religiosi quicūq; prohibentur.vt in tex.& c.cum Apostolica.de his, quæ fi.à præl.Possunt tamen postea illas retinere,si legitimè præscripserint. vt in c.cura.de iurepatr.

§. Excommunicatos.

EXCOMMVNICATI, & interdicti, omnino non debent admitti ad diuina,etiam per religiosos exemptos.

QVIA excōmunicatus,vel interdictus in vna ecclesia, est excōmunicatus,vel interdictus in qualibet alia ecclesia.c.curæ. 11.q.3.Et quoniā nemo debet ecclesiastica iura dissoluere.c.si quis presbyter.7.q.1.Et priuilegiū omnino meretur amittere,qui permissa sibi abutitur potestate.c.priuilegium. 11.q.3. Ideo excommunicati, & nominatim interdicti, ab omnibus, quantumcunque priuilegiatis,iuxta Episcoporum sententiam sunt euitandi.vt in tex.& c.nulli.de sent.excom.

§. In Ecclesijs.

RELIGIOSI etiam exempti,in ecclesijs non pertinentibus ad eos pleno iure, non instituunt, nec destituunt, inconsultis Episcopis; sed rationem exigunt in temporalibus ab institutis.

QVIA

QVIA institutio, vel destitutio ad beneficia, spectat de iure communi ad Episcopũ diocœsanũ.c.ex frequentibus.de instit.& c.vnic.de capell.mon.in 6.requirere verò ratione de administratione temporalium, spectat etiã ad eos, quorũ vsui in temporalibus, illa ecclesia est deputata.infr.c.pastoralis. Salua tamen portione congrua, quæ est vicario perpetuo assignanda, consuetudine, vel priuilegio contrario non obstante.c.extirpandæ.de presb. Et quoniã priuilegiorũ metas transgredi non licet. infr.c. porrò. Ideo religiosi in ecclesijs suis, quæ ad eos pleno iure non pertinẽt, instituẽdos presbyteros Episcopis repræsentẽt, vt eis de plebis cura respondeant. Ipsis verò pro rebus tẽporalibus rationẽ exhibeãt cõpetentẽ. Institutos etiã, inconsultis Episcopis, non audeant remouere. vt in tex.& c. visis. 16.q.2. Ecclesia verò, quæ pleno iure alicui conceditur, eripitur à potestate Episcopi, & eius loco ille succedit. infr.c.quoniam.

§. Quòd si templarij.

HOSPITALARII, & templarij, semel in anno celebrant in ecclesia posita in loco interdicto, ibi tamen non sepeliuntur corpora mortuorum.

QVIA priuilegium in sua forma tantum seruari debet, & non vltra extendi. infr.c.porrò. Et quoniam tales religiosi sunt priuilegiati, vt præter cæteros, semel in anno in eorum ecclesia posita in loco interterdicto, celebrent, non autem exprimitur, quod mortuos possint ibi sepelire, nisi fuerint fratres eorum, qui non sint excommunicati, vel nominatim interdicti.infr.c.vt priuilegia. Ideo si templarij, vel hospitalarij, ad ecclesiam venerint interdictam, non nisi semel in anno, ad ecclesiasticum officiũ admittãtur, nec tunc ibi sepeliãtur corpora defunctorũ. vt in tex. & c. in Lateranensi.de præb. Hodie autem, quando possit celebrari in ecclesia sita in loco interdicto, vide c.fin.de sent.excom.in 6.

§. De confratribus.

CONFRATRES exemptorum, seu ipsorum oblati, qui in totum non se transtulerunt, iudicari possunt ab ordinarijs locorum.

QVIA isti per confraternitatem talem, non sunt conuersi illorũ, nec oblati, licet aliquam remissionem consequantur. infr. c. vt priuilegia. Et quoniã priuilegii tenor est diligenter attendendus. infr.c.recepimus. Ideo de confratribus hoc constituitur, vt si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in proprietatibus suis omnino duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum suorum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem suam in eos, sicut in alios parochianos suos exerceant, cum pro suis fuerint excessibus corrigendi. Quòd autem de prædictis fratribus dictũ est, ab alijs quoq; religiosis, qui præsumptione sua Episcoporũ percipiunt iura, & contra canonicas eorũ sententias, &

tenorẽ priuilegiorũ Apostolorũ venire præsumunt, præcipitur obseruari. Si autem cõtra institutũ hoc venerint; & ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto, & quod egerint, irritũ habeatur. vt in tex. & infr. c. tuarum. Et nouissimè, quando Episcopi possint punire religiosos vide Conc. Trid. sess. 6. de refor. cap. 3. & sess. 25. de regular. cap. 14.

Cap. 4. Dilecti.

SVIS priuilegijs priuandus est, qui alienis derogat.

QVIA ecclesiasticus ordo confunditur, si cuilibet ius suum non seruatur. c. peruenit. 11. q. 1. Et quoniam quod quisq; iuris in alterum statuit, eodem iure ipse vti debet. c. cum omnes. de constit. & l. 1. ff. quod quisq; iur. Ideo Prælati tenentur administrare iustitiam plenam priuilegiatis, secundum tenorem priuilegiorum ipsorum, aliàs puniri debent, & priuari eorum priuilegiis. vt in tex. & c. sic decet. 25. q. 2.

Cap. 5. Ad hæc.

ETIAM priuilegiati non possunt admittere excommunicatos ad sepulturam; & si admiserint, debent inde eos eijcere, & si non fecerint; Episcopus supplebit.

QVIA sacris est canonibus institutũ, vt quibus non cõmunicamus viuis, non cõmunicemus defunctis. 24. q. 1. c. 1. Et vt careãt ecclesiastica sepultura, qui prius ab ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis, ecclesiæ reconciliati fuerint. c. sacris. de sepult. Et quoniã in vna ecclesia excõmunicatus, est excommunicatus & in qualibet alia. c. curæ. 11. q. 3. Ideo etiã si exempti sepelierint in ecclesia, vel cœmiterio, excommunicatũ, si eius ossa possunt ab ossibus fideliũ discerni, debent inde exhumari, & eijci; & si ipsi religiosi sint in hoc faciendo negligentes, debet Episcopus id exequi. vt in tex. & Clem. 1. de sepult.

Cap. 6. Si de terra.

CONTRA priuilegium ecclesiæ præscribitur spatio triginta annorum; hodie verò quadraginta. vt infr. eod. c. accedentibus.

QVIA vna, & eadem substantia non debet diuerso iure censeri. infr. c. quia circa. Et quoniam in rebus, quæ ecclesia secundum ius commune possidet, non præscribitur contra eam minori spatio, quàm quadraginta annorũ. c. illud. de præscr. Ideo similiter nõ præscribitur minori spatio contra priuilegia indulta ecclesijs. vt in tex. & infr. c. accedẽtibus.

Cap. 7. Porrò.

DE priuilegijs non est iudicandum, nisi eorum tenore inspecto, & secundum continentiam eorum, ab omnibus sunt seruanda.

QVIA fines mandati diligenter sunt seruandi. c. cum dilecta. de rescr. Et quoniam, nisi tenor priuilegij diligenter inspiceretur, posset in-

eo faciliter aliqua falsitas inesse, quæ non bene ex sola eius recitatione comprehenderetur.c.cum personæ.infr.in 6.Ideo alleganti priuilegium, non creditur, nisi illud ostendat, & secundum continentiam eius, ita est seruandum.vt in tex.& infr.c.prox.

Cap.8. Recepimus.

PER solutionem census, qua fit Romana Ecclesia, non probatur exemptio à iurisdictione Episcoporum.

QVIA non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse.c.tuæ.de sponsal. & l. neque natales. C. de probat. Et quoniam talis solutio census potest fieri Romanæ Ecclesiæ, absque eo, quod soluens à iurisdictione Episcopi ordinarij eximatur. c. cum instantia.de censib.& exemptio solet competere, etiam sine solutione census. vt in tex. Ideo sicut non omnes, qui specialiter beati Petri iuris existunt, annuatim Apostolicæ sedi censum exoluunt; ita non omnes censuales, ab Episcoporum subiectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo Ecclesiarum priuilegia, & ipsorum tenor est diligenter attendendus, vt si fuerit deprehensum, quod Ecclesia, quæ censum soluit, specialiter beati Petri iuris existat, & ad indicium perceptæ libertatis census annuus conferatur, nō immeritò poterit speciali prærogatiua gaudere. Si verò ad indicium perceptæ protectionis, census persoluitur, non ex hoc iuri diœcesani Episcopi, aliquid videtur esse subtractum.vt in tex.& infr.c.ex parte, il 2.

Cap.9. Sane.

PRIVILEGIVM vni concessum, non potest ad alium extendi, propter identitatem rationis.

QVIA priuilegia sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges; nam priuilegium dictum est, eo quod in priuato feratur.c. priuilegia. dist. 3. Et quoniā legibus generalibus, non autē exemplis, est de vno ad alium, iudicandum.c.1. de constit.& c.non exemplo.26.q.2. Ideo temerariū est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui (certa ratione inspecta) singularibus voluit beneficijs indulgere.vt in tex.& l.1.ff.de constit.princ.

Cap.10. Patentibus.

IN oratorijs priuatis campanæ publicè teneri non possunt, etiam per religiosos.

QVIA habere campanam publicè in loco, & pulsare publicè, est signum loci publici, & sacrati.Abb.hic. Et quoniam oratoria priuata non sunt loca publica. c. vnicuique.de consecr. dist. 1. Ideo religiosis, vel alijs oratoria in domibus suis habentibus, campanas in eis ponere, publicèque pulsare non licet. vt in tex. & c. fin. de censib. Campanellas autem, quæ non publicè pulsantur, sed pro eorum priuato commodo in-

seruiant, bene possunt in oratorijs etiam priuatis, & in refectorijs habere. c. vnic. in extrauag. com. de offic. cust. vbi etiam habetur, quando in eorum ecclesijs religiosi possint plures campanas publicè adhibere. & not. in c. nimis iniqua. de excess. prael.

Cap. 11. Tuarum.

IN tota prouincia exhortationis officio priuantur hospitalarij, qui mittũt pro eleemosynis cruce falsò signatos; & si missi sunt laici, excommunicantur; si sunt clerici, ab officio, & beneficio suspenduntur; & eadem suspensione puniuntur, qui ante reconciliationem in polluta Ecclesia celebrant; & suspensi per Episcopos exemptos absolui non possunt; & fratres priuilegiatorum, qui ad eos se omnino non transferunt, priuilegiati non sunt.

QVIA priuilegium amittere meretur, qui permissa sibi abutitur potestate. vt in tex. & c. priuilegiũ. 11. q. 3. & curandũ est, vt qui in culpa est stultus, in pœna fiat sapiens. c. qui ea. dist. 38. Et quoniã huiusmodi religiosi, & ab eis dependentes, in his casibus grauiter delinquebant. vt in tex. Ideo contra eos tales pœnæ infliguntur. vt in tex. & supr. c. cum & plantare, in fin. Et quando Episcopi possint religiosos punire, vide Conc. Trid. sess. 6. de refor. cap. 3. & sess. 25. de regular. cap. 14.

Cap. 12. Cum olim, il 1.

CONTENTA in instrumento perdito, probari possunt per testes, qui illud perlegerunt, si deponunt de tenore, & quod erat sine vitio.

QVIA in iudicio parem vim obtinent testes, & instrumenta. c. cum Ioannes. de fid. instr. & l. in exercendis. C. eod. Et quoniam per depositionem, quàm testes faciunt de auctoritate instrumenti deperditi, remouetur suspicio, quæ posset adesse, vt diceretur deperditum ad celandam falsitatem illius. l. testium. C. de testib. Ideo licet scriptura sit de substantia gratiæ Apostolicæ, quia non potest probari, nisi per scripturam, secundum regulam curiæ; tamen si scriptura, quæ interuenit, perdita est, potest probari per testes, qui scripturam viderunt, & de eius realitate deponunt. vt in tex. & l. fin. C. de fid. instr. Quandoque etiam sufficit probare tantum amissionem instrumenti, licet alia ratio non probetur. l. si de possessione. C. de probat. sed hoc est in odium illius, qui fuit instrumentum furatus. vt in d. l. aliàs non sufficit probare solam amissionem. vt hic. & d. l. testium. Perditio autem instrumenti potest probari per iuramentum perdentis. glos. hic. intellige tamen, quod requiruntur aliquæ coniecturæ de perditione, & sic iudex adhibebit aliquam causæ cognitionem. Innoc. hic.

IN-

Cap. 13. Ex parte il 1.

INNOVATIO priuilegiorum nouum ius non tribuit, sed antiquum conseruat.

QVIA actus agentium non operantur vltra intentionem eorum: l.non omnis.ff.si cert.pet. Et quoniam innouatio priuilegij ad hoc solum fit, vt salua sit rerum probatio, ne vel per vetustatem originale ita consumatur, quod eius sensus non percipiatur, vel si aliquò sit mittendum, ne per viarum discrimina amittatur, aut per aliud verisimile accidens periclitetur. c. cum dilecta. de confir. vtil. sicut propter similes respectus, etiam lite non contestata, testes recipiuntur, & examinantur. c. quoniam. vt lit.non cont.Ideo satis est, quod huiusmodi innouatio antiquum ius priuilegij, si quod inerat, conseruet; non autem operatur, vt per ipsam nouum ius acquiratur. vt in tex. & infr. c. quia intentionis. Nunquid autem in renouatione priuilegii, sit necessaria citatio aduersarij? Dic, quod quando innouatio priuilegij fit per eum, qui potest de nouo illud concedere, non est necesse citare aliquem ad contradicendum ipsi innouationi, nisi velit hoc facere ad cautelam; Abb.hic.secus autem si innouatio fit per inferiorem, nam tunc non valet transumptio, seu innouatio, nisi citata parte, seu præmisso edicto generali. vt not.in c.significauit.de testib.& c.fin.de fid.instr.

Cap.14. Cum olim, il 2.

ECCLESIA vtens duplici priuilegio exemptionis, licet succumbat ex vno, potest nihilominus ex alio se iuuare, & obtinere.

QVIA nullus pluribus vti defensionibus prohibetur. c. nullus. de reg.iur.in 6. Et quoniam Ecclesia non debet esse deterioris conditionis, quã sint reliqui, sed potius debet esse melioris. c. 1. de in integr.restit. Ideo si Ecclesia succumbit ex vno priuilegio, non impeditur se tueri ex alio. vt in tex.& c.auditis.de præscr.

NEC tenetur exemptus promittere obedientiam diœcesano.

QVIA exempti minus subsunt Episcopo, quàm reliqui de diœcesi. c.constitutus.de relig.dom. Et quoniam non omnes de diœcesi promittũt specialiter obedientiam Episcopo. c. legebatur. de maior.& obed. Ideo minus tenentur ad illam ei promittendam exempti. vt in tex.& c. nullus.de iureiur.

VIGORE tamen exemptionis, non potest sine licentia diœcesani, Ecclesiam construere in loco non exempto; & si exemptus de facto, in loco non exempto construit Ecclesiam, cedit iuri Episcopi.

QVIA priuilegium in sua forma tantum seruari debet, & non vltra extendi. supr. c. porrò. Et quoniam de iure communi omnes basili-

cæ, quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, in Episcopi potestate consistunt, in cuius territorio positæ sunt. c. omnes. 16. q. 7. Ideo si exemptus construit sine licentia Episcopi ecclesiam in loco non exempto, illa non gaudet priuilegio exemptionis; sed subijcitur ipsi Episcopo sicut reliquæ ecclesiæ de diœcesi non exemptæ. vt in tex. & c. cum venerabilis. de relig. dom.

Cap. 15. Accedentibus.

CONTRA priuilegia ecclesiæ, minori spatio quadraginta annorum non præscribitur.

QVIA vna, & eadem res non debet diuerso iure censeri. infr. c. quia circa. Et quoniam in rebus, quæ secundum ius commune ab ecclesia possidentur, non currit contra eam minor præscriptio, quàm quadraginta annorum. c. illud. de præscr. & c. volumus. 16. q. 4. Ideo similiter est dicendum in rebus, quæ per priuilegium ab ecclesia possidentur. vt in tex. & supr. c. si de terra. Ad probandam autem præscriptionem, sufficit probare, quod à principio possedit, & in fine, & quandoque in medio. glos. in d. c. volumus. & Bart. in l. Celsus. ff. de vsucap.

Cap. 16. Cum capella.

EXEMPTVS ratione certæ rei, vel certi loci, non censentur exemptus respectu alterius rei, vel loci.

QVIA priuilegium exemptionis, tanquam præiudicans iuri ordinarij, est strictè intelligendum. vt not. in c. cum dilecti. de donat. & c. ordinarij. de offic. ord. in 6. Et quoniam in stricta interpretatione, ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo priuilegium concessum personis respectu certæ rei, non extenditur ad alias res, vt huiusmodi priuilegium sit potius reale, quàm personale. vt in tex. & supr. c. porrò.

Cap. 17. Ex ore.

PER exemptionem concessam monasterio, capellæ sibi subiectæ non censentur exemptæ.

QVIA priuilegium exemptionis est odiosum, tanquam præiudicans iuri ordinarij, & recedens à iure communi. vt not. supr. in c. prox. Et quoniam odia non sunt extendenda. c. odia. de reg. iur. in 6. Et ex ore sedentis in throno procedit gladius bisacutus. Apocal. cap. 1. & cap. 19. nam ex ore Romani Pontificis rectissima debet exire sententia, quæ contra iustitiam nulli parcat, sed reddat vnicuique, quod suum est. vt in tex. Ideo per exemptionem concessam monasterio, non est inferenda exemptio ad capellas subiectas monasterio, quæ de iure communi subsunt Episcopo diœcesano. vt in tex. & c. constitutus. de relig. dom. Sed quæritur, si contingat appellare ab Abbate exempto, ratione membrorum non exemptorum, ad quem debet appellari? nam ratione personæ Abba-

Abbatis debet appellari ad Papam, quia ipse est in loco Episcopi.vt in c.auctoritate.infr.in 6. Si verò considerentur membra, super quibus appellatur, debet appellari ad Episcopum, qui est sibi superior. Dic,quod licet sint opiniones diuersæ; tamen magis communis est, vt appelletur ad Episcopum,quia ratione membrorum tenetur Abbas exemptus exhibere reuerentiam, obsequium, & honorem Episcopo. vt in tex.& ire ad synodum, & eius statuta seruare. c.quod super.de maior.& obed.ergo in hoc Episcopus habet corrigere iniustam sententiam Abbatis, non enim est talis Abbas simpliciter exemptus. Innoc.hic.

Cap. 18. Ex parte,il 2.

RECEPTUS sub protectione Papæ, per hoc non censetur exemptus.

QVIA per receptionem factam sub protectione, non detrahitur in aliquo iuri aliorum. supr. c.recepimus; licet talis receptio operetur,vt aliqua reuerentia plus debeatur illis,quam alijs;& recipiens plus mouetur pro illis, cum iniustè grauantur, quàm pro alijs. glos.in d.c. Et quoniam si talis esset exemptus, præiudicaretur iuri ordinarij. supr. c. prox. Ideo clerici, & laici, qui literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine,cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, per hoc à iurisdictione Episcopi diœcesani non sunt exempti. vt in tex. & c.per tuas. de maior.& obed.

Cap. 19. Pastoralis.

RELIGIOSI, quibus à Papa concessum est, vt ecclesias eis subiectas possint in proprios vsus conuertere, non auctoritate propria,sed à diœcesano loci possessionem illarum ecclesiarum recipere debent,nisi in priuilegio aliud exprimatur.

QVIA per indulgentiam huiusmodi, Episcopali iuri Papa non intendit derogare,nisi hoc exprimat.vt in tex.& c. licet. de offic.ord. Et nemo debet esse iudex in propria causa.c.forus. de verb.sign. Et quoniam si inconsulto proprio Episcopo, possent talem Ecclesiarum possessionem adipisci, iuri Episcopali detraheretur, & ipsi religiosi sibi auctorizare viderentur. c. placuit. 16.q.6. Ideo viris religiosis quibus à sede Apostolica est indultum, vt ecclesias suas in proprios vsus posint conuertere, decedentibus personis earum, non licet auctoritate propria possessionem earundem intrare (nisi forte in indulgentia summi Pontificis id contineatur expressum) sed per diœcesanum Episcopum,in ipsam sunt inducendi.vt in tex.& c.eum,qui.de preb.in 6.

Cap. 20. Petistis.

SI is, propter cuius delictum positum est interdictum, illud non ser-

uat, alij nihilominus seruare tenentur; secus si ille non seruat, in cuius fauorem latum fuit.

QVIA delictum vnius non debet præbere alteri licentiam delinquendi.c.mala.dist.8.non enim minus ardebunt,qui cum multis ardebunt. c. multi. 2.q.1.Sed quoniam frustra legis auxilium inuocat, qui cōmittit in legē.c.quia.de vsur.& quod quis ab alijs exigit,multo fortius debet à seipso. l. si pupilli.§.fin.ff.de negot.gest. alias videretur ridere de aliorum fletu. vt in tex. & c. si verè. de sent.excom. Ideo si propter aliquos delinquentes hospitalarios, vel alios,generale interdictum feratur in aliquam ciuitatem, ipsis illud non seruantibus, nihilominus cæteri illud seruare tenentur,nec debet illorum excessus alijs præbere licentiam excedendi. Sed si ipsi hospitalarij,aut alij,in quorum fauorem illud fuerit latum, priuilegiorū suorum fines excesserint, violando temerè interdictum, quod pro eis fuerat promulgatum,ne videantur de aliorum fletu ridere; summus Pontifex in pœnam præsumptionis eorum, quandiù ipsi violauerint interdictum, licentiam concedit, vt ibi possit,ac si non esset interdictum,celebrari.vt in tex.& infr.c.quod nonnullis.

Cap. 21. Quoniam.

PRIVILEGIVM concessum monasterio, vt eius monachi excommunicari non possint, intelligitur de monachis existentibus in in monasterio, vel in ecclesijs sibi subiectis vtroque iure.

QVIA tale priuilegium partim est reale, partim personale. supr.c. cum capella.Et quoniam priuilegia sunt strictè intelligenda, ne nimium præiudicent iuri communi,& auctoritati ordinariorum. c.ordinarij.de offic. ord.in 6. Ideo priuilegium concessum personæ respectu certi loci, non sequitur personam extra illum locum; vnde si moratur in alio loco,non gaudet illo priuilegio.vt in tex.& c.1.infr.in 6.

Cap. 22. Quia circa.

EPISCOPVS remittens alicui ecclesiæ decimas Episcopales indefinitè, remisisse videtur non solum præteritas, sed & futuras.

QVIA indefinita æquipollet vniuersali, vbi interpretatio est largè facienda.c.si Romanorum.dist.19.Et quoniam in beneficijs plenissima est interpretatio facienda.c.cum dilecti.de donat. Ideo cū Episcopus in tali decimarum concesione nihil exceperit,& potuerit excepisse, ac in beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat vna, eademque substantia diuerso iure censeri, intellexisse videtur,non solum de decimis possessionum illius temporis, sed & futuri. vt in tex.& c.cognouimus. 12. q. 2. Quod ergo dicitur, quod priuilegium concessum contra ius, est strictè interpretandum, quia omnis recessus à iure com-

communi eſt odioſus. vt in c.1.& 2.de fil.presb.in 6.debet intelligi, & reſtringi, niſi priuilegium tantùm præiudicet concedenti, nam tunc cenſetur beneficium principis, quod debet largiſsimè interpretari.c.olim.de verb.ſign.& l.fin.ff.de conſtit. princ. Et de indefinita diſtingue, quòd vbi diſpoſitio indefinita concernit rem, aut eſt multum præiudicialis,& non extenditur ad futurum. vt in l.ſi ita.ff.de aur.& arg.leg.vbi ſi lego argentum meum, venit tantum argentum, quod erat meum tempore teſtamenti.ad idem c.fœlicis. de pœnis.in 6.ad idem l.ſi mandauero.§.is, cuius.ff. mand.vbi publicatis bonis alicuius, cenſentur publicata bona præſentia, non futura. ad idem c. fin.de reſcr.vbi reſcriptum non extenditur ad futuras lites.ad idem c.literas.eod.tit.in Clem. vbi literæ beneficiales non extenduntur ad beneficia futura. Vbi verò tractatur de modico præiudicio, tunc extenditur etiam ad futura.l.fin.C.quæ res pig.obl.poſſ.vbi ſi obligo bona mea, videor obligare, ne dum præſentia, ſed etiam futura, quia tractatur de modico præiudicio. A primo membro excipe, quando diſpoſitio indefinita eſt in priuilegio, & præiudicat concedenti tantum, vt licet tunc ſit graue præiudicium, nihilominus extenditur etiam ad futura, quia in beneficijs debet fieri largiſsima interpretatio. vt hic. & ad hæc vide Bart. in d.l.ſi ita.& in l.talis ſcriptura. ff.de legat. 1. & Couar.in lib.1.var.reſol. cap. 13.

Cap. 23. Antiqua.

PONIT Concilium ordinem quatuor patriarchalium ſedium, vſque ibi; ſeruata, vbi ponit tria priuilegia ipſarum. Primum, quia dant pallium. Secundum ibi, Dominicæ, quia ante ſe crucem deferri faciunt, præter quam in caſibus hic exceptis. Tertium ibi, in omnibus, quia ad ipſos appellatur, & in hoc proteſtatur, ibi; ſaluis.

QVIA eccleſiaſticus ordo confunditur, ſi vnicuique dignitati ſua iuriſdictio non ſeruatur.c.peruenit.11.q.1.Et quoniam maioribus dignitatibus, in ſignum præeminentiæ, aliqua ſunt ſpecialiter reſeruata. c.quod.de offic.leg.Ideo ſummus Pontifex Innoc.Tertius in Concilio generali, antiqua patriarchalium ſedium priuilegia renouans, ſancta ipſa vniuerſali Synodo approbante, ſanciuit, vt poſt Romanam Eccleſiam (quæ diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vt pote, mater vniuerſorum Chriſtifidelium, & magiſtra) Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat. Seruata cuilibet propria dignitate; ita quòd poſtquam antiſtites earum à Romano Pontifice receperint pallium (quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne) præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento; licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis pallium largiantur, pro ſe recipientes profeſsionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Domini-

minicæ verò crucis vexillum, ante se faciant vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicunque summus Pontifex præsens extiterit, aut eius Legatus vtens insignijs Apostolicæ dignitatis. In omnibus prouincijs eorundem iurisdictioni subiectis, ad eos (cum necesse fuerit)prouocetur. Saluis appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum. vt in tex.& c.renouantes.dist. 22.

Cap. 24. Vt priuilegia.

PRIVILEGIVM religiosis concessum, vt possint sepelire confratres suos tempore interdicti,intelligitur de illis confratribus,qui licet maneant in sæculo, obtulerunt se tamen ordini, mutato habitu sæculari,vel de illis,qui bona sua eis dederunt, vsufructu retento.

QVIA tales conuersi censentur personæ ecclesiasticæ. c. duo sunt. 12.q.1. Et quoniam accessorium sequitur suum principale.c.accessorium.de reg.iur.in 6.Ideo priuilegium huiusmodi concessum religiosis. extenditur etiam ad tales eorum confratres. vt in tex.& c.vt lex.27.q.1

PRIVILEGIVM religiosis concessum, quod eis venientibus ad locum interdictum, semel in anno aperiantur ecclesiæ, vt celebrentur in eis diuina, intelligitur, quod vna sola ecclesia tantum aperiatur in loco.

QVIA quando ex generali intelligentia sequeretur absurdum, verba generalia non accipiuntur generaliter, sed restringuntur,vt habeant sanum intellectum. c. solitæ.de maior.& obed.& similiter, quando sequeretur absurdum,indefinita non æquipollet vniuersali. vt not. supr. in c.quia circa. & in l.2.ff.de lib. & posthum. Et quoniam si tale priuilegium extenderetur ad omnes, & singulas ecclesias eiusdem loci,nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti.vt in tex.Ideo priuilegium regularibus indultum, vt si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates, siue collectas, in quamlibet ciuitatem, castellum,vel vicum aduenerint,si fortè locus ille à diuinis officijs sit interdictus,in eorum iucundo aduentu, semel in anno aperiantur ecclesiæ, vt exclusis excommunicatis, diuina ibidem officia celebrentur,sic est intelligendum,quod in eadem ciuitate,aut castro,aut villa,vna tantum ecclesia eiusdem ordinis fratribus semel aperiatur in anno; quia licet pluraliter dictum sit,quod in eorum iucundo aduentu ecclesiæ aperiantur,non tamen ad ecclesias eiusdem loci diuisim, sed prædictorum locorum coniunctim,sano referendum est intellectu, ne si hoc modo, singulas eiusdem loci visitarent ecclesias, nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti. vt in tex. & supr. c. cum capella. Et regulariter quando possint celebrari diuina officia tempore interdicti, habetur in c. fin. de sent. excom.in 6.

Cap. 25. Quod nonnullis.

TEMPORE generalis interdicti, Episcopi non prohibiti, qui non fuerunt culpabiles interdicti, clam celebrare possunt.

QVIA Episcopali dignitati est multum fauoris impendendum. c. qualiter, il 2. de accus. Et quoniam periculosum est Episcopis, & eorum superioribus, propter executionē Pontificalis officij, quod frequenter incumbit, vt in aliquo casu, interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto. c. quia. de sent. excom. in 6. Et valde indecens est, quod Episcopus diem transeat sine missa. c. dolentes. de celebr. miss. Ideo quod nonnullis est religiosis indultum, in fauorem Pontificalis officij, ad Episcopos summus Pontifex extendens, concedit, vt cum commune terræ interdictū fuerit, excōmunicatis, & interdictis exclusis, possint quādoq; ianuis clausis, suppressa voce, & nō pulsatis cāpanis, diuina celebrare officia, nisi & hoc ipsū eis expressè fuerit interdictū. Verū hoc illis cōcedit, qui causā aliquā non præstiterint interdicto, nec quicquā doli, vel fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes. vt in tex. & supr. c. prox. Et hodie istud non est solum priuilegium Episcoporum, sed ius commune, vt in c. fin. de sent. excom. in 6. & ibi plenè habetur, an, & quando, & qualiter possit celebrari tempore interdicti.

Cap. 26. Quanto.

PRIVILEGIA non sunt violanda, etiam indirectè.

QVIA cum quod vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. c. tua. de procur. & certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. l. non dubium. C. de legib. Et quoniam priuilegia sunt leges priuatorum, secundum quas in illis negotijs est iudicandum. c. priuilegia. dist. 3. & mens est potius consideranda, quàm verba. c. intelligentia. de verb. sign. Ideo non solum venit contra priuilegium, qui illud violat directè, non seruando eius tenorem, sed etiam, qui sola verba seruat, & eius mentem violat. vt in tex. & l. scire. ff. de legib.

Cap 27. Ex parte, il 3.

QVI in habitu, & tonsura, & cæteris, vt laici conuersantur, deprehensi in maleficijs, se pro clericis non defendunt.

QVIA malitijs hominum indulgeri non debet, sed potius obuiari. vt in tex. & l. in fundo. ff. de rei vendic. Et quoniam si quis posset se defendere pro clerico, assumendo, seu etiam resumendo tonsuram abiectam, seu habitum clericalem, postquam deprehensus est in maleficiis, & ante pro laico ab omnibus haberetur, sæpe proprii iudicis iurisdictio illuderetur, & debita pœna euitaretur. vt in tex. & c. 1. de apostat. Ideo ne tonsura, vel habitu sic resumpto, malitia foueatur, si suam iurisdictionem

iudex

iudex sæcularis exerceat in huiusmodi delinquentes, qui sine tonsura, & habitu, in delicto fuerint deprehensi, summus Pontifex æquanimiter duxit tolerandum. vt in tex. & c. perpendimus. de sent. excom. Sed dices, videtur contra, quod licet clerici in delictis fuerint deprehensi, non tamen capi, vel detineri possunt sine licentia Prælatorum, nec puniri, propter pœnam excommunicationis. c. vt famæ. de sent. excom. Item contra videtur. c. si verò, & c. in audientia. d. tit. vbi clericus habet priuilegium, & si sæculariter viuat. Respond. quod illa non contradicunt, nam loquuntur in casu, cum certum erat, illos esse clericos; vnde semper retinēt priuilegium, nisi post trinam admonitionem fuerint incorrigibiles. vt in d. c. in audientia. Hic autem loquitur de iis, qui per omnia tanquam laici in omnibus, & ab omnibus habebantur; & malitiosè assumebant tonsuram, vel si aliquando fuerunt clerici, non constabat; & sic ipso facto, priuilegio renuntiauerunt clericali. c. penult. & fin. de cler. coniug. vnde hic nulla poterat fieri admonitio; ideoque de fraude, vel de malitia sua, commodum reportare non debent; nec incurrunt excommunicationem, qui tales puniunt. vt in tex. quia in delictis deprehendebantur; vnde hoc ipso amittebant priuilegiū. d. c. perpendimus. & c. cum non ab homine. eod. tit. contraria autē intelliguntur, quando contempto habitu, incedunt vt laici, nec deprehenduntur in delictis. glos. & Butr. hic. Quando autem dubitatur, an quis sit clericus, cognitio spectat ad iudicem ecclesiasticum. c. si iudex. de sent. excom. in 6. & ad hæc vide Couar. in pract. quæst. cap. 32.

Cap. 28. Super specula.

PARISIIS, & in locis vicinis, ius ciuile legi non debet.

QVIA licet sancta ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ æquitatis, & iustitiæ vestigia imitantur. vt in tex. & c. 1. de nou. oper. nunt. Tamen quoniam in Francia, & nonnullis prouinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur, & occurrunt rarò ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri. vt in tex. Ideo vt plenius sacræ paginæ insistatur, firmiter interdicitur, & districtius inhibetur, ne Parisiis, vel in ciuitatibus, seu aliis locis vicinis quisquam docere, vel audire ius ciuile præsumat. Et qui contrafecerit, non solum à causarum patrociniis interim excludatur, verùm etiam per Episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur. vt in tex. & c. fin. ne cler. vel mon. & Host. hic, qui enumerat multa alia regna, quæ iure ciuili Imperatorum non vtuntur, dicens, quod excepta Italia, & regno Arelatensi, nullæ, aut paucę prouinciæ sunt, quę iure ciuili Imperatorum, siue Romano regantur; licet vtantur argumentis ipsarum legum, propriis deficientibus consuetudinibus, & statutis; quamuis lex dicat hoc è contrario obseruandum. vt in l. de quibus. ff. de legib. & l. leges. C. de legib.

Cap. 29. Quia intentionis.

INNOVATIO priuilegij ius nouum non inducit, sed vetus conseruat.

QVIA actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. l. non omnis. ff. si cert. pet. Et quoniam per huiusmodi innouationem, superior non intendit ius nouum inducere, sed antiquum, quod forsan ex vetustate priuilegii periclitabatur, conseruare. c. cum dilecta. de confir. vtil. vel inutil. Ideo ille, cui conceditur talis innouatio, in eo statu debet permanere, quo erat tempore impetratæ innouationis. vt in tex. & supr. c. ex parte, il 1. Et de solemnitate adhibenda in hac innouatione, not. in c. fin. de fide instr. & in c. significauit. de testib.

Cap. 30. In ijs, quæ.

PRIVILEGIATI, vt vbique possint cum altari viatico celebrare, hoc possunt sine licentia Prælatorum.

QVIA præcipue in iis, quæ ad cultum diuinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potius interpretatio est facienda. vt in tex. & c. penult. de constit. Et indulgentia, & priuilegium principis ita sunt interpretanda, vt aliquid de nouo conferant. c. si Papa. infr. in 6. & l. fin. C. de inoffic. test. Et quoniam huiusmodi priuilegium, nihil indulgeret, si tales priuilegiati in hoc tenerentur Prælatorum licentiam obtinere, cum illam possint ipsi Prælati dare, etiam si hoc priuilegium non habeatur. vt in tex. & c. clericos. de consecr. dist. 1. Ideo isti sic priuilegiati possunt cum altari viatico, etiam sine Episcoporum licentia celebrare; debent tamen ab aliis, quæ iure parochiali proueniunt, prorsus abstinere. vt in tex. & c. concedimus. de consecr. dist. 1.

Cap. 31. Dudum.

PRIVILEGIVM de decimis noualium non soluendis, non comprehendit decimas tempore priuilegij impetrati possessas ab alijs, nisi de possessione alterius in priuilegio fiat mentio.

QVIA priuilegium iuri alterius præiudiciale, debet strictè intelligi; & eo casu, vbi minus afferatur præiudicium. supr. c. quia intentionis. & l. 2. §. si quis. ff. ne quid in loc. publ. Et quoniam istud priuilegium de decimis noualium non soluendis, potest intelligi de terris, quæ non dum sunt redactæ ad culturam, in quibus nullum, vel modicum præiudicium infertur alteri. c. quid per nouale. de verb. sign. Ideo non debet intelligi de terris redactis ad culturam tempore priuilegij, de quibus decima soluebatur alteri, nisi de hoc fiat specialis mentio. vt in tex. & c. commissum. de decim.

Cap.

Cap. 32. Quidam.

CONFRATRES priuilegiatorum, nisi se ad eos in totum transtulerint, ad Episcopalia iura tenentur.

QVIA per huiusmodi solã confraternitatẽ, tales non sunt conuersi illorum priuilegiatorum, nec oblati, licet aliquam remissionem consequantur. supr. c. cum & plantare, in fin. & c. vt priuilegia. Et quoniam priuilegij tenor est diligenter attendendus. supr. c. porrò. Ideo isti pleno iure non oblati, id est, qui se, & sua non dedicauerunt, non gaudent priuilegio illorum, in quorum fraternitate sunt recepti, nisi in casibus iure expressis. vt in tex. & supr. c. ex parte, il 2. & ita non sufficit sola receptio, nisi sequatur plena translatio. c. si quis. 21. q. 2. sic non dicitur quis esse de numero militum, priusquam receptus fuerit inter eos. l. ex eo. ff. de testam. milit. sic sola possessio non facit incolam. l. libertus. §. sola. ff. ad municip. sic miles commeatu accepto, quamdiu in domo sua remanet, non gaudet priuilegio. l. miles. ff. ex quib. caus. ma. sicut & scholaris non habet priuilegium scholarium, nisi sit descriptus in matricula. Bart. cons. 70. & moder. in l. scriniarios. C. de testam. milit.

Cap. 33. Consultationi.

QVOAD priuilegium retentionis decimæ, semel nouale semper est nouale.

QVIA decet concessum à principe beneficium, esse mansurum. c. decet. de reg. iur. in 6. & c. priuilegia. 25. q. 2. Et quoniam si quod à principio priuilegiatum est, vt nouale, tractu temporis amitteret priuilegium pro eo concessum, nonnunquam contingeret, indulgentiam de noualibus, plus dispendii, quam vtilitatis ipsis priuilegiatis afferre. vt in tex. Ideo quo ad immunitatem decimarum, priuilegium concessum pro terra nouiter redacta ad culturam, durat semper. vt in tex. & c. ex parte. de decim. Et intellige, quod priuilegium durat semper, nisi perdatur propter culpam, vel negligentiam non vtentis. supr. c. accedentibus. vel ab illo, qui concessit, reuocetur, & maximè ex causa. c. suggestum. de decim. Sed & mutato dominio, mutatur quãdoq; natura rei. sup. c. porro.

In Sexto. Cap. 1. Volentes.

EXEMPTI, vel priuilegiati, vt non teneantur, nisi sub certo iudice respondere, ratione delicti, contractus, aut rei, si hæc sint inita, vel sita in loco non exempto, conueniuntur coram ordinario, sed ratione domicilij non.

QVIA

QVIA priuilegium recipit limitationes, quas recipit ius commune in materia, super qua disponit. Gemin. hic §. & id ipsum. Et quoniam de iure communi est, quod in sua prouincia, & non extra quis damnetur de crimine. 3. q. 6. per totum; Et tamen illa iura recipiunt limitationem, nisi extra prouinciam deliquerit. c. 1. extr. de raptor. sicut ratione rei, de qua agitur, sortitur quis forum ibi, vbi res est. c. sanè. extr. de for. comp. & l. forma. §. si verò. ff. de censib. & similiter quis potest conueniri, vbi promisit, licet aliàs non teneretur. c. dilecti. d. tit. de for. comp. & l. si quis. C. de pact. Ideo Summus Pontifex Innocentius Quartus in Concilio generali Lugdunensi, volens libertatem (quam nonnullis Apostolica Sedes priuilegio exemptionis indulsit) sic integram obseruari, vt illam alij non infringant, & ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definit, quòd quantumcunque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, siue contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possunt coram locorum ordinarijs conueniri, & illi, quo ad hoc, suam in ipsos iurisdictionem (prout ius exigit) exercere. Nunquid ergo carent omnino in his commodò libertatis? non vtique; quia nec coram ordinarijs ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigosa, nec vbi domicilium habent, si alibi delinquant, vel contra, aut res ipsa consistat, conueniri possunt aliquatenus super istis; nec domiciliorum prætextu locorum diœcesani (si vbi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipsa consistit, illi conueniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis, vt illic respondeant, iniungendi habeant aliquam potestatem, saluis nihilominus casibus alijs, in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse, canonica præcipiunt instituta. Et id ipsum decernit circa illos, quibus, vt non nisi sub vno certo iudice teneantur de se conquerentibus respondere, Apostolico priuilegio est concessum. vt in tex. & extr. c. tuarum. Et vide Conc. Trid. sess. 7. de refor. cap. 14. vbi hæc decretalis innouatur.

§. In eos.

MONASTERIO priuilegiato, vt eius monachi à quocunque interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, cessat in illis ordinariorum iurisdictio, quo ad illa; nisi illi monachi mitterentur ad prioratus subiectos ordinarijs; quia tunc etiam licet vtrobique sint monachi, ordinarij etiam quò ad prædicta illos iudicant, quamdiù ibi manent

QVIA potestati ordinariorum non detrahitur, nisi in quantum est expressum. c. cum olim. extr. de præscr. Et quoniam per tale priuilegium non exprimitur, vt quo ad omnia, isti monachi ab ordinariorum iurisdictione sint exempti, sed tantum quo ad id, ne possint vt monachi

illius monasterij interdici, suspendi, vel excommunicari. vt in tex. & extr. c. quoniam. Ideo in eos, quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apostolica est indultum (sicut sunt religiosi quamplures) in quorum priuilegijs continetur, ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro vlla causa, vlloue loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat; ijdem ordinarij iurisdictionem suam, quantum ad ista vbicunque illi fuerint, penitus exercere non possunt. Nisi forsitan ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus ordinarijs eisdem subiectos (vt vel gerant eorum regimen, vel in eis, tanquam proprij locorum ipsorum monachi resideant) fuerint destinati; tunc enim etsi liberè possint ad eadem monasteria reuocari, ac tam illorum, quàm ipsorum prioratuum monachi reputentur (cum non sit inconueniens aliquem vtrobique locum habere monachicum) vnum alteri subesse monasterio, vel ab ipso noscitur dependere, ratione tamen eorundem prioratuum, dicti ordinarij sua iurisdictione in ipsis, etiam quo ad præmissa (quamdiu morantur in illis) licitè vti possunt. vt in tex. & infr. c. ne aliqui.

Cap. 2. Cum de diuersis.

CVRIA Romana habet studium generale, & eius priuilegia.

QVIA multi confluunt de diuersis mundi partibus ad Sedem Apostolicam, quasi matrem. vt in tex. & c. ad Romanam. 2. q. 6. Et Roma est communis patria. l. Roma. ff. ad municip. & est caput omnium ciuitatum. Instit. d. satisdat. §. fin. & totius orbis. C. de consul. l. nemini. lib. 10. Et quoniam præcipuè in regijs ciuitatibus studia generalia sunt constituenda. procem. ff. §. hæc autem. Et in eis docentes, ac addiscentes, vt facilius incitentur, specialibus gratijs, ac fauoribus sunt prosequendi. c. fin. extr. de magistr. & Authent. habita. C. ne fil. pro patr. Ideo Summus Pontifex Innocentius Quartus ad commune illuc accedentium, ac aliorum omnium commodum, & profectum, paterna solicitudine intendens (vt sit eis mora huiusmodi fructuosa) prouidit, quòd ibidem legatur, & vigeat studium iuris diuini, & humani, canonici videlicet, & ciuilis. Vnde voluit, & statuit, vt studentes in scholis ipsis penes sedem eandem, talibus priuilegijs omnino, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent studentes in scholis, vbi generale regitur studium, ac recipiant integrè prouentus suos ecclesiasticos, sicut illi. vt in tex. & c. tuæ. extr. de cler. non resid. & vide Conc. Trid. sess. 5. de refor. cap. 1. in fin. Antiquitus tamen etiam erat Romæ generale studium. vt in procemio. ff. §. hæc.

Cap. 3. Abbates.

DICIT, quomodo intelligatur priuilegium, quod habent, quidam Abbates, de populo benedicendo, & quibus possint Abbates conferre tonsuram.

QVIA

QVIA eius est, ius declarare, vt declaratio sit generalis, & necessaria, cuius illud est condere. l. vnic. in fin. C. de veter. iur. enucl. Et quoniam oriebantur diuersæ difficultates circa huiusmodi priuilegia Abbatibus concessa. vt in tex. Et priuilegia ita sunt seruanda, vt priuilegiati eorum limites non excedant, & alij illa non infringant. supr. c. 1. Ideo Summus Pontifex Alexander Quartus per hanc decretalem dicit, quod Abbates, quos Apostolica Sedes, in exhibitione benedictionis super populum, speciali priuilegio insigniuit; in ecclesijs, quæ ad eos pertinent pleno iure, quando in eis diuina officia celebrant, possunt post missarum solemnia, & vespertinas, ac matutinas laudes, benedictionem solemnem super populũ elargiri. Alibi autem publicè, aut per vias, ciuitates, castra, & villas, populis, & plebibus benedictionem facere, vel impertiri non valeant; nisi hoc eis expressò Apostolico priuilegio sit concessum. Nec eis licitum sit, alijs, quàm monasteriorum suorum conuersis, & qui ad illa conuolauerint, & in quos ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent, primã clericalem conferre tonsuram; nisi eis id competat ex pleno præfatæ sedis indulto. vt in tex. & infr. c. vt Apostolicæ, & vide Conc. Trid. sess. 23. de refor. cap. 10.

Cap. 4. Auctoritate.

EXEMPTI, in locis non exemptis, oratoria, vel capellas, sine diœcesanorũ licẽtia, construere nõ possunt, nec in exẽptis sine licẽtia Papa.

QVIA in materia prohibita generaliter fieri sine licentia superioris, exempti non sunt exclusi à tali licentia prætextu exemptionis. Gemin. hic. & supr. in c. 1. Et quoniam generaliter prohibetur, ne aliquis ædificet nouam ecclesiam, capellam, vel oratorium sine Episcopi diœcesani licentia. c. nemo, il 1. de consecr. dist. 1. Et sicut Episcopus est diœcesanus in loco non exempto, sic & Papa est diœcesanus in loco exempto. glos. ver. sedis. Ideo statuitur, quod oratoria, vel capellas, in locis non exemptis sine diœcesanorum locorum ipsorum licentia, exempti construere non præsumant; neque in sic constructis tempore interdicti (casibus expressis in iure duntaxat exceptis) celebrẽt, vel faciant celebrari diuina. Quod si talia præsumpserint, ab his per locorum ipsorum ordinarios compescantur. Et si quas propter exemptorum ipsorum conseruatores, in eos sententias protulerint, illæ penitus reuocantur. Inhibetur insuper, ne in locis etiam exẽptis, hoc ipsi exempti facere audeant; nisi super his licentiã, vel priuilegiũ habeant Sedis Apostolicæ speciale. vt in tex. & extr. c. cum olim, il 2.

NEC possunt exempti assumere causas proprias suorum liberorum hominum in se, etiam si illi sint sui censuales.

QVIA curandũ est, ne alicuius deterior causa fiat ex alieno facto. l. 1. ff. de alien. iud mut. caus. fac. Et quoniam si isti exempti in se assumerent huiusmodi causas, in quibus non habent interesse, nec sunt illorum

hominum procuratores, hoc solum viderentur facere, vt duriorem caussam aduersariorum illorum suorum hominum redderent. glos. fin. hic Ideo statuitur, vt causas, siue lites proprias suorum hominum liberorum, quæ videlicet tantum ad ipsos homines pertinent, ijdem exempti suo nomine, siue vt actores, siue vt defensores aliquatenus non assumant; etiam si sint ipsis dicti homines censuales; cum id nequaquam licitum sit eisdem. vt in tex. & l. 3. ff. d. tit. de alien. iud. mut. cau. fa.

Cap. 5. Ne aliqui.

PRIVILEGIVM Papæ, quod quis excommunicari, suspendi, vel interdici non possit, non extenditur ad sententias ordinariorum; nisi tale priuilegium sit concessum regibus, reginis, vel ipsorum filijs, vel religioso loco, vel ordini.

QVIA ex eo, quod huiusmodi priuilegium erat multis concessum, auctoritati, & iurisdictioni ordinariorum, nimium videbatur esse detractum, & ex inde plerique sumebant occasionem delinquendi, & alios iniuriandi. vt in tex. Et quoniam iurisdictioni ordinariæ est fauendum. c. 1. extr. de offic. ord. Et delicta sunt punienda. c. cum in cunctis. extr. de elect. propter generis tamen claritatem, & dominij amplitudinem, personæ sublimes potioris gratiæ prærogatiua sunt ab alijs exceptuandæ. extrauag. execrabilis. de præb. & religio est maximè fauorabilis. l. sunt. ff. de relig. & sumpt. fun. Ideo ne aliqui de indultis Apostolicis confidentes, alios confidentius in suo iure molestent, & ordinariorum iurisdictionem contemnant, pariter & eludant; omnes indulgentias, & priuilegia, quibuscunque singularibus personis ecclesiasticis, vel sæcularibus, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, quòd interdici à quocunque, vel excommunicari non possint, nec terræ, vel ecclesiæ ipsorum, ecclesiastico interdicto supponi, sub quacunque forma verborum concessa (illis, per quæ regibus, & reginis, eorumque filijs, necnon & religiosis quibuscunque, non personarum tantum, sed ordinum priuilegiatorum, vel locorum ratione, in hoc immunitas huiusmodi conceditur, duntaxat exceptis) Summus Pontifex Clemens IV. de Cardinalium consilio, ad ordinariorum sententias, & processus, edicto perpetuo prohibet extendi. vt in tex. & infr. c. si Papa.

Cap. 6. Vt Apostolicæ.

INFERIORES Prælati, quibus per priuilegium conceditur vsus mitræ, si sunt exempti, in prouincialibus, & Episcopalibus concilijs vti possunt mitris aurifrisiatis, non habentibus laminas, aut gemmas. Et si non sunt exempti, albis, & planis utantur; in alijs locis utantur, ut indulta permittunt.

QVIA

QVIA ex maioritate ornatus, quo quis poteſt vti,ſolet colligi maioritas dignitatis. c. rationis. diſt. c. Et quoniam ſæpe Abbates ditiores,quibus conceſſus eſt vſus mitræ, cum accedebant ad concilia,ferebant mitras,& ornamenta pulchriora,quàm Epiſcopi haberent,ita quod ex inſpectione ornatus,ipſi videbantur Epiſcopi; quod ſatis erat indecens, & Epiſcopi ſcandalizabantur.gloſ.ver.dignitatum. Ideo vt Apoſtolicæ ſedis benignitas (quæ nonnullis Abbatibus,alijſque Prælatis,quibus non competit ex propria dignitate,conceſſit in eccleſiarum ſuarum gloriam,& honorem, quòd mitra,& alijs Pontificalibus vti poſſint) prouideat, ne inde ſcandala oriantur; ſic tamen,quod ipſi priuilegiati ſuorum priuilegiorum non fruſtrentur effectu, & ex maioritate, ac decore maiori ornatuum, maioritas appareat dignitatum; Summus Pontifex Clemens Quartus de S. R. E. Cardinalium conſilio,præſenti decreto ſtatuit,vt Abbates,& alij, quibus mitræ vſus eſt ab eadem ſede conceſſus: Exempti quidem, in prouincialibus concilijs, & Epiſcopalibus ſynodis(quibus nonnulli eorum intereſſe tenentur) mitris tantummodo aurifriſiatis (non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus) vti poſſint. Non exempti verò,ſimplicibus, & albis,ac planis vtantur. In alijs verò locis exemptis, & non exemptis, mitris liceat illis vti, prout conceſſa eis ab eadem ſede indulta permittunt.vt in tex.& infr.c.prox.

Cap.7. Cum perſonæ.

IN prima parte demonſtrat, quid iuris, cum quis ſolo priuilegio ſe dicit exemptum. In ſecunda, ibi; ſi autem; quid iuris,cum ſuper hoc præſcriptionem allegat. In tertia,ibi; Quòd ſi tales; quid iuris, cum allegat vtrunque.

QVIA ſæpe perſonæ eccleſiaſticæ, tam religioſæ, quàm ſæculares, plura præſumunt, quæ ipſis infamiam pariunt,& alijs inferunt læſionem, prætextu exemptionis, vel libertatis, quam aſſerunt ſe habere; ordinariorum correctiones, & ordinationes ſubterfugientes,ac eorum forum, ſiue iudicium declinantes. vt in tex. & c.vnic.ſupr.tit.prox. Et quoniam libertas (quam nonnullis Apoſtolica ſedes priuilegio exemptionis indulget)ſic integra eſt obſeruanda, vt illam alij non infringant: & ipſi eius limites non excedant. ſupr. c. 1. Ideo Summus Pontifex Bonifacius VIII. volens ſuper hoc,de ſalubri remedio prouidere, ſtatuit, vt hi, qui ſe aſſerunt per priuilegia, ſeu indulgentias Apoſtolicæ ſedis exemptos; à locorum ordinarijs requiſiti,huiuſmodi priuilegia,vel indulgentias (quibus ſe dicunt fore munitos)ipſis ordinarijs in loco congruo, & ſecuro, aut aliquibus prudentibus viris, omni ſuſpicione carentibus, ad hoc per dictos ordinarios deputatis, intra terminum competentem, pro facti qualitate ipſorum ordinariorum, vel delegatorum ſuorum arbitrio moderandum, iuſto impedimento ceſſante, oſtendere, ac ad legendum integraliter exhi-

bere; necnon de articulis, de quibus controuersia fuerit, transcriptum tradere teneantur. Si autem ad fundandam intentionem suam super huiusmodi libertate, solummodo præscriptionem canonicam duxerint opponendam; eisdem ordinarijs, vel delegatis ab eis viris prudentibus non suspectis, de præscriptione huiusmodi facere debent fidem. Quòd si tales, priuilegio, & præscriptione asserant se munitos; priuilegium quidem ipsum exhibeant, vt in primo huiusmodi constitutionis articulo, superius est expressum. Et si priuilegium exhibitum, non ad plenum per se sufficiat ad exemptionem, seu libertatem huiusmodi comprobandam; sed tale est, quod saltem causam præbeat præscribendi, coram personis prædictis annorum quadraginta præscriptionem teneantur probare; præscriptionisq; probatione pendente; licet ordinariorum intentio de iure communi fundetur; tamen quia de priuilegio (quod saltem causam præscribendi præbet) faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione, non violenta, non clandestina, nec concessa precario; de qua fidem coram eisdem fecerint. Si verò priuilegium per se sufficiens, quando solo priuilegio se defendunt, vel saltem tale, quòd præscriptioni canonicæ causam præstet, cum præscriptionem allegant, non exhibuerint, vt est dictum (cum de iure communi ordinariorum intentio sit fundata) sua iurisdictione vti possint in eosdem liberè; donec de præscriptione canonica (vt præmissum est) fecerint plenam fidem. vt in tex. & infr. c. per exemptionem.

Cap. 8. Episcoporum.

INTERDICTVS est ingressus Ecclesiæ regularibus, vel secularibus (quamuis exemptis) qui scienter celebrant, vel celebrari faciunt diuina in ciuitatibus, vel locis interdictis, nisi secundum permissionem iuris, vel qui excommunicatos, vel interdictos, publicè ad diuina officia, sacramenta, vel sepulturam admittunt.

QVIA censuræ ecclesiasticæ ab omnibus sunt obseruandæ, c. fin. infr. de sent. excom. Et quoniam multo maiori pœna illi sunt digni, quibus cum plurimum honoris per iussiones principum est delatum, reperiuntur in crimine. l. presbyteri. C. de episc. & cler. nec debet priuilegiorum prætextu, flagitiorum crescere auctoritas. supr. c. 1. & l. 2. C. de priuil. schol. lib. 12. Ideo Episcoporum, & aliorum Prælatorum querelis frequentibus, & querulosis clamoribus Summus Pontifex excitatus, præsenti decreto duxit statuendum; ne aliqui seculares, aut regulares, quantumcunque exemptionis, seu libertatis sedis Apostolicæ priuilegijs communiti, cuiuscunque ordinis, religionis, status, vel conditionis existant, scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina in ciuitatibus, castris, villis (nisi quatenus eis à iure conceditur) seu alijs locis interdictis ab ordinarijs, siue delegatis iudicibus, vel à iure; aut excommunicatos publicè, vel interdictos, ad diuina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam

sepul-

ſepulturam admittant. Qui verò contra præſumpſerint (præter alias pœnas à iure ſtatutas) ingreſſum eccleſiæ ſibi nouerint interdictum; donec de tranſgreſſione huiuſmodi, ad arbitrium eius, cuius ſententiam contempſeruut, ſatisfecerint competenter. vt in tex. & c. is, qui. infr. de ſent. excom.

Cap. 9. Per exemptionem.

PRIMO ponit, quando eximitur eccleſia, quid importet. Secundò, quando ipſius canonici. Tertiò, quando clerici; & iſta ordinatè declarat, in qualibet partium affirmatiuè, & negatiuè loquendo.

QVIA exemptiones ſunt ſtrictè interpretandæ, dummodo aliquid conferant. extr. c. quia intentionis. Et eſt ratio, quia præiudicant ordinariæ poteſtati, quæ eſt fauorabilis. 11. q. 1. c. peruenit. & q. 3. c. qui reſiſtit. Et quoniam per conceſſionem exemptionis factæ vni iſtorum, reliqui quærebant illam extendere etiam ad ipſos. extr. c. cum capella. Et priuilegia non ſunt extendenda de perſona ad perſonam, nec de loco ad locum. extr. c. ſanè. Ideo per exemptionem eccleſiæ conceſſam, ipſa eccleſia, & ipſius monachi, vel canonici, cleri etiam, & conuerſi, perpetuòque oblati (non autem eccleſiæ eiuſdem presbyter, qui parochianorum curam habet, quo ad ea, quæ ad curam eandem pertinent, nec ipſi parochiani etiam) intelliguntur exempti. Verùm ſi canonici alicuius eccleſiæ eximantur, ipſi ſoli canonici, non autem eccleſia, vel alij eius clerici, ſunt exẽpti. Si autem clerici cuiuſuis eccleſiæ eximantur; tunc tam canonici, quàm alij clerici eximuntur, non tamen eccleſia; niſi aliud in exemptionis priuilegio exprimatur. vt in tex. & extr. c. recepimus.

Cap. 10. Si Papa.

FORMAS priuilegiorum ponit hæc decretalis; quarum quædam exemptionem conferunt, quædam non.

QVIA eius eſt ius declarare, cuius eſt condere; intelligendo de declaratione generali, & neceſſaria. l. vnic. in fin. C. de vet. iur. enucl. & not. ſupr. in c. Abbates. Et quoniam per huiuſmodi exempla priuilegiorum, & declarationem tenorum eorundem, litium materia circa illorum intelligentiam amputatur. vt in tex. Ideo hic exprimitur, quod ſi Papa in aliquo priuilegio, vel ſcriptura, non facta principaliter ſuper donatione, vel ſententia exemptionis, ſeu etiam libertatis, aliquam eccleſiam ad ius, & proprietatem Romanæ eccleſiæ pertinere, vel conſimilia verba narret; non propterea illius eccleſiæ exemptio eſt probata, niſi de libertate aliter doceatur. Si autem eccleſiæ, vel monaſterio, exemptionis priuilegium concedendo, vel ſuper ipſius exemptiones ſententiando (cum de ipſius exemptionis negotio ageretur) aſſerat, ipſam eccleſiam fore exemptam; aut eam iuris beati Petri exiſtere; ſiue ad ius, & proprietatem Romanæ eccleſiæ, vel ad Romanam eccleſiam ſpecialiter, aut ſine medio, vel etiam ſimpliciter

pertinere; per hoc plenè debet exempta huiusmodi ecclesia iudicari: Cum enim iure communi omnes ecclesiæ per orbem diffusæ ad Romanam ecclesiam pertineant, si id alicui concedatur ecclesiæ, vel de ea per sententiam iudicetur, ex hoc ipsius comprobatur exemptio; vt priuilegij nihil aliàs allatura concessio, ei,cui conceditur,& sententia, nullum aliter datura subsidium ecclesiæ (pro qua fertur) prærogatiuam (cum verba aliquid operari debeant)conferat gratiæ specialis. Et est idem, si priuilegium contineat,vel ipse Papa per modum exprimat suprascriptum, quod ecclesia sit libera, seu quòd potiatur Romanæ ecclesiæ libertate; vel quòd in hoc prærogatiua gaudeat speciali, aut si dicat indefinitè, quod ecclesiæ Romanæ annuum censum soluat ad perceptæ indicium libertatis;siue quòd ipsam ecclesiam eximit ab ordinarij potestate; vel quod non audeat illic Episcopus cathedram collocare; aut imperandi (seu ordinationem,quamuis leuissimam,faciendi) exercere aliquam potestatem. Similiter si aliqui recipiantur in proprios, & speciales subiectos, censentur exempti: Non sic,si in proprios, & speciales filios Romanæ ecclesiæ sint suscepti; tales quippe exempti propterea non existunt. Si verò dicatur simpliciter,quòd aliqua ecclesia Romanæ ecclesiæ annuum censum soluat, non propter hoc exempta ecclesia dici debet. Idem est dicendum, si circa aliqua per priuilegium concedatur libertas, & clausula, de censu annuo persoluendo,sequatur;vt si aliquibus, quod ab alio, quàm à Papa,seu eius Legato,excommunicari, suspendi, aut interdici non possint,vel aliquid aliud specialiter à sede Apostolica sit indultum; vel etiam dicatur,quòd in speciales Romanæ ecclesiæ filios sint assumpti, & sequatur in priuilegio,quòd ecclesiæ Romanæ ad indicium libertatis perceptæ annuum censum soluant. His enim,& consimilibus casibus, sic insertis priuilegiati articulis, ordinariorum iurisdictioni quantum ad alia sunt subiecti. Licet autem sic diuersos priuilegiorum, quibus ecclesiæ, ac monasteria eximuntur; tenores, ad litium materiam amputandam, Summus Pontifex duxit designandos; per hoc tamen alijs exemptionem (si reperiantur) seu aliarum libertatum modis,vel eorum effectibus,non vult aliquatenus derogari. vt in tex.& extr.c.recepimus.

Cap 1?. Licet.

PRIVILEGIATI, vt tempore interdicti celebrare possint diuina,clausis ecclesijs,alios,etiam extraneos, admittere non possunt.

QVIA priuilegium vnius,alteri non prodest. extr.c.sanè.quod intellige,nisi aliter priuilegium esset inutile ei, cui est concessum.extr.c.in ijs. Et quoniam isti priuilegiati possunt vti illo priuilegio, absque eo, vt alios non priuilegiatos ad officia diuina intromittant. glos. ver.exclusis. Ideo licet aliquibus concessum existat, vt interdicti tempore, ianuis clausis,excommunicatis,& interdictis exclusis,voce submissa, diuina celebrare possint; ad ea tamen aliquos, etiam si aliunde venerint (nisi super hoc priuilegiati existant) recipere nulla ratione debent. vt in tex. & extr.c.quod nonnul-

nonnullis. Quando autem,& quomodo possit celebrari tempore interdicti,habetur.infr.in c.fin.de sent.excom.

ET si fuerit singularis persona super hoc priuilegiata, familiares suos admittit; secus in familia conuentus taliter priuilegiati.

QVIA cum nullus presbyter debeat celebrare, nisi duobus præsentibus.c.hoc quoq; de consecr.dist. 1. si persona singularis,cui priuilegium celebrandi tempore interdicti est concessum, non posset admittere suos familiares,tale priuilegium ei reddi posset inutile.glos.penult.hic.non autem est sic, cum illud est concessum conuentui, nam cum ipsi de conuentu priuilegiati sint plures,bene possunt celebrare,absque eo,vt alios de eorum familia non priuilegiatos admittant. Archid.hic.Et quoniam priuilegium vni concessum,extenditur etiam ad alium, quando sine tali extensione ei redderetur inutile; secus si posset habere effectum sine tali extensione.extr.c. sanè. & c. in ijs. Ideo cum conceditur singulari personæ, vt tempore interdicti, ianuis clausis, celebrare valeat, vel audire diuina;eius familiares domestici, ad audiendum cum ea, & celebrandum sibi diuinum officium, licitè admittuntur. Non sic autem in familiaribus alicuius conuentus,seu collegij est censendum; illi enim,nisi priuilegiati fuerint,admitti non debent. vt in tex.& extr.c.vt priuilegia.

HOC priuilegio non gaudet ille, cuius culpa ponitur interdictum.

QVIA nemo debet iuuari ex eo, in quo deliquit. c. ex tenore.extr.de rescr.& l.si ab hostibus.ff.solut.matr.Et quoniam in generali permissione non veniunt ea,quæ specialiter quis non concederet. l. qui peculij.ff. de pecul.Ideo huiusmodi quoque concessione gaudere non potest is,cuius causa,seu culpa,dolo,vel fraude, fuit sententia interdicti prolata; seu qui ad perpetrandum delictum(cuius occasio lata extitit) præbuit consilium, auxilium,vel fauorem.vt in tex.& extr.c.quod nonnullis.

Cap.12. Quoniam.

EPISCOPI cum altari viatico celebrare possunt, & sibi facere celebrari; ita tamen,quòd non violent interdictum.

QVIA Episcopi, eorumque superiores,se habent diuersis ex causis à suis ecclesijs,& diœcesibus absentare frequenter, nec semper possunt commodè ad ecclesias accedere pro missa celebranda, vel audienda in ipsis,sine qua eos transire non decet absque causa rationabili vllam diem. vt in tex. & extr. c. quod nonnullis. Et quoniam prouidendum est, ne per concessionem priuilegiorum, vigor ecclesiasticæ disciplinæ vilescat. extr. c.vt priuilegia. Ideo Episcopis indulgetur, vt altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari vbicunque, sed absque interdicti

dicti transgressione, illis permittitur celebrare, vel audire diuina. vt in tex. & c. alma. infr. de sent. excom.

In Clement Cap. 1. Religiosi.

PONIT sex casus, in quibus religiosos excommunicat, & absolutionem Papæ reseruat; & priuilegijs, & exemptionibus non obstantibus, eos per ordinarios locorum denuntiari præcipit.

QVIA libertas (quam religiosis Apostolica sedes priuilegio exemptionis indulget) sic integra est obseruanda; vt illam alij non infringant; & ipsi eius limites non excedant. c. 1. supr. in 6. Et quoniam præcipuè in his sex casibus multi religiosi excedebant. vt in tex. & dignum est, vt quos Dei timor ab excessibus non reuocat, saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Ideo Summus Pontifex Clemens V. statuit, quod religiosi, qui clericis, aut laicis sacramentum vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniaue solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos à canone, præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententijs per statuta prouincialia, aut synodalia promulgatis, seu (vt ipsi dicunt) à pœna, & culpa absoluere quenquam præsumpserint; excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absoluendi, quos etiam locorum ordinarij (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides; nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante. vt in tex. & Clem. vnic. de excess. præl.

§. Quibus.

PONIT septem culpas religiosorum, à quibus eos præcipit abstinere sub certis pœnis, quas eis imponi iubet, & quas Prælatis ipsorum imponit, si non satisfecerint.

QVIA ecclesiasticus ordo confunditur, si vnicuique Episcopo sua iurisdictio non seruatur. c. peruenit. 11. q. 1. Et quoniam in his casibus, præcipuè contra Episcopalem iurisdictionem, multi religiosi excedebant. vt in tex. Ideo ipsis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, Summus Pontifex districtius inhibet, ne in sermonibus suis ecclesiarum Prælatis detrahant; aut etiam retrahant laicos ab ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu indulgentias pronuntient indiscretas; neuè (cum confectionibus testamentorum interrerint) à restitutionibus debitis, aut legatis matricibus ecclesijs faciendis, retrahant testatores.

res. Nec legata, vel debita, aut malè oblata incerta, sibi, aut alijs singularibus sui ordinis fratribus, vel conuentibus, in aliorum præiudicium fieri, seu erogari procurent. Nec etiam in casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum ordinarijs, reseruatis, quenquam absoluere; aut personas ecclesiasticas (presertim coram iudicibus delegatis à Sede Apostolica) suam contra eos iustitiam prosequentes, vexare indebitè, aut ad loca plura, & præsertim multum remota, conuenire præsumant. Si qui verò præmissa, vel aliquod de præmissis attentare præsumpserint, per duos menses subiaceant pœnis illis, quæ secundum eorum regulam, vel statuta, pro grauibus criminibus, seu culpis, eis consueuerunt imponi: super quibus, absque manifesta necessitate, cum eis non valeat dispensari. Cæterùm Prælati eorum, nisi de ijs, quæ occasione præmissorum excessuum ad eos, quoquo modo peruenerint, ecclesijs, aut personis ecclesiasticis, damnificatis, vel læsis satisfactionem plenariam exhibuerint intra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam, vsq; ad satisfactionem debitam, eo ipso incurrant; non obstantibus præmissis statutis, aut quibuslibet priuilegijs, cuiuscunque tenoris existant. vt in tex. & Clem. 1. de decim.

§. Sanè.

PONIT moderationem, circa duos primos casus.

QVIA circa istos duos casus, religiosi sunt à Sede Apostolica priuilegiati. Clem. 2. de relig. dom. Et quoniam decet concessum à principe beneficium esse mansurum. c. decet. de reg. iur. in 6. Ideo religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus, sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis, Summus Pontifex vult, quo ad hoc, præiudicium generari. vt in tex. & c. fin. extr. de excess. præl.

Cap. 2. Archiepiscopo.

ARCHIEPISCOPI per loca exempta prouinciæ suæ, faciunt crucem ante se deferri. Ipsi etiam, & diœcesani ibi benedicunt, audiunt diuina, & illa celebrant, & faciunt celebrari; per hoc tamen exemptis, vel priuilegiatis, in alijs nullum fit præiudicium.

QVIA huiusmodi actus ecclesiastici competunt Archiepiscopis, & Episcopis de iure communi, & quo ad superioritatem, sunt de lege iurisdictionis. c. dilectus. & ibi glos. extr. de offic. ord. Et quoniam omnia monasteria, quantumcunque exempta quo ad legem diœcesanam, remanent sub ordinarijs locorum, quo ad legem iurisdictionis, nisi speciali priuilegio sint munita. c. hoc tantum. 18. q. 2. Ideo Archiepiscopo per quæuis loca exempta suæ prouinciæ facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, vt crucem ante se liberè portari faciat, benedicat populo, diuina officia priuatim, vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & fa-

& faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari (quouis priuilegio contrario non obstante) sacro Viennensi approbante concilio, Summus Pontifex Clemens V. præsentis constitutionis serie duxit concedendum. Simili modo concedit Episcopo, vt in locis eisdem suæ diœcesis possit populo benedicere, audire diuina officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari. Sic tamen, quod prætextu concessionis huiusmodi, in locis ipsis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis, nullam aliam iurisdictionē idem Archiepiscopus, vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis, vel priuilegiatis molestiam inferat, vel grauamen, nullumque exemptioni, vel priuilegijs eorundem, aliud præiudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo, vel Episcopo ius aliud quomodolibet acquiratur. vt in tex. & c. luminoso. 18. q. 2.

In Extrauag. Ioan. 22. Cap. vnic. Ad nostri.

PRIVILEGIA, si quæ sint, quibus aliqui nobiles Campaniæ, & Maritimæ, dicebant se munitos circa bannitorum receptationem, hæc constitutio, propter causas hic insertas, reuocat, & annullat.

QVIA pessimum genus est receptatorum, sine quibus latere nemo diu potest. l. 1. ff. de recept. & l. 1. & 2. C. de his, qui latr. occult. & priuilegium obtentum incipiens esse mali occasio, reuocationem meretur. c. suggestum. extr. de decim. Et quoniam huiusmodi priuilegiorum prætextu, in his prouincijs maleficia remanebant impunita, pandebatur ausus excessibus, cultus lædebatur iustitiæ, rectorumque harum prouinciarum multipliciter impediebatur officium, ac prouinciarum ipsarum status, pacis fœdere violato, non absque grandi reipublicæ detrimento, subuerti poterat scandalis, ac scissuris. vt in tex. Ideo summus Pontifex Ioannes XXII. pro communi bono prouinciarum ipsarum, de congruo volens remedio prouidere, priuilegia supradicta, cuiuscunque tenoris existerent, auctoritate Apostolica, ex certa scientia reuocat, annullat, & etiam irritat, ac nullam amplius habere decernit roboris firmitatem. vt in tex. Et nouissimè contra tales, sunt aliæ plures Summorum Pontificum constitutiones, præsertim Greg. XIII. incip. Tanta. & Sixti V. incip. Hoc nostri.

In Extrauag. commun. Cap. 1. Inter cunctas.

HAEC extrauagans dat Prædicatoribus, & Minoribus priuilegia plurima circa tria, videlicet, prædicationes, confessionum auditiones, & sepulturas.

QVIA

QVIA cum Bonifacius VIII. ediderit constitutionem, quæ incipit: Super cathedram. & habetur in extrauag. com.de sepult. ad sedendas discordias, quæ sæpe oriebantur inter Episcopos, & Parochos ex vna,& Prædicatores, ac Minores ex altera parte.Summus Pontifex Benedictus XI. attendēs,quod illa cōstitutio Bonifacij nō minuebat discordias, sed augebat, & nimium videbatur onerosa ipsis fratribus; præsertim in quantum eos obligabat ad dandam quartam funerum ecclesijs parochialibus; per hanc constitutionem reuocat illam Bonifacij, & in multis priuilegiat ipsos fratres, præsertim reddendo eos exemptos à quarta funerum. vt in tex. Sed quoniam hæc constitutio Benedicti non afferebat fructus pacis, quos ipse sperabat; quinimmo discordiæ, pro qua sedenda processerat, fomentum non modicum ministrabat. vt in Clem.2.de sepult. Ideo hæc decretalis fuit reuocata per Clementem Quintum, & innouata illa Bonifacij. vt in d. Clem. 2. & cum ius posterius deroget priori. c. 1. de constit.in 6. Illa Clementis Quinti, qui fuit post Benedictum XI. non autem hæc, quo ad ea, quæ per illam reuocantur, est hodie obseruanda. vt in d.Clem.2.

Cap. 2. Meruit.

REX Franciæ, & regnicolæ, per extrauag. Vnam sanctam. supr. de maior. & obed. non amplius subijciuntur Ecclesiæ Romanæ, quàm prius erant.

QVIA meruit Philippi Regis Francorum illustris, sinceræ affectionis ad summum Pontificem, & ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper regnicolarum puritas, ac deuotionis sinceritas, vt tam regem, quàm regnum fauore beneuolo Summus Pontifex prosequatur. vt in tex. Et quoniam præcipuè erga personas sublimes, & de se benemeritas, Sedes Apostolica solet sua beneficia largius impartiri. c. de multa. extr. de præb. Ideo Summus Pontifex Clemens V. Regi, & Regno, per definitionem, & declarationem bo.me.Bonifacij Papæ VIII. sui prædecessoris, quæ incipit: Vnam sanctam, nullum vult, vel intendit præiudicium generari. Nec quòd per illam, Rex, Regnum, & regnicolæ prælibati, amplius ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quàm antea existebant. Sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tàm quantum ad ecclesiam, quàm etiam ad regem, regnum, & regnicolas superius nominatos. vt in tex.

Cap. 3. Diuina.

ORDINARII non possunt ferre censuras in suos subditos, pro suis negotijs Romam euntes, ibi manentes, aut ab ea recedentes; nec

nec illos priuare beneficijs; quod si fecerint, irritum est. Et si beneficia illorum alijs sint collata, tam dantes, quàm recipientes, ipso facto sunt excommunicati, & à solo Papa absoluendi.

QVIA Summus Pontifex ad ea libenter intendit, per quæ officiales Sedis Apostolicæ, obsequijs eius (ad quam veluti fidelium omnium matrem, pro animarum salute quærenda, & iustitia prosequenda, de diuersis mundi partibus confluit multitudo) tutius, & quietius, se promptiores valeant exhibere. vt in tex. & c. ad Romanam. 2. q. 6. Et quoniam multi à recursu Sedis Apostolicæ, & ab eius obsequijs retraherentur, si ad illam euntes, vel redeuntes, aut ibi pro suis negotijs manentes, interim possent in partibus per ordinarios condemnari. c. vnic. extr. de cleric. peregrinan. & c. paternarum. 24. q. 3. Ideo Summus Pontifex Eugenius Quartus districtius inhibet locorum ordinarijs, necnon commissarijs, & delegatis eorum, cæterisque vniuersis, & singulis, quacunque potestate, & auctoritate præfulgeant, cuiuscunque dignitatis, gradus, & præeminentiæ fuerint, ne contra officiales præfatos, quocunque nomine nuncupentur, in Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ obsequijs, tunc, & pro tempore existentes, necnon quoscunque alios, pro suis, & eorum causis, vel negotijs prosequendis, ad sedem prædictam venientes, ac in ea (durante negotiorum, & causarum huiusmodi prosecutione) moram trahentes, & recedentes ab eadem, procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut priuationis officiorum, aut beneficiorum, seu quamuis aliam sententiam promulgare præsumant. Ipse enim omnes, & singulos processus, & sententias contra tenorem, & mentem huiusmodi suæ inhibitionis, latas, & habitas, & in posterum habendas, ac etiam promulgandas, & quęcunque inde secuta, declarat nulla, irrita, & inania, nulliusque extitisse, vel existere roboris, vel momenti. Nec non quicquid in contrarium à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum tunc fuerit, vel in posterum contigerit attentari, etiam decernit irritum, & inane. Et nihilominus in omnes, & singulos ordinarios, & officiales, commissarios, & delegatos eorum, qui se de dignitatibus, ac beneficijs ecclesiasticis quibuscunque officialium, aut negotia huiusmodi apud dictam sedem prosequentium, per edictum eos illis forsan priuando, atque priuatos decernendo, seu declarando, vel cuiuscunque priuationis prætextu, illa personis alijs conferendo, seu de illis in eos quomodolibet se intromittendo; tam in dantes, quàm in recipientes, excommunicationis, suspensionis, & interdicti latas sententias promulgat; quas vult, eos ipso facto incurrere. A qua quidem excommunicationis sententia absolui nequeant, nisi à Summo Pontifice, vel per ipsum deputandis, præterquam in mortis articulo constituti. Præmissa autem à die affixionis præsentium ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ex certa scientia, quoscunque ligare vult, & arctare. Non obstantibus Apostolicis, & quibus-

cunque

cunque generalibus, aut prouincialibus, aut synodalibus concilijs, edictis, constitutionibus, ordinationibus, & Apostolicis priuilegijs, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodolibet, vel differri, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, habenda esset in præsentibus mentio specialis; & quæ præsentibus vult habere pro sufficienter expressis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Apostolicæ inhibitionis, declarationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ. M.CCCCXXXII. Idus Martij. Pontif. sui ann. secundo. & c. si qui Romipetas. 24.q.3. Concilium tamen Trident. hodie derogat huic constitutioni quo ad habentes beneficia curata, & de residentia, vltra tres menses absque licentia, & legitima causa, in absentia permanentes. sess. 23. de refor. cap. 1. sess. 24. cap. 11. & sess. 6. cap. 1.

Cap 4. Exhibita.

PRAEMISSO tenore duarum constitutionum, dicit; quod hospitalarij sancti Ioannis, ex statuto, consuetudine, vel priuilegio, habentes annalia beneficiorum uacantium, percipere debent portionem, quam haberent beneficia obtinentes, si in illis essent residentes.

QVIA exhibita Summo Pontifici Ioanni XXII. ex parte ipsorum hospitalariorum petitio continebat, quòd dudum post constitutionem per ipsum editam, qua specialiter, & expressè cauebatur, quòd habentes annalia in ecclesijs de consuetudine, priuilegio, vel statuto, qui ratione dictorum annalium fructus primi, vel secundi, vel alterius cuiuscunque sequentis anni beneficiorum vacantium, sibi hactenus in totum vendicauerant, nihil ex inde vltra summam, pro qua vnumquodque beneficiorum ipsorum consueuit in decimæ solutione taxari, prætextu cuiusuis priuilegij, consuetudinis, vel statuti, quouis modo perciperent; sed ipsius summæ perceptione dumtaxat deberent esse contenti, totali residuo prædicta obtinentibus beneficia remansuro; nisi forsan illi, qui fructus illos soliti essent cum integritate percipere, mallent ipsum habere residuum, & obtinentibus beneficia dimittere summam memoratam; quo casu percipiendi, quod mallent, erat eis optio derelicta. Quandam aliam declaratoriam constitutionem ipse Summus Pontifex fecit, in qua specialiter cauebatur, quòd si huiusmodi beneficium obtinentes in ecclesia, in qua specialiter illud beneficium existeret, minimè residerent ad debitum seruitium impendendum, capitulo eiusdem ecclesiæ nihil deberet accrescere; cum cessante causa, cessare debeat pariter, quod vigebat. Quod, quæ ex verbis declarationis

tionis huius satis innui videbatur, quòd fructus beneficiorum non residentium, accrescere deberent habentibus annalia memorata. vt in tex. Sed quoniam ex eo, quòd in declaratione dicta non continebatur expressè de perceptione annalium beneficiorum vacantium, ipsis hospitalariis debitorum de prædictis consuetudine, priuilegio, vel statuto, quo ad fructus non residentium in eisdem, qui ipsis accrescere deberent, nullum adhuc commodum assequi potuerunt, licet (vt præmittitur) dicti fructus capitulo non accrescerent. Quare ipsi Summo Pontifici humiliter supplicarunt, vt quod in huiusmodi declaratione sua tacitè innuitur, declarare expressius dignaretur. vt in tex. Ideo ipse Summus Pontifex petitionem eorum, iuri consonam æstimans, ac propterea in hac parte quieti, & indemnitati ipsorum prouidere volens; præsenti oraculo declarat, quod fructus prædictæ ecclesiæ, vel beneficij vacantis, cuius annalia, in quibus consistunt, debentur eis ex priuilegio, consuetudine, vel statuto, etiam pro ea parte, quæ obtinentibus præbendam, vel beneficium huiusmodi (si in ecclesia, vbi illa consistunt, personalem residentiam facerent) deberetur, si non residenat ibidem verè, vel interpretatiuè; vt potè per speciale priuilegium Apostolicum, vel aliàs ex causa rationabili, ab huiusmodi residentia legitimè excusentur; cum dicta pars (vt præmittitur) capitulo non accrescat, ipsis accrescere debeat, secundum intentionem, & mentem declaratoriæ memoratæ. vt in tex. & ad id c. vnic. in extrauag. com. de decim.

Liber Quintus. Titulus XXXIV.

DE PVRGATIONE canonica.

In Decretal. Cap. 1. Nobilis.

***INFAMATVS** fide dignus, per iuramentum se purgat; aliàs secus; & censetur non idoneus enormiter peccans.*

QVIA curandum est, ne contra Apostolum, infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministeriũ nostrum; neuè securiores presbyteri existentes, licentius in peccatum prolabantur. c. si mala. 2. q. 5. Et quoniam per huiusmodi purgationem, remouetur mala fama orta contra aliquem, si ille non sit enormiter peccans, ita vt periurare timeatur. infr. c. quoties. Ideo nobilis homo, vel ingenuus, si in synodo accusatus crimen negauerit; si fidelem eum esse sciuerit, cum duodecim ingenuis se expurget.

get. Si autem antea deprehensus fuerit in furto, aut periurio, aut in falso testimonio, non admittatur ad iusiurandum, sed ei (sicut qui ingenuus non est) purgatio indicatur. vt in tex. & c. omnibus. 2. q. 5.

Cap. 2. Si quis presbyter.

INFAMATUS tertiò monitus, se non corrigens, vsque ad purgationem ab officio suspenditur.

QVIA si talis in infamia delicti permanens, diuina officia celebraret, populus fidelium in eo scandalum pateretur. vt in tex. & c. presbyter. 2. q. 5. Et quoniam scandalum semper est euitandum; quoties potest sine peccato. c. 2. de oper. nou. nunt. Ideo si quis presbyter negligens vitæ suæ, prauis exemplis mala de se suspicari permiserit, & populus ab Episcopo, iuramento, seu banno christianitatis adstrictus, infamiam eius patefecerit, certique accusatores criminis eius defuerint, admoneatur primò seorsum ab Episcopo, deinde sub duobus, vel tribus testibus; & si non emendauerit, Episcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò nec sic se correxerit, ab officio suspendatur vsque ad condignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. vt in tex. & infr. c. inter.

Cap. 3. Moniales.

ETIAM regulares purgant se de delicto, secundum regulam canonicam.

QVIA regulares iudicantur non solum secundum eorum regulam, sed etiam secundum canones. c. fin. de stat. monach. Et quoniam præcipuè in regularibus est vitæ integritas, & bona fama custodienda. c. non dicatis. 12. q. 1. & multo maiori pœna sunt digni, quibus cum plurimũ honoris per iussiones principum est delatũ, reperiuntur in crimine. c. presbyteri. 5. q. 6. & cauendũ est, ne priuilegiorũ prætextu, flagitiorum crescat auctoritas. C. de priuil. schol. l. 2. lib. 12. Ideo moniales si libidinibus inseruire accusentur, & manifestè detegi nõ valuerint, erga regulã suæ opinionis, malam famam canonicè purgare cogantur. vt in tex. & c. habet. 2. q. 5.

Cap. 4. Si quis de gradu.

SI delictum est probabile, non inducitur purgatio, aliàs secus.

QVIA rebus debemus vti eo modo, ad quem sunt institutæ. c. is autem. 22. q. 2. Et quoniam contra delicta, quæ probari possunt, institutum est, vt per sententiam procedatur, & illa puniantur. c. vt famæ. de sent. excom. & c. dixit. 32. q. 1. contra calumniatores autem, & temerariam suspicionem, institutum est, vt repellantur. c. oues. 6. q. 1. contra suspicionem autem verisimilem, quæ tamen non sufficit ad cõdemnationem, institutum est, vt per purgationẽ canonicam, illa mala fama remoueatur. infr. c. prox. Ideo si quis de gradu ecclesiastico raptoribus alienarum sponsarum, se

P con-

consensorem, vel interuentorem manifestè prodiderit, à proprio gradu repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, canonicè se expurget. vt in tex. & c. presbyter. 2. q. 5.

Cap. 5. Quoties.

INFAMATVS, contra quem crimen probari non potest, debet se purgare iuramento de veritate, compurgatores verò de credulitate.

QVIA conscientiam nostram videre possumus, aliorum minimè. S. August. in Ioan. tract. 74. & 75. tom. 9. Et quoniam cauendum est, ne quis subeat anceps periurium. l. Marcellus. §. iurare. ff. rer. amot. Ideo si aliquis Episcopus fuerit de simonia impetitus, & infamatus, ita tamen quòd crimen probari non possit; debebit se purgare; & purgationis tenor erit huiusmodi; Episcopus iurabit primùm, super sancta Dei Euangelia, quod pro ecclesia, sancti N. presbytero tali danda, nec ipse per se, nec per submissam personam, nec aliquis pro eo, se sciente, pretium recepit; deinde compurgatores super sancta Dei Euangelia iurabunt quòd ipsi credunt, eum verum iurasse. vt in tex. & infr. c. fin.

Cap. 6. Nos inter.

EPISCOPVS parochianum suum infamatum compellit ad se purgandum, nisi ab eo legitimè appellauerit.

QVIA Episcopus ad extirpanda peccata, debet inquirere contra quemlibet de diœcesi sua, & delinquentes punire; ne alicuius sanguis ex eius manibus requiratur. c. 1. de offic. ord. & c. Ephesis. dist. 43. Sed quoniam per appellationem legitimè interpositam ad superiorem, suspenditur inferioris iurisdictio. c. vt debitus. de appell. Ideo si diœcesanus de aliquo crimine publica laborat infamia; accusatore, & testibus deficientibus, ad purgationem est per ipsius Episcopum compellendus; nisi fortè super ipso ad superiorem iudicem duxerit appellandum; nam si appellauerit, eius parebit iudicio, ad cuius examen causam voluerit per appellationem transferre. vt in tex. & c. interrogatum. 2. q. 5. Et intellige, tunc legitimè appellasse, si Episcopus ipsum grauauit, puta, quia dicit, se non esse infamatum, & Episcopus non vult recipere testes, inter quos conuersatus est, ad probandam suam bonam famam. c. cum oporteat, in fin. de accusat. Sed Episcopus recipit alios extraneos, & ignotos, vel fortè inimicos, vel viles; vnde ipsum grauat. infr. c. prox. vel quia nimiam inquisitionem facit circa qualitatem compurgatorum, vel nimis immoderatam purgationem indicit. infr. c. constitutus. vel aliter ipsum grauat; alioquin à correctione appellari non potest. c. ad nostram. de appell. & c. licet. de offic. ord.

Cap.

Cap. 7. Cum P. Manconella.

COMPVRGATORES debent esse honesti, & notum habere eum, quem purgant, nec debent à iudice, vel alio impediri; & deficiens in purgatione, punitur vt conuictus.

QVIA compurgatores debent iurare, quod credunt purgandum verum iurasse, dum iurat, se non commisisse illud crimen, de quo erat infamatus. supr. c. quoties. Et quoniam non bene possent hoc credere, & iurare, nisi haberent notam eius vitam, & mores. vt in tex. Et infamia, quæ faciebat semiplenam probationem contra purgandum, ex eo, quod non habet testes suæ bonæ famæ, augetur, & fit suspicio violenta, quæ sufficit ad condemnandum. glos. supr. in c. si quis de gradu. Ideo purgatores illius honestatis, & opinionis esse debent, quòd verisimile sit eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ peierare. Vt autem idonei appareant, necesse est, vt eius, quem purgare debent, vitam, & conuersationem agnoscant. Deficiens verò in purgatione, est illa pœna puniendus, quam delictum, de quo est impetitus, meretur. Debet autem iudex præcauere, quòd si qui purgando in sua voluerint purgatione assistere, nullam eis maleuolentiam, vel indignationem ostendat; nec eos impediat, vel ab alijs, quantum in se est, impediri permittat. vt in tex. & infr. c. inter. & Diaz in pract. can. crim. cap. 141.

Cap. 8. Ex tuarum.

ABSOLVTIO facta secundum purgationem vulgarem non tenet; & ea non obstante, potest indici de nouo purgatio, & admittitur accusatio.

QVIA purgatio vulgaris est prohibita. infr. tit. prox. per tot. nam per illam Deus tentari videtur. c. Mennam. 2. q. 5. Et quoniam sententia lata contra leges, vel canones, non tenet, nec ab ea opus est appellare. c. 1. de re iudic. Ideo talis sententia absolutionis non impedit, quin possit rursus contra illum infamatum procedi, & si deficit plena probatio, ei canonica purgatio indici. vt in tex. & l. admonendi. ff. de iureiur.

Cap. 9. Constitutus.

SVFFICIT, quòd compurgator sit toleratus ab ecclesia bonæ famæ; nec de crimine suspectus condemnatus.

QVIA compurgatores non habent interesse in causa, cum iurent de facto alieno; nec statur ipsis solis, sed etiã iuramento purgandi. supr. c. cum. P. Et quoniam nemo præsumitur malus, & propriæ salutis immemor. c. vnic. de serut. & c. sancimus. 1. q. 7. Et iura sunt promptiora ad absoluendum, quàm ad condemnandum. l. qui accusare. C. de edend. Ideo

in purgationibus faciẽdis, cũ satis sit illis, qui pro purgando exhibẽt iuramentũ, secundũ propriã conscientiã, & opinionẽ iurare, quod purgandus à crimine sit immunis, vel quod bonũ exhibuit iuramentũ, si purgatores ab ecclesia tolerentur, & sint bonæ famæ, in suis ordinibus ministrantes; nec in iudicio pro crimine condemnati, proculdubio sunt absque vllius indagine admittendi. vt in tex. & c.cum deputati. de iudic.

Cap. 10. Inter solicitudines.

PROPTER magnitudinem criminis, infamatus suspendi potest, ne dum ab officio, sed etiam à beneficio, donec se purgauerit.

QVIA opinio personæ ecclesiasticæ, in nullo debet vacillare. c. laici. dist. 33. Et quoniam si de graui crimine infamatus, interim ecclesiasticis officijs, & administrationibus se immisceret, graue scandalũ in populo fideliũ generaretur. supr. c. si quis, il 1. Ideo licet vbi enormitas delicti, vel scandali non subest, non debeat iudex ante purgationem præstitam, aliquã suspensionem facere. vt in c. significasti. de adult. sed expectare exitum, vt ibi; vbi tamen subesset scandalum, vel graue delictum, potest à principio suspendere ab officio, donec se purgauerit. vt supr. in c. ex tuorum. & etiam à beneficio. vt in tex. & c. presbyter. 2. q. 5.

ET augetur propter hoc numerus compurgatorum.

QVIA vbi maius periculum vertitur, ibi cautius est agendum. c. vbi. de elect. in 6. Et quoniam maius periculum, & scandalum esset, si quis non bene purgatus ab infamia grauis criminis, ecclesiastica officia exerceret, quàm si de leuioribus culpis fuisset impetitus. supr. c. quoties. Ideo licet numerus compurgatorum regulariter sit Episcopo arbitrarius. c. omnibus. 2. q. 5. vt quandoq; sufficiant septẽ. d. c. presbyter. quandoq. duo. infr. c. cum in iuuentute. quandoq; requirantur duodecim. supr. c. 1. quandoq; quinque. supr. c. ex tuarum. propter immanitatẽ tamẽ criminis requiruntur etiã plures, vt quatuordecim. vt in tex. & c. si mala. 2. q. 5. Arbitrabitur ergo numerum iudex, secundum qualitatem personæ, criminis, & infamię. infr. c. cum in iuuentute.

EX causa, interdum post purgationem præstitam, suspenditur quis ad tempus.

QVIA scandalum semper est euitandum, quoties potest sine peccato. c. 2. de nou. oper. nũt. Et quoniam posset esse scandalum, vt de graui crimine infamatus, etiam si se purgauerit, statim ecclesiastica munera subiret. vt in tex. Ideo vbicunque infamatus, male viuendo per actus illicitos, & à iure reprobatos, dedit causam infamiæ, & scandalo, licet præster purgationem, debet tamen remanere suspensus ab officio, donec sopiatur scandalum; vt sic illicita eius opera præcedentia puniantur. vt in tex. & c. omnibus. 2. q. 5.

ET deficiens in purgatione, punitur vt conuictus.

QVIA infamia, quæ faciebat semiplenam probationem; si infamatus non reperit testes, qui deponant de eius bona fama super illo crimine,& quod credant in eo ipsum innocentem, augetur,& fit præsumptio violenta. glos. in c.si quis il 2. supr.eod. Et quoniam præsumptio violenta sufficit ad condemnandum, c. afferte. de præsumpt. Ideo si infamatus deficit in se purgando, condemnatur.vt in tex. & supr. c.cum. P.& vide Diaz in pract. can. crim. cap.141.

Cap. 11. Cum dilectus.

COMPVRGATORES debent esse personæ vicinæ,& honestæ.

QVIA compurgatores debent deponere, quod credunt,purgandum iurasse verum, dum iurauit, se delictum, de quo erat infamatus, non commisisse. supr.c.quoties. Et quoniam vicini præsumuntur melius scire conditionem, & qualitatem vicinorum. c. quanto. de præsumpt. & personæ honestæ præsumuntur, quòd nolint peierare. c.in nostra. de procur. Ideo ad purgationem tales sunt admittendæ personæ,quæ vicinæ sint, & honestæ. vt in tex. & supr. c.cum P. Dic tamen, quod vbi ex causa non reperirentur vicini, vt quia ex aliqua causa sunt purgando exosi, sufficit habere alios.infr. c.proxim.

Cap. 12. Cum in iuuentute.

SI infamia ortum non habet ex probabilibus coniecturis, non est de necessitate indicenda purgatio; potest tamen indici ad instantiam purgandi.

QVIA vanæ voces populi non sunt audiendæ. c. Osius. de elect.& l. decurionum.C.de pœn. Et infamia sæpe habet ortum à maleuolis.c. infames. 3. q. 7. & facile dictum vnius sequitur multitudo. vt in tex. Sed quoniam volenti non fit iniuria. l.1.§.vsque.ff. de iniur. Et curandum est, vt Christi bonus odor simus in omni loco; & quod infirmorum corda non percutiantur mala fama fratrum.1.ad Corinth.cap.8.& bonarum est mētiū ibi culpam timere, vbi etiam culpa non est.c.consilium.de obser.ieiun. Ideo quando constat infamiam processisse à maleuolis, non est ad instantiam aliorum indicenda purgatio; potest tamen indici ad instantiam ipsius purgandi.vt in tex.& c.mandastis.2.q.5.

Cap. 13. De testibus.

COMPVRGATOR iurat de credulitate.

QVIA compurgatores non deponunt de his, quæ sunt gesta coram eis, vt faciunt alij testes, qui deponunt, & iurant de veritate dicenda.c.2.de testib.cogen. Sed deponunt secundum conscientiam, &

P 3 opi-

opinionem eorum. supr. c. quoties. Et quoniam si iurarent de veritate, subirent anceps periurium. supr. c. cum P. ad quod nemo compellitur. l. videamus. ff. de in lit.iur. Ideo illi, qui ad purgandam alicuius infamiam inducuntur, id solum tenentur iuramento firmare, quod veritatem credunt eum dicere, qui purgatur. vt in tex. & infr. c. fin.

Cap. 14. Accedens.

INFAMATVS super defectu natalium, non debet promoueri, nisi prius se purget.

QVIA defectus natalium, & si non sit nota delicti; est tamen nota defectus impedientis ad sacros ordines promouendum. vt in tex. & c. literas. de fil. presb. Et quoniam purgatio locum habet, ne dum super crimine; sed etiam super inhabilitate. c. tuæ. de apostat. Ideo ne dum spurius, de quo constat, ad ordines promoueri non debet sine dispensatione, sed etiam ille, de quo non constat, ex quo de natalium defectu est infamatus. vt in tex. & c. tam literis. de testib. Et ad id vide Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 5.

Cap. 15. Cum dilectis.

SVPER notorio crimine non est indicenda purgatio.

QVIA notorium est, quod nulla potest tergiuersatione celari. c. fin. de cohab. cler. & mul. vnde in eo non est opus probatione. c. de manifesta. 2. q. 1. nec in eo est iuramentum deferendum, nec ad ipsum recurrendum, ex quo de veritate constat. c. ad nostram. de probat. citatio tamen facienda est. c. Deus. 2. q. 1. & sententia proferenda. c. porrò. de diuort. Purgatio verò tunc habet locum, cum de infamia constat, & de veritate liquere non potest, deficientibus accusatoribus, & testibus. supr. c. nos inter. Et quoniam iuris ordo non est peruertendus. c. 1. de dilat. Ideo si crimen alicuius notorium existit, non est illi indicenda purgatio; sed in eum condemnationis sententia promulganda. vt in tex. & c. euidentia de accusat.

ET pendente causa super criminibus coram Papa delegato, purgatio ab ordinario super eis recepta, non tenet.

QVIA in causa alteri delegata, iurisdictio ordinarij est suspensa. c. sanè. de offic. deleg. Et quoniam processus ab incõpetenti iudice gestus, & sententia à non suo iudice lata non tenet. c. at si clerici. de iudic. Ideo iudicio pendente coram iudice delegato, non potest ordinarius purgationem indicere infamato. vt in tex. & c. licet. de offic. leg.

Cap. 16. Accepimus.

NON sufficit Prælato de criminibus infamato, iurare, cum se purgat,

gat, quòd sit immunis ab illis criminibus; sed iurare debet, quòd post suam promotionem, illa crimina non commisit.

QVIA purgatio debet fieri per verba certa, & clara.supr.c.quoties. Et quoniã talis Prælatus videtur velle iurare sub præscripta forma, videlicet, quod immunis sit ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per pœnitentiam, iam esset immunis ab illis; & hoc iurare, non paruę temeritatis existeret; cum beatus Iob dicat; Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea. vt in tex. Ideo illa forma purgationis, tanquam indiscreta, temeraria, & inepta, est reijcienda; & ista alia, tanquam certa, sufficiens, & discreta, est admittenda. vt in tex. & supr.c.1. Hæc est ergo in tali casu debita forma purgandi, sine aliquo scrupulo duplicitatis, quia & si egisset sic de illo crimine pœnitentiam, adhuc infamia remaneret de facto, quæ per pœnitentiã non tollitur. c. Euthemium. §. hinc. 2.q.3. vnde purgatio illa nõ sufficiebat directè. glos. hic. debuit ergo se purgare secundum hanc formam. vt in tex. & supr. c. quoties. Et nota, quod per pœnitentiam non tollitur pœna naturalis delicti; & sic agens pœnitentiam de delicto in foro pœnitentiali, potest de eo accusari in foro contentioso, vt ibi luat pœnam. c. admonere. 33.q.2. Et hoc ideo, quia diuersi sunt effectus istarum pœnarum; nam in foro animæ imponitur pœnitentia, vt satisfaciat Deo, quem læsit; sed in foro contentioso, vt satisfaciat reipublicæ, quã scandalizauit; & ob id punitur in loco, vbi deliquit. c. 1. de raptor. & Authenth. qua in prouincia. C. vbi de crim. agi opor. Sufficit autem, quòd se purget de infamia orta de criminibus post suã promotionẽ. vt in tex. quia tunc temporis non censetur fuisse infamatus; alioquin non fuisset promotus. c. omnipotens. de accusat. & c. tantis. dist. 81. Et quia hi, qui ipsum approbauerunt, non debent venire contra factum suum. c. diuersis. de cler. coniug. & c. dilectissimi. 8. q. 2. Nec obstat, si dicatur, quod hoc ignorauerunt; quia aut non inquisierunt de fama ipsius diligenter, & sic sunt in culpa. c. cum terra. de elect. aut inquisierunt, & sic, cum nihil inuenerint, præsumitur occultum fuisse, quod soli Deo est relinquendum. c. sicut. & c. tua. de simon.

Liber Quintus. Titulus XXXV.

DE PVRGATIONE vulgari.

In Decretal. Cap. 1. Pura. Cap. 2. Significantibus. & cap. 3. Dilecti.

DVELLA, & aliæ purgationes vulgares, prohibitæ sunt.

QVIA per eas multoties condẽnatur absoluendus, & Deus tentari videtur. vt in tex. & c. monomachiam. 2. q. 5. Et quoniam vbi non est culpa, non debet esse pena. c. necesse. dist. 29. & l. respiciendum. ff. de pœnis. & scriptum est; Non tentabis Dominum Deum tuum. Deuter. cap. 6. & Matth. cap. 4. Tentare enim Deum, est quærere experimentum de Dei virtute, absque ineuitabili necessitate, & hoc est peccatum. Lyra. in d. cap. 6. Deuter. vnde non debet quis tentare Deum, dum habet, quid rationabili consilio faciat. c. quæritur. 22. q. 2. Neque enim Apostolus Paulus desperauerat adiutorium, protectionemq; diuinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo, sic fugit; sed Deum tentaret, si fugere noluisset, cum sic fugere potuisset. S. August. lib. 22. contra Faustũ Manichæum. Ideo ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent canones. Et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, concessa sunt nostro regimini iudicare. Occulta verò, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda fidelium hominum. vt in tex. & c. consuluisti. 2. q. 5. Monomachiam verò in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus; quam, licet quosdam inijsse legamus, sicut Dauid sanctum, & Goliam, sacra prodit historia; nusquam tamen, vt pro lege teneatur, alicubi diuina sanxit auctoritas; cum hæc, & huiusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur. vt in tex. & d. c. monomachiam. & S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. & l. vnic. C. de Gladiat. lib. 11. Nec obstat illud factũ Dauidis, quia illud fuit factum instinctu Spiritus sancti, vt fecerũt Sanson, & alij; quod nõ licet alijs trahere in exemplũ. glos. in d. c. monomachiam. & c. gaudemus. de diuort. Et vt detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur, vide, quæ sanciuit Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 19. & constitut. Greg. XIII. incip. Ad tollendum. & Clem. 8. incip. Illius.

Liber

Liber Quintus. Titulus XXXVI.

DE INIVRIIS, ET damno dato.

In Decretal. Cap. 1. Si rixati.

SI rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit; si iacuerit in lecto; qui percusserit, operas eius, & impensas in medicos restituat.

QVIA in actione iniuriarum est habenda ratio de interesse, & damno iniuriati, & de pœna, quam pro tali iniuria illata meretur iniurians. Instit. de iniur. §. pœna. Et quoniam rixa præcedens non excusat percussionem sequentem. l. fin. ff. de sicar. licet percussio facta sine armis extenuet pœnam, ex eo, quod apparet, illum non habuisse animum interficiendi. Lyra in Exod. cap. 21. Ideo qui lapide, vel pugno percusserit illum, cum quo rixatus fuerit (qui tamen non sit mortuus) tenetur ei reficere damnum, quod pro tali percussione patitur, & præcipuè expensas, quas pro medicamine fecit. vt in tex. & Exod. cap. 21. vnde istud cap. cum quatuor sequentibus, sumptum fuit, & l. fin. ff. de his, qui deiec. vel effud. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem. l. ex hac. ff. si quadr. paup. fec. dic. Sed quæritur, an percussus, vel iniuriatus possit agere alio modo, quàm hìc dicatur? Respond. quod sic; nam hìc agitur vtili actione legis Aquiliæ pro damno dato. Sed pro iniuria potest agere criminaliter, & ciuiliter, non dico simul; sed habet eligere. vt in l. prætor. ff. de iniur. Et si agit criminaliter, pœna est arbitraria, & applicatur fisco; si agit ciuiliter, tunc æstimatur iniuria per iuramentum iniuriati, taxatione præmissa, & pœna applicatur iniuriato. vt infr. c. olim. Et Instit. de iniur. §. pœna. & §. in summa.

Cap. 2. Si quis aperuerit.

SI quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam; cecideritque bos, vel asinus in eam; dominus cisternæ reddet pretium iumentorum; quod autem mortuum est, ipsius erit.

QVIA qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. infr. c. fin. & l. videamus. ff. locat. Et ille, qui non præuidet, quod præuidere debuit, est in culpa. l. qui occidit. §. in hac. ff. ad l. Aquil. Et quoniam talis pote-

poterat præuidere huiuſmodi periculum, ſi ciſterna erat in publico. l.qui foueas.ff.ad leg.Aquil. nam ſi erat in loco priuato,vbi veriſimiliter non poterat eſſe hoc periculum,non tenetur; niſi hoc fecerit fraudulenter.l.qui vias.ff.de damn.infect. ſic enim non licet etiam ædificare in ſuo, quando quis facit ad æmulationem vicini,vel alterius. Bart.in l.cum allegas.C.ne fiſc. vel reſpub. in dubio tamen non præſumitur quis facere in ſuo, animo nocendi. Iaſ. in l. ex hoc. ff. de iuſt. & iur. Ideo dans cauſam damnificandi animalia alterius, in caſu, quo poterat præuidere, tenetur ad æſtimationem,etiam ſi non fecerit ex propoſito; punitur enim ex culpa ſua.vt in tex. & Exod.cap.21.& d.l.qui foueas.

Cap.3. Si bos.

SI bos alienus cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & non cuſtodiuit eum dominus ſuus,reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

QVIA ex quo ille bos prius erat vitioſus, dominus præſumitur ſciuiſſe.infr.c. fin. Et quoniam dominus, non cuſtodiendo illum debita diligentia,fuit in culpa.l. 1. ff. ſi quadr. paup.fec.dic. Ideo tenetur ad reficiendum damnum ab illo ſuo animali illatum. vt in tex. & Exod. cap. 21. vnde non liberatur dando animal; ſecus autem ſi probabiliter ignoraſſet, nã tunc ſatis eſt, dare animal.infr.c.fin.& Inſtit.ſi quadr.paup.fec.dic.§.1.

Cap.4. Si læſerit.

SI læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum,vt depaſcat aliena,pro damno æſtimationem reſtituet.

QVIA in alieno non licet paſcere animalia ſua;quod intellige,quando dat damnum;ſecus ſi non daret damnũ,puta,quia itinerans tranſiens per prædium alienum, depaſcit ibi iumentum ſuum ſine damno.vt in lib.feud.l.quoniam.§.fin. Et quoniam non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. c. peccatum. de reg.iur.in 6. & l.vulgaris. ff.de furt. Ideo qui deduxit iumentum ſuum in campum alienum, vt ibi paſceret, tenetur in ſolidum ad æſtimationem damni. vt in tex.& Exod.cap. 22.& l.qui ſeruandum.§.ſi glanſ.ff.de præſcr.verb.

Cap.5. Si egreſſus.

SI egreſſus ignis,comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris,reddet damnum,qui ignem ſuccenderit.

QVIA ille, qui non præuidet, quod præuidere debuit,eſt in culpa.l. qui occidit.§. in hac.ff.ad leg.Aquil.Et quoniam qui ignem appoſuit in ſtipulam ſuam tempore ventoſo, vel non adhibuit diligentiam, quam potuit,damnum, poterat præuidere, quod per illum erat vicinis illaturus. l.ſi ſeruus. §. ſi fornicarius.ff.ad l.Aquil.alias non tenetur,ſi de nulla negligentia

gentia inculpari possit.infr.c.fin. Ideo qui est in culpa de damno illato vicino propter ignem immissum in agrum suum, damnum illud resarcire tenetur.vt in tex.& Exod .cap.22.& d.l.si seruus.§.si furnum.

Cap.6. Si quis domum.

SI quis domum, vel aream, cuiusquam incenderit voluntariè; sublata, & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat.

QVIA huius edicti vtilitas euidens est, & iustissima seueritas; siquidem publicè interest, nihil rapi, & neminem damnificari ex huiusmodi incendijs. l.1.ff.de incend.ruin.naufr. Et quoniã per restitutionem prouidetur indemnitati damnificati; per pœnitentiam verò consulitur animæ ipsius peccantis; & aufertur temeritas in futurum similia perpetrandi.c. ex literis. de furt. Ideo qui huiusmodi incendium voluntariè cõmiserit, tenetur proximò satisfacere de damno, & ipse per tres annos debet agere pœnitentiam. vt in tex. & supr. c.prox. De iure autem ciuili, qui ex incendio, ruina, vel naufragio aliquid rapuerit, intra annum condemnatur in quadruplum, post annum in simplum.d.l.1. Qui verò ædes, aceruumuè frumenti iuxta domum positum combusserit, vinctus, verberatus, igni necari iubetur, si modo sciens, prudensque id commiserit. Si verò casu, id est, negligentia; aut noxam sarcire iubetur; aut si minus idoneus sit, leuius castigatur. Appellatione autem ædium, omnes species ædificij continentur.l.qui ædes.ff.d.tit.de incend.

Cap.7. Olim.

SAECVLARIS potestas, qui clericum banniuit, condemnari debet per iudicem ecclesiasticum, secundum æstimationem iniuriæ, in expensis, & damnis.

QVIA laicis non licet de clericis legem dare. c. bene quidem. dist. 96. Et quoniam laici, qui exercent eorum indebitam iurisdictionem contra clericos, committunt sacrilegium, & violant ecclesiasticam libertatem.c.si quis principum. 16.q.7. Ideo propter tale graue delictum, quis est in æstimatione iniuriæ, & in expensis, & damnis condemnandus.vt in tex. & Clem.1.de pœnis, quæ addit etiam alias pœnas.& Authent.cassa.C. de sacr.san.eccl.

Cap.8. In nostra.

QVI iurat statutum super non repetendis damnis, hoc non obstante, expensas repetere potest.

QVIA iuramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit actum, vel cogitatum.c.Quintaualllis.de iureiur. Et quoniam in statutis debet fieri stricta interpretatio, ita quod verba capiantur in propria, & stricta interpretatione. l.3.§.hæc.ff.de neg.gest. & Bart.in l.omnes.ff. de iust.

iuſt.& iur.& in propria,& ſtricta interpretatione,appellatione damnorum non veniunt expenſæ. vt in tex. & l.3.ff. de damn. infect. Ideo cum aliud ſit damnorum reſtauratio, quàm expenſarum ſatiſfactio; in iuramento exhibito ſuper damnorum articulo, intelligi non debet,quod factum expenſarum fuerit comprehenſum. vt in tex.& ſupr.c.prox.

Cap.9. Si culpa:

AD hoc, vt teneatur is, qui damnum dedit, ſeu iniuriam irrogauit, neceſſe eſt, culpam interuenire; alioquin non tenetur.

QVIA ius naturale dictat, quod pœna ſit pro culpa infligenda; & quod nullus ſine culpa puniri debeat; ſed determinare pœnam ſecundum conditionem perſonæ, & culpæ, eſt iuris poſitiui.S.Thom.par.3. q.52.art.1.in addit. Et quoniam ea,quæ ſunt de iure naturali, ſemper firma,& immutabilia permanēt.Inſtit.de iure naturali.§.penult. Ideo ſi culpa tuadatū eſt damnū,vel iniuria irrogata, ſeu alijs irrogātibus,opē fortè tuliſti,aut hæc imperitia tua,ſiue negligentia euenerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet:nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere,vel iacturam. Quod ſi animalia tua nocuiſſe proponas; nihilominus ad ſatisfactionem teneris; niſi ea dando paſſis damnum, velis liberare teipſum; quod tamen ad liberationem non proficit, ſi fera animalia, vel quæ nocere conſueuerunt,fuiſſent; & quam debueras, non curaſti diligentiam adhibere. Sanè licet,qui occaſionem damni dat,damnum dediſſe videatur; ſecus eſt tamen in illo dicendum,qui,vt non accidereret, de contingentibus nil omiſit. vt in tex.& l.2.& 5.ff.ad leg.Aquil.& l.1.ff.ſi quadr.paup. Iniuria autem fit,aut re, aut verbis. Re quoties manus infertur. Verbis quoties conuitium dicitur.c. cum te.de re iudic.& l.1.ff.de iniur. Actio verò iniuriarum per diſſimulationem abolet, & anno tollitur.l.non ſolum.ff.de iniur.& l.ſi non conuitij.C.eod. Sed dices; ſi aliquis vocat alium latronem, vel periurium, aut adulterum, & verum dicit; nunquid eſt condemnandus? Reſpond.ſi hoc facīt,accuſando,vel denuntiando, ad puniendum delictum; & hoc probauerit,non tenetur.l.eum, qui. ff.de iniur.& l.ſi quidem. C.eod. Idem eſt, ſi hoc faciat excipiendo, vt repellat eum à teſtimonio. c. ex parte Adæ. de teſtib. vel ab ordine, vel beneficio. c. ſuper his.de accuſat. hoc enim à iure conceditur.vt in dictis iuribus. & qui vtitur iure ſuo, non videtur facere iniuriam.l. iniuriarum. ff. de iniur.& c.cum eccleſia.de elect. Sin autem hoc dicit ad infamandum tantum, quod patet ex eo, quia nec dicendi iuſtam cauſam habet; tunc eſt omnino condemnandus. l.3.& l.ſi quidem.C. de iniur. & c. ex merito.6.q. 1. Et ſcias, quòd cum liber homo damnum dat, habet locum actio legis Aquiliæ. l.1. ff.ad leg. Aquil. vbi verò damnum dat animal,locum habet actio de pauperie.l.1.ff.ſi quadr.paup.cum

verò

verò dat seruus,habet locum actio noxalis,& tunc licitum est dare seruum pro damno dato. Insti. de noxal.act.in princ.

In Sexto. Cap.vnic. Et si pignorationes.

REPRAESALIAE contra personas ecclesiasticas concedi, vel concessa extendi non debent;contrafacientes(nisi reuocent intra mẽsem)singulares sunt excommunicati,vniuersitates interdictæ.

QVIA etsi pignorationes, quas vulgaris elocutio repræsalias nominat, in quibus alius pro alio prægrauatur, tanquam graues legibus, & æquitati naturali contrariæ,ciuili sint constitutione prohibitæ. Authent. vt non fi. pign.pro al. perf. coll. 5. & C. vt null. ex vicar. pro al. vicar. debit. ten.l.vnic. lib.11. Tamen quoniam præcipuè est aduertendum, vt earum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur,quanto in illis specialius inhibentur. vt in tex. & c.quanquam.dist.24. Ideo eas concedi contra ecclesiasticas personas, seu bona ipsarum, aut quantumcunque generaliter, prætextu cuiusuis consuetudinis(quæ potius est reputanda abusus) fortè concessa, ad illas extendi, præsenti decreto districtius inhibetur. Illi autem, qui contrafecerint, aduersus personas easdem, pignorationes, seu repræsalias concedendo, vel extendendo ad eas (nisi præsumptionem huiusmodi reuocauerint, à concessionis, vel extensionis tempore intra mensem) si personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant; si verò vniuersitas, ecclesiastico subiaceat interdicto. vt in tex. & Clem. vnic. de immunit. eccl. Et ad hæc vide Bart. in tract. de repræsalijs. & Bald.in Authent. omnino. C.de act. & oblig.

Liber Quintus. Titulus XXXVII.

DE POENIS.

In Decretal. Cap. 1. Ea, quæ.

TOTIES puniendus est criminosus, quoties delictum iterat.

QVIA

maledic. De iure autem ciuili, cui applicetur multa, seu pœna pecuniaria, dic, vt not. in l.4.C.de modo mult. & in l.agraria. ff.de term.mo.

Cap.4. Calumniam.

VICTVS condemnatur victori præsenti in expensis, etiam in causis pecuniarijs, nisi sententia pro absente feratur.

QVIA per huiusmodi condemnationem, consulitur indemnitati bonam causam fouentis, & reprimitur audacia temerè litigantis. c. finem. de dol.& cont.& l.eum, quem.ff.de iudic. Sed quoniam est aliquo modo punienda absentia contumaciter absentis, quamuis bonam causam alias fouentis. l.properandum.§.& si quidem.C.de iudic. Ideo calumniam, & audaciam temerè litigantium, condemnando in expensis, & alio multiplici remedio, sanctio imperialis compescit; & cum sacris institutis consonare dignoscatur; præcipitur, vt de cætero in causis pecuniarijs victus victori in expensis condemnetur, nisi sententia pro absente feratur. vt in tex.& Instit.de pœna tem.litig.§.1.

Cap.5. Quod in dubijs.

CLERICVS causam, seu operam præbens bello, deponendus est.

QVIA ad bonum societatis humanæ, plura sunt necessaria. Diuersa autem à diuersis melius, & expeditius aguntur, quàm ab vno. vt patet per Philos. lib. 1. Polit. cap. 1. Et quædam negotia sunt, adeò sibi repugnantia, vt conuenienter simul exerceri non possint; & ideo illis, qui maioribus deputantur, prohibentur minora, sicut secundum leges humanas, militibus, qui deputantur ad exercitia bellica, negotiationes interdicuntur. l. milites. C. de re milit. lib. 12. Et quoniam bellica exercitia maximè repugnant illis officijs, quibus Episcopi, & clerici deputantur, propter duo; Primò quidem generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines habent; vnde multum impediunt animum à contemplatione diuinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum. c. duo sunt genera. 12. q. 1. Et ideo sicut negotiationes propter hoc, quod nimis implicant animum, interdicuntur clericis; ita & bellica exercitia, secundum illud Apostoli; Nemo militans Deo, implicet se sæcularibus negotijs. 2. ad Timoth. cap. 2. & ne cler. vel mon. cap. 1. Secundo propter specialem rationem, nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi, secundum illud: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 1. ad Corinth. cap. 2. & ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, vt imitentur opere, quod gerunt ministerio; & propter hoc est institutum, vt effundentes sanguinem etiam sine peccato, sint irregulares. c. de cætero. de homicid. nulli autem, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo offi-

officio incongruus redditur. c. quod à te. de cler. coniug. vnde clericis non licet omnino bella gerere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem. S. Th. 2.2.q.40.art. 2. Ideo tam sacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, quàm qui personaliter exercent conflictum; & ij, qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant; & de rigore canonico sunt deponendi. vt in tex. & c. 2. de cler. pugn. in duel. Et hoc intellige generaliter, si bellum sit iniustum. glos. hic. secus si esset iustum; nam tunc etiam clericis licitum est bello interesse, & alios ad pugnandum hortari; dummodo ipsi abstineant à pugna. c. ex multa. de vot. & c. hortatu. 23. q. vlt. & c. Maximianus. ead. caus. q. 3. Quod etiam intellige, nisi opprimerentur, & non possent aliter euadere mortem; nam tunc licitè pugnant, adeo quod irregularitatem non incurrunt, etiam interficiendo. vt in Clem. si furiosus. de homicid.

Cap. 6. Tuæ.

CLERICVS pro magno scelere ab eo commisso, deponi debet, & in monasterium detrudi ad agendam pœnitentiam.

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Et quoniam depositio in clericis, & detrusio in monasterium, sunt maximæ pœnæ. c. degradatio. infr. in 6. & c. de lapsis. 16. q. 6. Ideo clerici in latrocinijs, vel alijs magnis sceleribus deprehensi, debent à suis ordinibus degradari, & in arctis monasterijs ad pœnitentiam peragendam detrudi. vt in tex. & c. si ille. dist. 50. & si incorrigibilis clericus fuerit, degradatus debet tradi curiæ sæculari. c. cum non ab homine. de iudic. & ad hæc vide Diaz in pract. crim. can. cap. 84.

Cap. 7. Constitutus.

SI vterq; contrahentium venit contra contractum, vterq; potest exigere pœnam adinuicem promissam ex conuentione.

QVIA contractus, ex conuentione legem accipere dignoscuntur. l. contractus. ff. de reg. iur. Et quoniam pacta, & leges sunt seruandæ. l. 1. ff. de pact. Ideo ex contrauentione vtriusque partis, compensatur pœna apposita in contractu. vt in tex. & l. si ambo. ff. de compens. Vnde dic, quod quando partes sibi adinuicem aliquid sub pœna promittunt; & vna pars primò frangit fidem; aut expedit magis alteri parti pœnam prosequi, & stare pacto, vel contractui; aut magis expedit sibi fidem rumpere. In primo casu, licet sibi fides sit fracta, ipse tamen pro sua parte seruet eandem; & sic pœnam petere poterit cum effectu. l. cum par. ff. de reg. iur. In secundo casu, secure frangit fidem, & fiet hinc inde pœnarum mutua compensatio. vt hic in tex. & glos. in c. frustra. de reg. iur. in 6.

Cap. 8. Super his.

SI testis propter vacillationem incarceratur, infamiam non incurrit.

QVIA

QVIA captio, vel detentio non est pœna, sed custodia. l. aut damna. §. solent. ff. de pœn. Et quoniam non quilibet testis vacillans, per hoc potest dici conuictus de crimine falsi. l. nullum, & ibi glos. C. de testib. Ideo clericus, qui pro eo, quod variauerat, & vacillauerat, de mandato superioris captus est, infamiam non incurrit. vt in tex. & Innoc. in c. præterea, de testib. cog.

Cap. 9. Suam.

OBLIGATVS ad certam quantitatem, certa die sub pœna soluendam, si partem intra terminum soluit, ad pœnam integram non tenetur.

QVIA eadem debet esse ratio de parte quo ad partem, quæ est de toto quo ad totum. c. pastoralis. de offic. deleg. & l. quæ de tota. ff. de rei vend. Et quoniam non decet aliquem, inhonestis quæstibus anhelando, cum aliena iactura ditari. vt in tex. & l. iure naturæ. ff. de reg. iur. Ideo ex quo quis recepit partem rei obligatæ intra debitum tempus, pro illa parte non potest petere pœnam, quæ ei erat conuenta pro toto, si non solueretur; sed debet esse contentus de illa pœna, quæ respectiuè tangit partem rei obligatæ non solutam; vnde eo ipso, quod sortem in parte recepit, pœnæ illam tangentem, renunciasse videtur. vt in tex. & l. fin. ff. de eo, quod cert. loc.

Cap. 10. Ad aures.

OCCIDENTES Prælatum, priuantur beneficijs, & feudis, quæ habent ab ecclesia, cui præerat Prælatus ille; nec eis, nec hæredibus restituentur, nec alia de nouo concedi debent.

QVIA grauem oportet esse pœnam, culpæ violantis dignitatem tantæ præeminentiæ adæquandam. infr. Clem. 1. Et quoniam quis puniendus est in eo, in quo deliquit. c. literas. de temp. ord. & sceleris magnitudo facit, vt aliqua pœna transeat etiam ad hæredes. c. si quis. 6. q. 1. Ideo præter alias pœnas, quas incurrunt committentes sacrilegium, & parricidium proprij Prælati, tam ipsi, quam eorum hæredes priuantur beneficijs, & feudis, quæ obtinent ab ecclesia, cui præerat Prælatus, & in futurum, tam ad illa, quàm ad alia redduntur inhabiles. vt in tex. & c. si quis deinceps. 17. q. 4. Et aliæ grauiores pœnæ inferuntur. infr. in d. Clem. 1. præter sententiam excommunicationis, quam ipso facto tales incurrunt. c. si quis suadente. 17. q. 4.

Cap. 11. Dilectus.

PRORVMPENS contra iudicem, arbitrio superioris punitur.

Q QVIA

QVIA curandum est, vt debitus honor iudicibus deferatur. c. vt debitus. de appell. Et ipse ingenio suo ita debet procedere, vt auctoritatem augeat dignitatis. l. obseruandum. ff. de offic. præsid. Sed quoniam, ne ob suum interesse, excedendo grauet, nemo est idoneus iudex in causa propria. C. ne quis in sua caus. iud. l. vnic. præsertim vbi pœna est arbitraria, qualis est in iniurijs. Instit. de iniur. §. pœna. Ideo ne iudicialis euanescat auctoritas, cum de litigatoris improbitate constiterit, aduersus assertionem iudicis temerè prorumpentis, iuxta superioris arbitrium, digna poterit animaduersione puniri. vt in tex. & Auth. de testib. §. si verò ignoti. coll. 7. In quibus autem casibus iudex possit punire subditum contra eum excedentem, notaui in cap. 1. de maled.

Cap. 12. In quibusdam.

PATRONI, aduocati, vel vicedomini, vendicantes sibi in ecclesijs plus, quàm iura permittant, per censuram ecclesiasticam compescuntur; & si occidunt Prælatum, vel clericum ecclesiæ, per se, vel per alios, perdunt, quod habent ab ecclesia, & eorum posteri vsque ad quartam generationem, non admittuntur ad clerum, nec in religionibus præficiuntur.

QVIA in quibusdam prouincijs, ecclesiarum patroni, & aduocati, seu vicedomini, se in tantam insolentiam erexerant, quòd non solum, cum vacantibus debebat ecclesijs de pastoribus idoneis prouideri, difficultates ingerebant, & malitias; verùm etiam possessionibus, alijsque bonis ecclesiasticis, pro sua voluntate ordinare præsumebant; & (quod horrendum est dicere) in necem Prælatorum prorumpere non formidabant. vt in tex. & supr. c. ad aures. Et quoniam quod ad defensionis subsidium est inuentum, ad depressionis dispendium non debet retorqueri. vt in tex. & c. 3. de appell. Ideo prohibetur expressè, ne patroni, vel aduocati, seu vicedomini, super præmissis de cæterò plus vsurpent, quàm reperiatur in iure permissum; & si contra præsumpserint, per seueritatem canonicam districtissimè compescantur. Et insuper statuitur, quatenus, si patroni, vel aduocati, aut feudatarij, seu vicedomini, aut alij beneficiati alicuius ecclesiæ, rectorem, vel clericum alium ipsius ecclesiæ, per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint; patroni iuspatronatus, aduocati aduocatiam, feudatarij feudum, vicedomini vicedominatum, & beneficiati beneficia prorsus amittant. Et ne minus vindictæ, quàm excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nihil perueniat ad hæredes, sed etiam vsq; ad quartam generationem, posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicus Prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum. vt in tex. & infr. Clem. 1.

Cap.

Cap. 13. Grauem.

DOMINO excommunicato manente, subditi fidelitatem non debent; & si longo tempore in ea perstiterit, & monitus non paruerit ecclesiæ, ab eius debito absoluuntur.

QVIA maior excommunicatio separat à communione fidelium. c. si quem. de sent. excom. Et quoniam crescente contumacia, crescere debet & pœna. c. quoniam, in fin. vt lit. non cont. & l. relegati. ff. de pœn. Et qui per annum pertinaciter in excommunicatione insordescit, non caret scrupulo hæreticæ prauitatis. vt in tex. & c. excommunicamus. §. qui autem. de hæret. cum omnis Christianus debeat confiteri, & communicari adminus semel in anno, & hoc in Paschate. c. omnis. de pœnit. & remiss. excommunicatus autem, & impœnitens à sacramentis exclusus est. c. si celebrat. de cler. excom. vnde talis per annum perseuerans præsumitur contemnere ecclesiastica sacramenta, & claues ecclesiæ, & non bene de eis sentire, & sic esse hæreticus, & infidelis. Host. hic. Ideo quandiù dominus in excommunicatione perstiterit, subditi ei obedire non tenentur, & si per annum in illa insorduerit, & monitus non paruerit, ab eius fidelitatis iuramento sunt denuntiandi penitus absoluti. vt in tex. & c. inter. de sent. excom. Et ad hæc vide Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3.

In Sexto. Cap. 1. Romana.

DE veteri iure poterit Archiepiscopus (cum in prouincia sua iurisdictionem suam exequitur) punire notorios iniuriantes sibi, nuntijs, & familiæ suæ, si per id sua iurisdictio impeditur.

QVIA cui competit iurisdictio, omnia illa competere dignoscuntur, sine quibus iurisdictio illa exerceri non potest. c. præterea. extr. de offic. deleg. & l. 2. ff. de iurisd. omn. iud. Et quoniam si Archiepiscopus de iure visitans prouinciã, non posset punire notorios sibi iniuriantes, sua iurisdictio delusoria esse videretur. c. pastoralis. extr. de offic. deleg. & c. & qui emendat. dist. 45. Et in notorijs non videtur quis esse iudex in causa sua, sed potius videtur esse iuris executor. Gemin. hic. ex quo in notorijs non requiritur causæ cognitio. c. manifesta. 2. q. 1. Ideo in tali casu etiam de veteri iure competit Archiepiscopis punire huiusmodi delinquentes. vt in tex. & c. Guilisarius. 23. q. 4.

ALIAS non.

QVIA nemo sibi, vel suis ius dicere debet. c. inter. 23. q. 4. & l. vnic. C. ne quis in sua caus. Et quoniam in tali casu, facile offensus posset grauare. c. 1. extr. de maled. Ideo non potest tunc iudex existere. vt in tex. & c. si quis erga. 2. q. 7.

NISI consuetudo amplius tribuat.

QVIA consuetudo dat iurisdictionem, quando persona est capax illius.c.licet.de for.comp. Et quoniam Archiepiscopus est capax talis iurisdictionis.c.1.supr.de offic.ord.Ideo ex consuetudine, etiam non notorios iniuriantes sibi, vel suis; dummodo de iniuria constare possit, & etiã si sit in casu, in quo sua iurisdictio non impeditur, Archiepiscopus in sua prouincia punire potest. vt in tex.& c.cum contingat.extr.de for. comp.

SED hodie tales iniurias tunc punit, etiam si iurisdictionem non impediant.

QVIA per visitationem, quam Archiepiscopi faciunt in prouincia, multis malis obuiatur, & plura bona inducuntur, & conseruantur.c.cū sopitè. extr. de censib. Et quoniam curandum est, vt superioribus debitus honor deferatur.l.obseruandum.ff.de offic.præsid.Ideo de iure nouo conceditur, vt Archiepiscopis in suis prouincijs (dum in illis iurisdictionem exercent) puniendi manifestas, & notorias offensas, tunc eisdem illatas, vel suis (etiam si exinde impediri iurisdictionem huiusmodi non contingat) libera sit de Apostolica speciali concessione facultas. vt in tex.& ad hæc vide, quæ notaui in c.1.extr.de maled.& Gemin.hic. & Conc.Trid.sess.13. de refor.cap.1.

Cap. 2. Degradatio.

DOCET hæc decretal. quibus assistentibus, fieri debeat degradatio, de quibus vestibus, ornamentis, libris, & instrumentis in degradatione fiat expoliatio, & quibus verbis vtatur ipse degradans.

QVIA clerici dicuntur esse milites cælestis militiæ.c.saluator.1.q.3. Et quoniam exautorizatio eius, qui militiæ seruit armatæ, fit, vt ei detrahantur militaria insignia, sicque à militia remotus, castris reijcitur, priuatus consortio, & priuilegio militari.l.2.ff.de his, qui not.infam.Ideo, similiter clericus degradandus, vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum, seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi præsentiam adducatur; cui Episcopus publicè singula, siue sint vestes, calix, liber, seu quæuis alia (quæ illi iuxta morem ordinandorum clericorum, in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita, seu collata) singulariter auferant, ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat vltimò inchoando, & descendendo gradatim, degradationem continuet vsque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ; tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne tonsuræ, seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in degradatione huiusmodi,

di, vti verbis aliquibus ad terrorem illis oppositis, quæ in collatione ordinum sunt prolata, dicendo presbytero hæc, vel similia verba, in remotione planetæ: Auferimus tibi vestem sacerdotalem, & te honore sacerdotali priuamus; sicque in remotione reliquorum insignium, similibus verbis vtens, in ablatione vltimi, quod in collatione ordinum fuit primum, infrascripto, vel alio simili modo pronunciet, siue dicat: Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali. Et hæc; cum sit actualis clerici degradatio. Verbalis verò degradatio, seu depositio (quæ fit ante istam actualem) ab ordinibus, vel gradibus ecclesiasticis, est à proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione clericorum, in sacris constitutorum ordinibus, certo Episcoporum numero definito canonibus facienda; quanquam proprij Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat ordines receperunt. vt in tex. & c. Fœlix. 15. q. 7. Qualiter autem hodie possit fieri degradatio, præter ista, vide Conc. Trid. sess. 13. de refor. cap. 4.

Cap. 3. Quamuis.

QVAMVIS inuentio carceris fuerit ad custodiam; tamen potest quis puniri pœna carceris perpetuò, & ad tempus.

QVIA mansio in carcere est mala. l. si hominem. ff. deposit. & est durius ibi sedere, quàm tota die in agro fodere, l. in seruorum. ff. de pœn. Et quoniam ius canonicum non imponit pœnam sanguinis. c. clericis. extr. ne cler. vel mon. Ideo quamuis de iure ciuili ad reorum custodiam, non ad pœnam, carcer specialiter deputatus esse noscatur, vt aut conuictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuturna non maceret. l. fin. C. de cust. reor. iuxta quod manere in carcere, innocentibus miserum; noxijs non satis seuerum esse dignoscitur. l. 1. C. d. tit. De iure tamen canonico, quod mitius procedit, & considerat, quod Deus non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Ezech. cap. 18. non improbatur, si clericos confessos de criminibus, seu conuictos (eorum excessibus, & personis, cæterisque circumstantijs prouida deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout superior viderit expedire, carceri mancipet ad pœnitentiam peragendam. vt in tex. & c. nouimus. extr. de verb. sign.

Cap. 4. Vbicunque.

POENA alicui imposita, & eius posteris, non extenditur ad posteros lineæ fœmininæ, nisi aliud in iure, vel sententia sit expressum.

QVIA in pœnis benignior est interpretatio facienda. c. in pœnis. infr. de reg. iur. Et quoniam immunitas alicui, & eius posteris concessa, non comprehendit fœminas. l. vacatio. ff. de mun. & hon. ex quo enim quis de nuptijs natus est, patrem sequi debet, & non matrem. l. cum legiti-

mè. ff. de ſtat. hom. Ideò multo magis vbicunque alicui, & eius filijs, ſeu poſteris vſque in certam generationem pœna imponitur ab homine, vel à iure, pœna ipſa eos tantum afficit, qui per maſculinam, non per fœmininam lineam deſcendere dignoſcuntur; niſi aliud in iure, vel ſententia ſit expreſſum.vt in tex. & l.moris.ff.de pœn.

Cap. 5. Fœlicis.

PRIMO punit inſequentes, percutientes, aut capientes Cardinales, & eius criminis ſocios. Secundò eorum filios, & nepotes. Tertiò ipſis inſectatoribus pœnam addit. Quartò quam ſatisfactionem, cum abſoluuntur, facere debeant; & quid per abſolutionem conſequantur. Quintò de nudis conſiliarijs, vel ſimpliciter fauentibus huic crimini. Sextò ad collaterales permittit pœnas extendi. Septimò ponit de inſequentibus clericos, vel religioſos familiares Papæ, vel Cardinalium. Octauò ponit de occidentibus Cardinales. Nonò dicit, poteſtates ſæculares nihilominus pœnis legalibus contra tales vti debere, & hanc conſtitutionem etiam facere obſeruari, & contrafacientibus pœnam imponit.

QVIA ſacrilegium tanto eſt maius, quanto maius eſt id, in quo committitur. c.aut facta.de pœnit.diſt.1. & maieſtas principis, ſiue Papæ, læſa intelligitur, vbi aliquis ſibi collateralis læditur. c. ſi quis. 6. q. 1. Et quoniam Cardinales S.R.E. ſunt illi ſacerdotes Leuitici generis, de quibus habetur Deuteron.cap. 17. qui ſummo ſacerdoti iure Leuitico in executione ſacerdotalis officij coadiutores exiſtunt. c.per venerabilem.extr.qui fil.ſint leg. Et ſunt ſpeciales filij Romanæ eccleſiæ.vt in tex. & de corpore, & latere Summi Pontificis.c.1. ſupr.de offic.leg. Ideo pro huiuſmodi graui facinore, quod committunt, qui eos offendunt, dignum eſt, vt graues iſtæ pœnæ inferantur. vt in tex.& extr.c.ad aures.& Bulla in cœna Domini.

In Clement. Cap. 1. Si quis. §. 1. & §. Nec ſuper.

PERCVTIENS Epiſcopum, capiens, & banniens, vel hoc mandans, vel ratificans, ſocius, conſiliarius, fautor, & defenſator, cum ſuis poſteris; ciuitas in hoc delinquens, & eius officiales pœnis varijs per Concilium puniuntur.

QVIA Epiſcopi dicuntur ſanctiſsimi. Auth. de ſanctiſs. epiſc. coll.9. Chriſti legati exiſtunt. c.accuſatio.2.q.7. ſpirituales ſunt patres. c. qualis. 2.q. 8. Summique Pontificis fratres, & coepiſcopi. c. quoties. 23. q.1. & columnæ comprobantur eccleſiæ. c.accuſatio. 2. q.7. Et quoniam ſacrilegium tanto

tanto est maius, quanto maius est id, in quo committitur. c. aut facta. de pœnit. dist. 1. Ideo cum grauem oporteat esse pœnam, culpæ violantis dignitatem tantæ præeminentiæ adæquandam, contra tales delinquentes graues pœnæ hic contentæ imponuntur; & aliæ nihilominus erunt etiam imponendæ, si proteruitas delinquentium hoc exposcere videatur. vt in tex. & c. fin. supr. in 6.

§. Sanè.

REPETIT ius antiquum, de absolutis in mortis articulo; qui sanati reincidunt, si non satisfaciant.

QVIA si non statueretur, vt tales non satisfacientes, in pœnas reinciderent, ex quo resanati satisfacere possunt, facilè censuræ illuderent ecclesiasticæ. c. eos, qui. de sent. excom. in 6. Et quoniã ita est in necessitate absolutio concedenda, vt tamen neruus ecclesiasticæ disciplinæ, & censuræ conseruetur. c. si quis suadente. 17. q. 4. Ideo si quis in aliquo istorum casuum, quorum absolutio Summo Pontifici (præterquam in mortis articulo) reseruatur, fuerit ab excommunicationis sententia in mortis articulo absolutus, nisi postquam pristinæ restitutus fuerit sanitati, quamcitò commodè poterit, conspectui Romani Pontificis se præsentare curauerit, eius mandatum humiliter recepturus, prout iustitia suadebit; statuitur, vt in eandem excommunicationis sententiam reincidat ipso facto. Quamuis enim super hoc satis plenè in iure alibi sit prouisum; ne tamen aliquis in hoc ex ignorantia iuris se satagat excusare; hoc expressè Summus Pontifex hic duxit annectendum. vt in tex. & c. de cætero. extr. de sent. excom. Et ad id vide Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuũ reseruatione.

Cap. 2. Multorum.

PROCVRANTES capi viros ecclesiasticos, vt renuntient beneficijs, vel vt citati non vadant ad curiam; præter pœnam excommunicationis, quam per canones antiquos incurrunt; si sint Prælati, à perceptione fructuum per triennium sunt suspensi: inferiores verò beneficijs sunt priuati. Eandem pœnam incurrunt ipsi citati, qui se capi procurant. Resignatio etiam sic facta, non tenet, etiam si per Prælatos recepta fuerit, vel ratificata.

QVIA multorum ad Summum Pontificem grauis querela deduxit, quod nonnulli obtinentes temporale dominium, viros sæpe ecclesiasticos capere, captosque, donec sua resignarent beneficia, aut ne citati ad Apostolicam Sedem ab homine, vel à iure, venire ad ipsam valerent, ausu detinere sacrilego non verebantur; citatos eosdem in exitu eorum districtuum, vt plurimùm, capientes. vt in tex. Et quoniam ex his, tam Summi Pontificis, & Apostolicæ Sedis honori, quam personarum ecclesiasticarum quieto, & prospero statui, non sine damnanda exempli pernicie,

derogabatur. vt in tex. & c. ad Romanam.2.q.6. Ideo statuitur, vt præter sententiam canonis, quam facientes, & fieri procurantes præmissa, incurrere dignoscuntur; procurantes ipsi personæ ecclesiasticæ existentes, à perceptione fructuum ecclesiarum suarum, si fuerint Prælati, triennio sint suspensi. Quòd si inferiores extiterint, eo ipso obtentis beneficijs sint priuati. Illis pœnam incursuris eandem, qui ne citati (vt præmittitur) ad Sedem Apostolicam veniant, sed vt sub obtentu huiusmodi à veniendo excusent, à potestate sæculari se capi procurarint. Sanè resignationes beneficiorum modo supradicto extortæ (licet à resignantium ipsorum Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ fuerint) nullius omnino decernuntur esse firmitatis. Locorumque ordinarijs iniungitur, vt postquam eis constiterit, aliquos sibi subiectos pœnam, & sententiam incurrisse præmissas, ipsas publicare non differant, executionique debitæ (prout ad eos pertinuerit) demandare. vt in tex. & c. vnic. extr. de cler. peregrinant.

Cap. 3. Cupientes.

EXCOMMVNICAT religiosos mendicantes, transgressores constitutionis Bonifac. de excess. prœl. cap. vnic. in 6. Item omnes religiosos, qui in sermonibus, vel alibi, proferunt aliqua, vt retrahant à solutione decimarum, quarum solutionem certis diebus, & in confessionibus suadere tenentur sub certis pœnis, quas incurrunt; nisi sint tales, quorum monasterijs, vel ecclesijs competat percipere decimas.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et quoniam per illam constitutionem Bonifac. cap. vnic. de excess. præl. in 6. qua prohibetur mendicantibus, ne possint acquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare, absque speciali licentia Papæ; non imponebatur transgressoribus aliqua particularis pœna; sed tantum statuebatur, vt si secus egerint, irritum esset, quod fecerint. d.c. vnic. & similiter non imponebatur aliqua pœna religiosis retrahentibus populum à solutione decimarum, licet eis præciperetur, ne aliquem ab illis retraherent, sed potius ad illas hortarentur. c. 1. de decim. in 6. Ideo sub pœna excommunicationis, præcipitur religiosis Mendicantibus, vt illas constitutiones obseruent. vt in tex. quæ, scilicet, sunt d. c. 1. de excess. præl. & d.c. 1. de decim. in 6.

§. Sanè.

EXCOMMVNICAT violatores decretal. 1. de sepult. in 6. & absolutiones Papæ reseruat.

QVIA

QVIA per illam decretalem. c. 1. de sepult. in 6. non imponebatur transgressoribus aliqua satis grauis pœna specialis. vt in d. c. 1. Et quoniam curandum est, vt quos ad obseruantiam iurium, virtutum præmia non inducunt, pœnarum formido saltem à temerarijs ausibus refrenet. vt in tex. & l. 1. ff. de iur. & fact. ignor. Ideo temerarios violatores constitutionis illius, quæ religiosis, & clericis regularibus prohibet, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, vt sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent, excommunicationis sententiam (pœna in dicta constitutione contenta in suo perdurante robore) Summus Pontifex Clemens V. vult incurrere ipso facto; ab alio, quàm à Sede Apostolica (prætquam in mortis articulo) nullatenus absoluendos, nullis priuilegijs, aut statutis, cuiuscunque tenoris existant, super his valituris. vt in tex. & d. c. 1. de sepult. in 6.

In Extrauag. Ioan. XXII. Cap. vnic. Dierum.

NARRATIS facinoribus hominum Marchiæ, qui suos rectores, & officiales occidere soliti erant, post enumerationem septemdecim modorum offensæ, totidem pœnas exprimit, quas incurrent, qui de cætero talia præsument; & propter patrum iniquitatem, filios à quibuscunque honoribus, & beneficijs, tanquam indignos repellit.

QVIA dierum crescente malitia, videns Summus Pontifex mundum in deteriora iugiter prolabi, sic (hominum mentes assueta deprauante nequitia) malis passim cumulum superaddi, vt & boni, qui aliàs odirent virtutis amore delinquere, interdum cum peruersis admisti, concurrere cum illis in illicitis habeant, & in apertam malitiam prosilire; & specialiter hoc eueniebat in Marchia Anconitana contra rectores, & officiales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui etiam in temporali dominio immediatè illa prouincia subest. vt in tex. Et quoniam est compescenda malorum audacia, vt saltem pœnæ formidine retrahantur à noxijs, sicque boni, sectando virtutem, meliores effecti non cogantur cum illis perire. vt in tex. & l. 1 ff. de iust. & iur. Ideo, vt homines Marchiæ à talibus facinoribus contra officiales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ abstineant, per multas graues pœnas cohibentur. vt in tex. & ad id vide tractatum Boerij de seditiosis ciuib.

In

In Extrauag.commun. Cap.vnic. Diuinis.

EPISCOPUS Caturcen. propter varios excessus per ipsum perpetratos, præsertim quia Sedi Apostolicæ, suis subditis, & sibijpsi iniuriosus fuerat, varias pœnas incurrit; nam perpetuæ depositionis sententiam meruit, priuatusque fuit pontificali, sacerdotali, & alio quolibet officio, & ad perpetuum carcerem condemnatus.

QVIA vbi propter criminum varietatem, & grauitatem, vna pœna non sufficit, alia est addenda.c. cupientes.§. sanè. supr. in Clem. Et quoniam iste Episcopus ita deliquerat, vt vna pœna eius culpis non esset coæqualis. vt in tex. Ideo contra eum plures pœnæ imponuntur. vt in tex. & ad id supr.c.vnic.in extrauag. Ioan.XXII.

Liber Quintus. Titulus XXXVIII.

DE POENITENTIIS, ET remissionibus.

In Decretal. Cap. 1. Manifesta.

PRO manifesto peccato pœnitentia publica imponi debet.

QVIA curandum est, vt populus, qui de peccato scandalum patiebatur, videat, quod peccata non transeunt impunita; & ille, qui publicè peccauit, magis per publicam pœnitentiam erubescat, & sic ipse, & cæteri magis à similibus perpetrandis arceantur. infr. c. quæsitum. & c. ego Berengarius, in fin. de consecr. dist. 2. Et quoniam siue puniendo, siue ignoscendo, hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. c. prodest. 23. q. 5. Ideo manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. vt in tex. & c. si peccauerit. 2. q. 1. Et hoc, siue sint grauia, siue leuia, vt euitetur scandalum. c. si quis presbyter. de purg. can. Solemnis tamen pœnitentia clerico imponi non debet, nec etiam publica, nisi depositio. c. alienam. dist. 50. & c. presbyter. dist. 28. Quæ autē dicatur publica, & quæ solemnis, habetur in c. in capite. dist. 50.

Cap. 2. Qui presbyterum.

PONIT pœnitentiam occidentis presbyterum.

QVIA

QVIA pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Et quoniam occidere presbyterum,est enorme delictum.c.sicut. de homicid. Ideo qui presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei secundum canones imponatur; & conuictus,vsque ad vltimum tempus vitæ suæ, militiæ cingulo careat,& absque spe coniugij maneat.vt in tex.& c.non debet. 30.q.1. Vnde licet ordinarium sit,quod pro mortali crimine septennis pœnitentia iniungatur.c. hoc ipsum. & c.admonere. 33. q. 2. propter enormitatem tamen criminis, potest etiam maior imponi. glos.hic. sed potest sacerdos ex causa hanc pœnam mitigare. infr. c.Deus. & de pœnit.dist. 1.c. mensuram. Immo posset esse tanta contritio peccatoris, vt fieret absolutio sine iniunctione alicuius pœnitentiæ exterioris.vt not.de consecr.dist.4.c.baptismi. & d.c.mensuram: nam & ipsa maxima contritio est maxima pœna. de pœnit. dist. 1. c. quem pœnitet. Propter istam autem pœnitentiam, quæ imponitur in foro conscientiæ, non aufertur facultas iudicis ecclesiastici,vel secularis,quin possit procedere contra talem reum, & eum aliter punire in foro contentioso. c. cum sit. de for. comp.& c.fœlicis.de pœnis in 6.

Cap.3. Significauit.

CONSIDERATIS circunstantijs, arbitraria pœna indicenda est ei,qui se defendendo,modum excessit.

QVIA pœnæ sunt inferendæ, secundum quod personæ,& causæ,loca, & tempora requirunt.c. fin. de transact. vnde ex causa iudex potest minuere, vel augere pœnam impositam à lege. l. hodie.ff.de pœnis.& c.de his. dist. 50. Et quoniam causa impellens, quando est licita, alleuiat culpam, eius prætextu committentis illicita. Butr. hic. Ideo similiter debet alleuiare pœnam illius, qui prætextu boni finis, qualis est defensio,peccauit in excedendo.vt in tex.& l.vt vim.ff.de iust.& iur.

Cap.4. Quod autem.

INDVLGENTIAE, quæ conceduntur per Prælatos non subditis,non prosunt,nisi proprij iudices hoc concedant.

QVIA ea, quæ fiunt à iudice, si ad eius non spectant officium,viribus non subsistunt. c. ea, quæ. de reg. iur. in 6. Et quoniam termini diœcesum, & parochiarum sunt distincti, vt vnus non debeat vsurpare iura alterius.c.ecclesias.13.q.1. Ideo cum à non suo iudice ligari nullus valeat,vel absolui, remissiones,quæ fiunt in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, alijs non prosunt,quàm ijs,qui remittentibus subsunt,& ijs, quibus vt prosint, proprij iudices specialiter indulserunt. vt in tex. & infr. c. omnis. Et ex quo indulgentiæ concessæ ab alienis Episcopis,possunt prodesse non subditis,si proprij iudices hoc concesserint; tutissimum est,& valde expediens, vt volens peregrinari, & visitare loca pia, habeat licentiam à proprio iudice, & gratiam percipiendi

de

de alienis indulgentijs; hoc tamen intellige de indulgentijs concessis ab alio, quàm à Papa; nam respectu Papæ quilibet est subditus. c.cuncta.& c. per principalem.11.q.3. vnde in gaudendis indulgentijs concessis per Papam, non fit differentia inter subditos, & non subditos, nisi indulgentia esset restricta ad habitatores certi loci, quæ tamen communiter sic non conceditur, sed generaliter. Abb.hic. Et de materia indulgentiarum, vide Theolog.lib.4.sent.dist.20.& 21.

Cap.5. Quod quidam.

NON est verè pœnitens, qui peccandi animum non deponit; tamen recipitur eius confessio.

QVIA pœnitentiam agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.c.pœnitentiam.de pœnit.dist.3. Sed quoniam ex frequenti confessione, facilius resipiscit peccator. c.falsas.de pœnit. dist.5. Ideo si aliqui ad confessionem de criminibus veniunt, & quamuis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse; eorum confessio est recipienda, & eis de criminibus consilium exhibendum; nam licet non sit vera huiusmodi pœnitentia; admittenda tamen est eorum confessio, & crebris, & salubribus monitis pœnitentia indicenda. vt in tex. & infr. c. officij. Absolutio tamen isti non contrito non est iniungenda. d. c. falsas. & ad hæc S.Thom.par.3.q.86.art.3.

Cap.6. Licet.

QVI ex pœnitentia debet certa die in pane, & aqua ieiunare, potest, deficiente pane, alijs cibarijs vti.

QVIA necessitas semper intelligitur excepta, cum legem non habeat. c.quanto.de consuet. & c.sicut.de consecr.dist.1. Sed quoniam præceptum, quod non potest adimpleri in propria forma, curandum est, vt adimpleatur in æquiualenti, meliori modo, quo potest.c.peruenit.il 2. de iureiur. Ideo si illi, qui aliquos dies in pane, & aqua, ex iniuncta sibi pœnitentia, tenentur peragere; panem, quo vescantur, non habent, leguminibus, aut piscibus, aut alijs cibarijs reficiantur, si necessitas id exposcat. Discretione tamen adhibita, quòd his, non ad delicias, sed ad sustentationem vtantur. vt in tex.& c.quod non est.infr.de reg.iur. Et hoc auctoritate superioris, si haberi potest, alioquin necessitati instanti satisfiat.c.consilium.de obseru. ieiun. Et postea ad superiorem, quamcito commodè fieri potest, habeatur recursus. c.ea noscitur. de sent. excom. Et similiter ab esu carnium in tempore aliàs prohibito excusat infirmitas.d.c.consilium.

Cap.7. Quæsitum.

SACERDOTI Græco procuranti, vel studiosè negligenti oppressionem filiorum, non imponitur pœnitentia publica; sed debet abstine-

ſtinere ab altaris officio, & aliter in ſecreto agere pœnitentiam; ſed ſi delictum eſt publicum; debet publicè agere pœnitentiam.

QVIA cum qua qualitate peccatũ eſt productum ad eſſe, cum eadem per pœnitentiam eſt abolendum; vt peccata manifeſta manifeſtè corrigantur, occulta verò occultè. ſupr. c. 1. Et quoniam prima facie non eſt præſumendum, quod aliquis fuerit in culpa occiſionis proprij filij. c. affertè. de præſumpt. cum paternus affectus omnem vincat affectum. l. fin. C. de curat. fur. Ideo ſi ſacerdos Græcus (qui legitimo matrimonio licitè poteſt vti) procurauerit, vel ſtudioſè neglexerit filij oppreſsionem in lecto (ex qua ſit mortuus) ab officio altaris debet perpetuò abſtinere, & ei grauior, quàm laico, non tamen publica (niſi in publicum id veniat) pœnitentia debet imponi. Verùm ſi ex incuria ipſius, mortuus inueniatur in cuna, & illud fuerit occultum, ei pœnitentia pro arbitrio pœnitentiarij eſt imponenda, & in terrorem aliorum ad tempus abſtineat à celebratione miſſarum. vt in tex. & c. presbyter ſi. diſt. 82.

Cap. 8. Deus, qui.

SACERDOS pœnitentiam arbitrari debet, ſecundum quantitatem exceſſus pœnitentis, & contritionem, & alias circunſtantias.

QVIA pœnarum varietas requiritur ſecundum varietatem, & grauitatem delictorum, ne fiat more imperiti medici, qui vno collyrio omnium oculos vult curare. c. neceſſe. diſt. 29. vnde pœnæ inferuntur ſecundum quod perſonæ, cauſæ, loca, & tempora requirunt. c. fin. de tranſact. & non ſunt in vſu diſtrictiones rigoris antiqui, quia non ſolum merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt. c. fraternitatis. diſt. 34. Et quoniam & plectendo, & ignoſcendo, hoc ſolum bene agitur, vt animarum ſaluti prouideatur, & vita hominum corrigatur. c. prodeſt. 23. q. 5. Ideo cum pœnitentia non tam ſecundum quantitatem exceſſus, quàm pœnitentis contritionem, per diſcreti ſacerdotis arbitrium ſit moderanda, penſata qualitate perſonæ, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, periurio, & alijs criminibus, conſideratis circunſtantijs omnibus, competens pœnitentia delinquenti eſt imponenda, prout eius ſaluti ſacerdos viderit expedire. vt in tex. & c. menſuram. de pœnit. diſt. 1.

Cap. 9. Officij.

AVDITVR mulieris confeſſio, quæ ſibi partum alienum ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit, nec illud marito vult detegere.

QVIA de duobus malis minus malum eſt eligendum. c. duo. diſt. 13. Et quoniam in non reuelando hanc ſuppoſitionem, vel adulterium marito, eſt ſolum periculum rerum; ſed in reuelando, eſt periculum ani-

ma-

marum,& corporum.Innoc. hic. Ideo inter hæc duo mala,talis mulier eliget,quod minus est, scilicet,tacere illud delictum marito, cum damno rerum.vt in tex.& c. ne quis. 22.q. 2. nec ei facile crederetur, obstante præsumptione matrimonij pro filio.l.filium. ff.de his, qui sunt sui,vel al.iur.

Cap. 10. Noua.

ABBATISSA moniales benedicere, confessiones audire, & publicè prædicare non potest.

QVIA huiusmodi actus spectant ad potestatem clauium. c. tanta.de excess.præl. Et quoniam potestas clauium non cadit in mulierem.c. sacratas.dist.23. & S. Thom.in 4.sent.dist.25.q.2.art.2. licet enim beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cælorum commisit. vt in tex. & Matth. cap. 16. Ideo absonum est, pariter & absurdum,quod aliqua mulier præsumat huiusmodi actus iurisdictionis fori pœnitentialis exercere. vt in tex.& c.dilecta.de maior.& obed.

Cap. 11. Quod in te.

TEMPORE generalis interdicti, conceditur pœnitentia, & viaticum morientibus.

QVIA pœnitentia, propter pronitatem,& facilitatem hominum ad peccandum, est summè necessaria.c. firmiter.§.fin. de sum.Trinit. & S.Thom. par.3.q.65.art.4. Et corpus Christi (quod dicitur viaticum,cum illis datur, qui sunt in via recedendi de hac vita)si digne sumitur,ducit ad vitam salutis.c.interrogo.1.q.1. Et quoniam Deus non vult mortem peccatoris,sed vt conuertatur,& viuat. Ezech.cap.18. & ecclesia non claudit gremium redeunti. c. quoties.1.q.7. Ideo etiam tempore interdicti, conceditur pœnitentia,& viaticum morientibus. vt in tex. & c. permittimus. infr. tit.prox.Sed hodie conceditur omnibus,dum tamen non fuerint causa interdicti, vel auxilium præbuerint; de quo dic, vt in c. fin. de sent. excom.in 6.

CLERICI, qui seruauerunt interdictum,possunt cum silentio in cœmiterio sepeliri. In conuentualibus ecclesijs clerici bini,vel trini possunt horas, submissa voce dicere. Crucesignatis, & peregrinis, tempore interdicti, pœnitentia concedi potest.

QVIA sicut rigor ecclesiasticæ censuræ est seruandus,ne dissoluatur; ita in aliquibus casibus cum personis magis dignis, & quæ non sunt in culpa,est relaxandus. c.vt priuilegia.de priuil. & est curandum, ne per nimiam districtionem interdicti, excrescat indeuotio. d.c.fin. de sent. excom. in 6. Et quoniam clerici sunt in Dei sorte electi. c. duo sunt. 12.q.1. Et crucesignati, & peregrini sunt valde fauorabiles.c.ex multa.de voto. & c.vnic.de cler. peregrinan. Ideo licet per generale interdictum

dene-

denegetur omnibus tam vnctio, quàm ecclesiastica sepultura; conceditur tamen ex gratia, vt clerici decedentes, qui tamen seruauerint interdictum, in cœmiterio ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur. Et in conuentualibus ecclesijs bini, & bini, vel simul tres, horas canonicas valeant legere, non cantare, ianuis clausis, interdictis, & excommunicatis exclusis, & voce ita demissa, quod exterius audiri nô possint; cũ & regularibus secundũ priuilegiũ Sedis Apostolicæ sit indultum, vt cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, celebrare diuina. Recipientibus autem signum crucis non negatur, quominus eis ob reuerentiam Crucifixi, pœnitentia, cum postulauerint, iniungatur; quod & alijs peregrinis potest misericorditer indulgeri. vt in tex. & d.c. vt priuilegia. Sed hodie hoc recipit interpretationem, per d.c. fin. de sent. excom. in 6. vbi statuitur, quod in omnibus ecclesijs specificè interdictis possint clandestinè, ianuis clausis, celebrari diuina, & in quatuor festiuitatibus anni, de quibus ibi, publicè possunt celebrari diuina. & dic, vt in d.c. fin.

Cap. 12. Omnis.

QVILIBET doli capax tenetur, saltem semel in anno, confiteri proprio sacerdoti, vel de eius licentia alteri, & Eucharistiæ sacramentum, ad minus in Pascha recipere.

QVIA pœnitentia est secunda tabula post naufragium; nam si quis vestem innocentiæ in baptismo perceptam, peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare potest. S. Hieronym. super illud Isai. 3. Peccatum suum, quasi, & c. tom. 3. & Magister sent. lib. 4. cap. 14. Et quoniam præsertim in Pascha quisque debet esse sine peccato, & Eucharistiæ sacramentum suscipere, tum propter maximam diei solemnitatem, tum quia die Cœnæ Domini, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum à Domino Nostro Iesu Christo fuit institutum. c. in cœna. de consecr. dist. 2. & curandum est, vt ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat. S. Gregor. in registro lib. 2. epist. 52. & parochiæ sunt distinctæ, vt nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat. c. ecclesias. 13. q. 1. Ideo omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere; suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin, & viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in ecclesijs publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat.

mat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absoluere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti medici, superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circunstantias, & peccati; quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum. vt in tex. & c. etsi non frequentius. de consecr. dist. 2. & S. Thom. par. 3. q. 6. art. 3. & q. 8. art. 4. & 5. in addit. & Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. de confessione, & canon. 8. de sanctis. Pœnitentiæ sacramento.

ET sacerdos reuelans confessionem, deponendus est, & in monasterio ad agendum perpetuam pœnitentiam detrudendus.

QVIA in sacramentis ea, quæ exterius geruntur, sunt signa rerum, quæ interius cōtingunt; & ideo cōfessio, qua quis sacerdoti se subijcit, signum est interioris, qua quis Deo subijcitur: Deus autem peccatum illius, qui se sibi subijcit per pœnitentiam, tegit. Vnde & hoc oportet in sacramento Pœnitentiæ significari; & ideo de necessitate sacramenti est, quòd quis per confessionem celet, & tanquam violator sacramenti peccat, qui confessionem reuelat. Et præter hoc, sunt aliæ vtilitates huius celationis, quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur, & simplicius etiam peccata confitentur. S. Thom. par. 3. q. 11. art. 1. in addit. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. de elect. & est curandum, vt pœna fiat sapiens, qui in culpa fuit stultus. c. qui ea. dist. 38. Ideo caueat omnino sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud, absque ulla expressione personæ, cautè requirat; nam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum, præsumpserit reuelare, non solum à sacerdotali officio deponendus decernitur; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendus. vt in tex. & c. sacerdos. de pœnit. dist. 6. & S. Thom. par. 3. q. 11. art. 2. in addit.

Cap. 13. Cum infirmitas.

MEDICI vocati ad infirmos, debent ante omnia, inducere infirmum ad confessionem, nec quicquam persuadere pro salute corporis, tendens in animarum periculum.

QVIA infirmitas corporis nonnunquam ex peccato prouenit, dicente Domino languido, quem sanauerat; Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Ioan. cap. 8. Et anima est multo pretiosior corpore. c. præcipimus. 12. q. 1. Et quoniam per confessionem infirmi eius animæ, & corpori medetur. vt in tex. & c. qui sine. 26. q. 2. Ideo

statui-

ſtatuitur,& diſtriĉtè precipitur medicis corporum,vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant,& inducant,vt medicos aduocent animarum, vt poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedant; cum,cauſa ceſſante, ceſſet effectus. Hoc quidem inter alia,huic cauſam dedit ediĉto, quod quidam in ægritudinis leĉto iacentes, cum eis à medicis ſuadetur, vt de animarum ſalute diſponant,in deſperationis articulum incidunt,vnde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum huius cõſtitutionis,poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit,tamdiù ab ingreſſu eccleſię arceatur,donec pro tranſgreſsione huiuſmodi ſatisfecerit competenter. Cæterùm cum anima ſit multo pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibetur,ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur. vt in tex. & c. contraria.de conſecr.diſt.5. Et nouiſsimè Pius V. per ſuam conſtit.incip.Supra gregem,præter pœnas huius conſtitutionis, hoc mandat medicis,ſub pęnis perpetuæ infamiæ,priuationis gradus, eieĉtionis à collegio, & pecuniæ,arbitrio ordinarij. Et quod medici iurent contenta, & ordinarij exigant idem iuramentum; & iurare renitentes coerceant per priuationem. Dat.Rom.8.Martij,an.eius primo.

Cap. 14. Cum ex eo.

ELEEMOSYNARVM quæſtores,ſine Apoſtolicis,vel diœceſanorũ literis,admitti nõ debent;nec tunc proponant vltra id,quod in ipſis literis continetur, & debent eſſe modeſti, & à locis,& expenſis incongruis abſtinere.

QVIA circa iſtos eleemoſynarum quæſtores,multi abuſus inſurrexerunt;nam nonnulli mentiebantur,ſe tales faciendo, & falsò portabãt habitũ alicuius religionis,vel hoſpitalis, cuius in veritate non erant. Alij concedebant indulgentias,commutabant vota,& plura promittebãt,quæ eis de iure non competebant.infr.Clem.abuſibus. Et quoniã fraudibus eſt obuiandũ.c.ſedes.de reſcr. Ideo ſtatuitur,vt nullus pro quæſtore admittatur, niſi Apoſtolicas,vel diœceſani Epiſcopi literas,veras exhibeat,& tunc præter id,quod in ipſis literis continetur, nihil populo proponere permittatur. Et qui ad quærendas iſtas eleemoſynas deſtinantur, ſint modeſti, & diſcreti;nec in tabernis, aut alijs locis incongruis hoſpitentur; nec inutiles faciant,aut ſumptuoſas expenſas; cauentes omnino,ne falſæ religionis habitum geſtent.vt in tex.& c.vt officium.§.fin. de hæret.in 6.Sed cum adhuc multæ fraudes per iſtos quæſtores committerentur, vt ſimplices deciperent,& aurum ſubtili,vel falaci potius ingenio extorquerent,& remedia contra eos adhibita redderentur inutilia,nec eſſet ſpes de eorum emendatione,ipſorum nomen,& vſum,Conc.Trid.vbique penitus aboleuit.ſeſſ.21. de refor.cap.9.& ſeſſ.5.cap.2.

IN dedicatione basilicæ, vltra annum, & in anniuersario dedicationis, & in literis indulgentiarum concessis ab alio, quàm à Papa, vltra quadraginta dies, remissio excedere non debet.

QVIA per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum Prælati facere non verebantur, & claues ecclesiæ contemnebantur, & pœnitentialis satisfactio eneruabatur. vt in tex. & infr. c. 1. in 6. Et quoniam est curandum, ne nimia facilitate claues ecclesiæ contemnantur, & ne ecclesiastica disciplina vilescat, & dissoluatur. supr. tit. prox. c. fin. & de priuil. c. vt priuilegia. Ideo statuitur, vt cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniuersario dedicationis tempore quadraginta dies, de iniunctis pœnitentijs indulta remissio non excedat. Hic quoque dierum numerus indulgentiarum literis præcipitur moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare. vt in tex. & c. fin. infr. in 6. & S. Thom. par. 3. q. 26. art. 3. in addit. & Conc. Trid. sess. 25. decreto, de indulgent.

Cap. 15. Nostro.

ARCHIEPISCOPVS intra prouinciam suam potest concedere indulgentias, secundũ formã concilij generalis, scilicet c. prox. supr. eod.

QVIA indulgentias conferre, pertinet ad clauem iurisdictionis. S. Thom. par. 3. q. 26. art. 2. in addit. Et quoniam Archiepiscopus est iudex ordinarius totius prouinciæ. c. 1. & 2. 9. q. 3. Ideo Archiepiscopus per suam prouinciam liberè potest remissionis concedere literas generales; ita tamen quod statutum generalis Concilij (de quo supr. in c. prox.) nõ excedat. vt in tex. & c. fin. de censi. in 6. & S. Th. par. 3. q. 26. art. 3. in addit. Et generaliter quam potestatem habeat Archiepiscopus in subditos suffraganeorum suorum, dic, vt not. in c. pastoralis. de offic. ord.

Cap. 16. Ne pro dilatione.

EPISCOPVS, & alij, de quibus in litera, possunt sine licentia superiorum, sibi eligere prouidum confessorem.

QVIA animarum periculis, quamcautius fieri potest, est prouidendum. supr. c. cum infirmitas. Et quoniam Episcopi, & alij, de quibus in litera, regulariter habent superiores nimis distantes. vt in tex. Ideo licet de iure communi, nemo possit ligari, vel absolui, nisi à suo iudice, & superiori. supr. c. omnis. Et sic Episcopus deberet confiteri Archiepiscopo, Archiepiscopus Patriarchæ, Patriarcha Papæ; de quo vide plenissime per Hostien. in sum. huius tit. in §. cui confitendum; & Prælatus exemptus teneretur confiteri soli Papæ, vel eius pœnitentiario. Abb. hic. tamen ne pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat animarum, ex priuilegio permit-

mittitur Episcopis,& alijs superioribus, necnō minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum, & discretum sibi possint eligere cōfessorem.vt in tex.& c.quia periculosum. de sent.excom. in 6.& S.Thom.par.3.q.8.art.5.Quod etiam eis conceditur, quia Prælatis incumbit sacramenta dispensare, quæ nisi à mundis tractari non debent; & ne ex defectu confessoris impedirentur,datur eis,quod possint proprios eligere confessores, qui quantum ad hoc sint eis superiores, sicut etiam medicus ab alio curatur, non in quantum est medicus, sed in quantum est infirmus.S.Thom.in 4.sent.dist.17.q.3.art.3.

In Sexto. Cap.1. Romana.

QVAESTORES non citant aliquos, licet eos monere possint.

QVIA citatio pertinet ad iurisdictionem. c.quoniam.extr. de probat. Et quoniam isti quæstores nullam habebant iurisdictionem; sed tantum erant deputati ad colligendas eleemosynas pro aliquo loco pio.C. vt officiū. extr. de hæret. Et charitatiua monitio potest fieri etiam per non habentem iurisdictionem super illum, quem monet. c. si peccauerit.2.q.1. Ideo ad istud opus pietatis poterant isti quæstores monere, non autem compellere,vel citare.vt in tex.& extr. c. cum ex eo. Hodie verò quæstores huiusmodi sunt omnino ablati per Conc. Trid. sess. 21. de refor.cap.9.& sess.5.cap.2.

ET in concedendis indulgentijs non excedant Archiepiscopi statutum Concilij generalis.

QVIA Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis,quasi Rex in regno; sed Episcopi, & Archiepiscopi assumuntur in partem sollicitudinis,quasi iudices singulis ciuitatibus, & prouincijs præpositi,propter quod eos in suis literis Papa fratres vocat; reliquos autem omnes vocat filios.S.Thom.par.3.q.26.art.3.in addit. Et quoniam in Concilio generali habito sub Innocentio III. fuit Episcopis, & Archiepiscopis limitatus terminus concedendi indulgentias, ne vltra transgrediendo,ex nimia facilitate vilescerent indulgentiæ. extr. c. cum ex eo. Ideo potestas faciendi indulgentias,plene residet in Papa;quia potest facere, prout vult,causa tamen existente legitima. Sed in Episcopis, & Archiepiscopis est taxata secundum ordinationem Papæ; & ideo possunt facere, secundum quod eis est taxatum,& non amplius.vt in tex.& extr.c.nostro. & S.Thom.d.art.3.

Cap.2. Si Episcopus.

CONCESSIO generalis confessoris, non tangit Episcopo specialiter reseruata.

QVIA in generali concessione non veniunt illa, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. vt in tex. & c.in generali.infr. de reg.iur. Et quoniam Episcopi non solent concedere in specie confessoribus facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis. Clem. dudum. §. statuimus. de sepult. Ideo si Episcopus suo subdito concesserit, vt sibi possit idoneum eligere confessorem; ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habet penitus potestatem. vt in tex.& extr.c.omnis.& Conc. Trid. sess.14.cap.7. de casuum reseruat. Qui autem sint casus, quos ob criminum atrocitatem solent sibi Episcopi reseruare, not.glos.hic.& Host. in sum.huius tit.§. cui confitendum sit.

NEC obtentu consuetudinis, potest quis sibi eligere confessorem.

QVIA talis consuetudo esset onerosa ecclesijs; & ex ea frangeretur ecclesiasticæ disciplinæ neruus; & etiam esset contra obedientiam principis præscribere. glos. hic. Et quoniam in his casibus est potius dicenda corruptela, & venit extirpanda.c.fin. extr. de consuet. Ideo nulla potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere, vel ligare.vt in tex.& extr.c.fin.

Cap.3. Indulgentiæ.

DECRETALIS, Cum ex eo, in pluribus Episcopis indulgentibus locum habet.

QVIA quando certo actui deputatur vna summa pro eius exercitio, siue actus exerceatur per vnum, siue per plures, summa non multiplicatur, sed intelligitur eadem esse concessa; vt si promittatur intranti primo castrum obsessum dari centum, si plures simul intrant, non dantur cuilibet centum; sed illa diuiduntur inter omnes. Gemin. hic. Et quoniam statuitur, vt cum dedicatur basilica, non excedatur indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniuersario dedicationis tempore quadraginta dies, de iniunctis pœnitentijs indulta remissio non excedat. Et hic quoque dierum numerus indulgentiarum, literis præcipitur moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare. extr.c.cum ex eo. Ideo indulgentiæ, quæ ab vno, vel pluribus Episcopis in ecclesiarum dedicationibus, vel alijs quibuscunque casibus conceduntur; vires non obtinent, si statutum excesserint Concilij generalis.vt in tex.& supr.c.1.& S.Thom.par.3.q.26.art.3.in addit.

In

In Clement. Cap. 1. Cum secundum.

DAMNATIS ad mortem, hoc petentibus, pœnitentia concedi debet; nec valet contraria consuetudo; & locorum ordinarios ad hoc exequendum excitat.

QVIA Deus vult omnes homines saluos fieri. Ezech. cap. 18. Et ecclesia nunquam claudit gremium redeunti. c. quoties. 1. q. 7. Et quoniam contraria consuetudo esset irrationabilis. c. super eo. extr. de raptor. nec vlla consuetudo potest iuri diuino præiudicium generare, sicut nec irrationabilis iuri positiuo. c. fin. extr. de consuet. Ideo cum secundum statuta canonica, vltimo deputandis supplicio negari (si petant) non debeat Pœnitentiæ sacramentum; abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri Summus Pontifex omnino volens, iustitiarios omnes, & dominos temporales, vt ab huiusmodi desistant abusu, hortatur in Domino, & obsecrat per viscera misericordiæ Iesu Christi. Locorum ordinarijs nihilominus iniungens, vt eos ad hoc, cum primum commodè poterunt, diligenter monere, & (si necesse fuerit) ecclesiastica censura compellere non omittant. vt in tex. & c. 2. extr. de furt.

Cap. 2. Abusionibus.

REPETIT Concilium generale, de quæstoribus non admittendis sine literis Apostolicis, vel diœcesanorum; & addit per diœcesanos literas Apostolicas prius examinari. Ponit octo reprehensibiles actus quæstorum, quos fieri prohibet, & contraria priuilegia reuocat. Et delinquentes quæstores, per Episcopos puniri præcipit, non obstantibus priuilegijs.

QVIA isti quæstores multas fraudes, & mendacia committebant, vt simplices deciperent, & aurum subtili, vel fallaci potius ingenio extorquerent ab eisdem. vt in tex. & extr. c. cum ex eo. Et quoniam hoc in animarum cedebat periculum, & scandalum plurimorum. vt in tex. Ideo viam huiusmodi fraudibus Summus Pontifex præcludere cupiens, iuxta statuta Concilij generalis (de quo habetur in d. c. cum ex eo) districtè prohibet, ne quæstores aliqui (nisi Apostolicas, vel diœcesani Episcopi literas exhibuerint) quomodolibet admittantur, nec permittantur (cum solùm ipsis competat indulgentias sibi concessas insinuare populo, & charitatiua postulare subsidia suppliciter ab eodem) vllatenus ipsi populo prædicare, nec aliud exponere, quàm quod in literis continebitur supradictis. Literas quoque Apostolicas diœcesani Episcopi (ne quid fraudis committi valeat per easdem) antequam admittant quæstores ipsos, examinent

diligenter. Et abusus, qui per ipsos committebantur (quorum octo hic enumerantur) per quos censura vilescebat ecclesiastica, & clauium ecclesiæ auctoritas ducebatur in contemptum, omnimode aboleri volens; omnia, & singula priuilegia, si quæ super præmissis, vel eorum aliquo, sint aliquibus locis, ordinibus, vel personis quæstorum huiusmodi quomodocunque concessa (ne ipsorum prætextu, sit eis materia talia vlterius præsumēdi) auctoritate Apostolica, quantum ad præmissa, penitus reuocat, & quæstores in his delinquentes, per Episcopos puniri præcipit, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, vt in tex. & c. vt officium. de hæret. in 6. Sed cum adhuc multæ fraudes per ipsos committerentur, & remedia ista non sufficerent, & de eorum emendatione nulla spes relicta videretur, ipsorum nomen, & vsum Conc. Trid. omnino aboleuit. sess. 21. de refor. cap. 9.

In Extrauag commun. Cap 1. Antiquorum.

CENTESIMO quoque anno, visitantibus basilicas Petri, & Pauli Apostolorum, plenissima peccatorum venia conceditur.

QVIA antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de Vrbe, concessæ sunt magnæ remissiones, & indulgentiæ peccatorum. vt in tex. Et quoniam Summus Pontifex, iuxta officij sui debitum, salutem appetit, & procurat libentius singulorum; & desiderat, vt beatissimi Petrus, & Paulus Apostoli, eo amplius honorentur, quo ipsorum basilicæ de Vrbe deuotius fuerint à fidelibus frequentatæ; & fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex huiusmodi frequentatione magis senserint se refertos. vt in tex. Ideo Summus Pontifex Bonifacius VIII. huiusmodi remissiones, & indulgentias omnes, & singulas, ratas, & gratas habens, ipsas auctoritate Apostolica confirmat, & approbat, & etiam innouat, & præsentis scripti patrocinio communit; & de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apostolorum eius meritis, & auctoritate confisus, de sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, omnibus in illo anno millesimo trecentesimo, à festo Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi inchoando, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad basilicas ipsas accedentibus reuerenter, verè pœnitentibus, & confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur in huiusmodi quolibet centesimo anno, non solum plenam, & largiorem; immo plenissimam omnium suorum concedit veniam peccatorum. Statuens, vt qui voluerint huiusmodi indulgentiæ ab ipso concessæ fieri participes; si fuerint Romani, ad minus triginta diebus, continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die. Si verò peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus quindecim ad basilicas easdem accedant. Vnusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam

effica-

efficacius conſequetur, qui baſilicas ipſas amplius, & deuotius frequentabit. vt in tex. & latè hic gloſ. Ioan. Monach. qui aſsignat rationes, per quas congruè hæc indulgentia fuit conceſſa quolibet centeſimo anno. Et ad hæc vide Nauar. de Iubileo.

Cap. 2. Vnigenitus.

ANNVS Iubileus, ſiue plenaria remiſſio, quæ olim dabatur quolibet centeſimo anno, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, viſitantibus baſilicas beatorũ Petri, & Pauli, per iſtam extrauagant. ad annum quinquageſimum reducitur.

QVIA Summus Pontifex Clemens VI. attendit, quod annus quinquageſimus in lege Moſayca (quam non venit Dominus ſoluere, ſed ſpiritualiter adimplere) Iubileus remiſſionis, & gaudij, ſacerq; dierum numerus, quo lege fit remiſsio, cenſebatur. Leuit. cap. 25. quodque ipſe quinquagenarius numerus in teſtamentis, veteri quidem ex legis datione, nouo ex viſibili Spiritus ſancti in diſcipulos miſsione, per quem datur peccatorum remiſsio, ſingulariter honoratur; quodq; huic plura, & grandia diuinarum adaptantur myſteria ſcripturarum; & quod pauci, multorum reſpectu, propter vitæ hominum breuitatem, valent ad annum centeſimum peruenire. vt in tex. Et quoniam indulgentiarum theſaurus fundatur principaliter ſuper meritum Paſsionis Chriſti, quod eſt infinitum; ad cuius quidem theſauri cumulum, beatæ Dei genitricis, & omnium electorum, à primo iuſto vſque ad vltimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur; de cuius conſumptione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum; tam propter infinita Chriſti merita; quàm pro eo, quòd quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad iuſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum. Quem quidem theſaurum per beatum Petrum cæli clauigerum, eiuſque ſucceſſores, ſuos in terris vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum; & proprijs, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſsione pœnæ tẽporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm ſpecialiter (prout cum Deo expedire cognoſcerent) verè pœnitentibus, & confeſsis miſericorditer applicandum. vt in tex. & S. Thom. par. 3. q. 2. art. 1. in addit. Ideo ipſe Summus Pontifex Clemens Sextus hæc conſiderans, & volens quamplurimos huiuſmodi indulgentiæ fore participes, de ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium conſilio, conceſsionem indulgentiæ anni Iubilei, quam Bonifacius VIII. quolibet anno centeſimo eſſe volebat, ad annum quinquageſimum reduxit. Et addidit tertiam eccleſiam viſitandam, videlicet, ſancti Ioannis Lateran. Declarans, quod ſi accedentes ad indulgentiã huiuſmodi, poſt iter arreptum impediti legitimè, quominus ad Vrbem illo anno valeant peruenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo, in Vrbe deceſſerint; eandem indulgentiam conſequantur; & in-

super nihilominus omnes,& singulas indulgentias,tam per eum,quàm per prædecessores suos Roman. Pontifices,tam præfatis tribus ecclesijs,quàm alijs de dicta Vrbe concessas,confirmauit, & innouauit.vt in tex. Quomodo autem deinde Martinus V. magis abbreuiauerit; & Paulus Secundus etiam reduxit ad vigesimum quintum annum; & deinde Sixtus Quartus confirmauit, cum reuocatione omnium aliarum plenarium indulgentiarum,habetur infr.in c.quemadmodum.

Cap.3. Etsi Dominici.

CONSTITVTIO casus Papæ reseruatos comprehendens,certis ex causis hic ponitur; à quibus nullus potest absoluere, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ.

QVIA etsi Dominici gregis saluti Summus Pontifex semper intentus,singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere studeat,per quæ (peccatorum móle deposita) salus ipsa succedat,& ab hostis humani generis seruitute ereptas animas lucrifaciat altissimo,qui ipsi eas sua bonitate commisit.vt in tex. & in proœm.sexti. Tamen quoniam id propensiori studio præcauendum esse censet, ne cuiusuis indulgentiæ, remissionis,vel facultatis obtentu, Christi fideles procliuiores ad illicita committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum. vt in tex. & c.vt clericorum.extr. de vit. & hon. cler. Ideo quosdam casus grauiores Summus Pontifex sibi reseruat, à quibus nemo possit absoluere, sine eius licentia speciali. vt in tex. & in Bulla cœnæ Domini, vbi,qui sint illi casus,specialiter enumerantur.

Cap 4. Quemadmodum.

BVLLA confirmationis anni Iubilei, publicata apud sanctum Petrum in die Natiuitatis Domini, in qua continetur,quòd annus Iubileus est ad breuius tempus reductus, quàm olim esset; quoniam vigesimoquinto quoque anno, cunctis fidelibus basilicas Vrbis Romæ hic expressas visitantibus,illius indulgentiæ conceduntur.

QVIA quemadmodum operosi, vigilisque pastoris solertia,oues suæ custodiæ deputatas, curat à ferarum præseruare incursibus, & ad statum prosperum fœtu multiplicato producere; ita & Summs Pontifex (cui dispositione superna, vniuersi gregis Dominici solicitudo commissa est) & supremis desiderat affectibus, & studijs nititur indefessis, cunctos Christifideles, quos à iustitiæ semita hostis humani generis diabolica fraude auertit, deposita peccatorum sarcina, suo reconciliare auctori,vt æternæ fœlicitati, præmijs nostri Redemptoris, inæstimabili charitate media, potiantur. vt in tex. & supr.extrauag. vnigenitus. Et quoniam distantia quinquaginta annorum, videbatur nimis longa, vt quamplures possent

possent ad Iubileum, Romam accedere. vt per extrauag. Pauli II. incip. etsi Dominici. Ideo ipse Paulus II. illum reduxit ad annum vigesimum quintum, addendo, vltra basilicas sanctorum Petri, & Pauli, & sancti Ioannis Lateran. etiam basilicam sanctę Mariæ Maioris; quam reductionem Sixtus Quartus per hanc suam constitutionem confirmauit, & approbauit. vt in tex. & Nauar. de Iubileo in comment. Bullæ Gregor. XIII. n. 33.

ET illo durante, aliæ indulgentiæ vbique cessant.

QVIA si illæ indulgentiæ tunc perdurarent, propter illas, populorum forsan concursus, ad basilicas, & ecclesias Vrbis antedictas retardari, aut ipsius anni Iubilei celebritas minui, vel intermitti posset, cum animarum non modico detrimento. vt in tex. Et quoniam Papa vniuersorum credentium profectibus, & saluti proficere ex debito ministerij pastoralis adstringitur. vt in tex. & c. cuncta. 9. q. 3. Ideo ne propter alias indulgentias à Summis Pontificibus concessas, hoc sanctum opus, ac remissionis, & gratiæ annus Iubileus intermittatur; aut fideles ipsi à tanto munere reddantur expertes, remedijs opportunis Summus Pontifex Sixtus Quartus prouidere volens; omnes, & singulas plenarias indulgentias quomodocunque, & cuicunque extra Vrbem concessas, vsque ad suum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendit, illasque durante beneplacito suo, & sedis prædictæ, suspensas esse vult; nec interim alicui suffragari; indulgentijs tamen basilicarum, & ecclesiarum Vrbis, in suo plenario robore durantibus. Districtius inhibens, alias indulgentias (præter istas duntaxat) in locis publicis, vel priuatis prædicari, aut nuntiari, earumque prætextu, à quæstoribus aliquid exigi quoquomodo. Quinimo quæstores, & prædicatores quoscunque per locorum ordinarios, à prædicationibus, & quæstis huiusmodi faciendis, vult, & mandat, præsentium auctoritate arceri, sub censuris, & pœnis ecclesiasticis, de quibus visum fuerit opportunum. vt in tex. & Nauar. de Iubileo. in §. in Leuitico. notab. 28.

Cap. 5. Etsi Dominici.

SIXTVS tempore suo, multis multas concesserat indulgentias, quas certis ex causis hic reuocat.

QVIA etsi dominici gregis saluti, Summus Pontifex semper intentus, singulis cum humilitate poscentibus, ea benignè concedere studeat, per quæ (peccatorum mole deposita) salus ipsa succedat, & ab hostis humani generis seruitute ereptas animas, lucrifaciat altissimo, qui ipsi eas, sua bonitate commisit. vt in tex. & supr. c. prox. Tamen quoniam propensiori studio debet præcauere, ne cuiusuis indulgentiæ, remissionis, vel facultatis obtentu, Christi fideles procliuiores ad illicita committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum. vt in tex. & supr. extrauag. etsi Dominici. Ideo cum ob multitudinem facultatum & in-

& indulgentiarum, quas ipse Summus Pontifex Sixtus Quartus diuersis concesserat, multi ad peccandum, & ad illicita committenda procliuiores existerent, in non paruum periculum salutis animarum suarum; ipse, qui eiusdem gregis dominici tunc causam gerebat, & illum spiritualis thesauri elargitione cupiebat Deo reddere acceptabilem; ne exinde clauium auctoritas deduceretur in contemptum, ipsique ad peccandum procliuiores, liberius prolabarentur; facultates, & indulgentias amplas multis concessas reuocauit, & eas voluit non valere, nisi de nouo concederentur, cum speciali derogatione præsentis constitutionis. vt in tex. & ad hæc vide Nauar. de Iubileo. §. in Leuitico. notab. 28.

Liber Quintus. Titulus XXXIX.

DE SENTENTIA excommunicationis.

In Decretal. Cap. 1. Super eo.

IMPVBES, qui clericum percussit, ab Episcopo absolui potest.

QVIA puer, quamuis si sit doli capax, veniat pro delicto puniendus, tamen non debet ita seuere puniri, sicut maior. c. 2. de delict. puer. Et quoniam pro iniectione manuum in clericum, duæ pœnæ inferuntur; vna, quia incidit quis in excommunicationem; alia, quia pro absolutione tenetur ire ad Papam. c. si quis suadente. 17. q. 4. Ideo minor ætas non excusat in tali casu ab excommunicatione, si ille est doli capax, sed alleuiat pœnam, ne teneatur ire ad Papam pro absolutione, & sic cōceditur, vt illam possit dare Episcopus. vt in tex. & infr. c. fin. Si vero non esset doli capax, excusaretur etiam ab excommunicatione, & sic in totum. Host. hic; quia talis ætas quid videat, ignorat. c. eos. de consecr. dist. 4. & l. 1. in fin. C. de fals. mon. & peccatum non est, nisi voluntarium. infr. c. cum voluntate.

ET qui ioco, vel causa disciplinæ percutit clericum, etiam si sit maior, excōmunicatus non est; qui vero odio, sic; & per Papam absoluitur.

QVIA in eo, qui ioco, vel causa disciplinæ percutit, non potest iniectio manuum violenta notari: vt in tex. & infr. c. cum voluntate. Et quoniam canon. Si quis suadente, requirit dolum; vt patet ibi, *si quis suadente diabolo*. Tria enim regulariter requiruntur ad incurrendam illam excommunicationem: Primo requiritur factum; quod denotant verba illius

lius canonis,ibi; *manus iniecerit,&c.* Vnde si mandantur iniici,sed non habuit effectum,non est excommunicatus. Item si eleuauit manum,vt percuteret, non tamen percussit, glos. in c. si quis pulsatus. de pœnit. dist. 1. Quid autem de spuente, vel deturpante vestem clerici? dic,quod incidit in canonem. vt per glos. in d.c.si quis suadente. Secundo requiritur animus iniuriandi, quia si percutit iocosè, non est excommunicatus. vt hic. & hoc etiam indicant verba illius canonis,ibi, *suadente diabolo, &c.* Tertio requiritur violentia, vt hic,in fin. & in d.c.ibi, *manus violentas,&c.* Quandoq; tamen non requiruntur omnia ista tria; nam quandoque sufficit factum sine iniuria.vt infr. c.vniuersitatis. & c.contingit. Quandoque sufficit iniuria pro violentia. vt infr. c. nuper. & ratio fallentiæ assignabitur ibi. Ideo si clerici intra puberes annos, se adinuicem,aut vnus alterum percusserit,non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat. Nec clerici, si sunt plenæ ætatis, & non odio, vel inuidia,vel indignatione,sed leuitate iocosa, se adinuicem percutere contingat;neque magister, si scholarem clericum intuitu disciplinæ, vel correctionis percusserit, quia non potest in ipsis iniectio manuum violenta vocari. Cæterum si ex odio ijdem scholares, vel sæculares clerici, sese percusserint,pro sua absolutione,debent ad Apostolicā Sedem venire.vt in tex. & infr.c.ex tenore.

Cap. 2. Monachi.

MONACHOS se adinuicem percutientes absoluit Abbas. Idem in canonicis regularibus; & Abbatis discretione deficiente, recurritur ad Episcopum.

QVIA communio est mater discordiæ. l. cum pater. §. dulcissimus. ff. de leg. 2. Et quoniam monachis est auferenda occasio euagandi. c. placuit,il 2. 16. q. 1. Ideo ne monachi habeant facile materiam euagandi, conceditur, quod si monachi,& canonici regulares quocunque modo se in claustro percusserint, non sint ad Apostolicam Sedem mittendi; sed secundum prouidentiam sui Abbatis, disciplinæ subdantur;& si discretio Abbatis non sufficit ad eorum correctionem, est prouidentia diœcesani Episcopi adhibenda. vt in tex. & c. quanto. de offic.ord. Si autem monachus percuteret Episcopum, aut Abbatem, aut clericum sæcularem, non absoluit Abbas; sed tunc dic. vt infr. in c. cum illorum, & in 6.c.religioso. Si verò monachum alterius monasterij percusserit, per Abbatem vtriusque monasterij debet absolui.infr.c. canonica. Monialis autem alteram percutiens, absoluitur per Episcopum.infr.c.de monialibus.

Cap. 3. Si verò, il 1.

OSTIARIVS, qui clericum percussit non grauiter, ab Episcopo absolui potest.

QVIA delictum commissum prætextu officij alleuiatur, quando delinquens modum excessit; nam videtur motus bono zelo.c.olim,il 1.

de

de restit. spol. Sed quoniam deliquit, excedendo modum, licet delictum alleuietur ratione principij liciti. c.significauit. de pœnit.& remiss.Ideo si alicuius potestatis ostiarius, sub prætextu sui officij malignatus, clericum læserit, ab Episcopo suo potest absolui, nisi forte eundem clericum grauiter vulnerauerit.vt in tex.& infr.c.cum illorum.

OFFICIALIS deliberate inijciens manum in clericum, per Papam absoluitur.

QVIA nulli laico super clericum tanta datur auctoritas, vt in eum possit inijcere manum.vt in tex.& c.ecclesia. de constit. Et quoniam hoc delictum, est valde graue, cum non solum inferat iniuriam, sed etiam vsurpet in clericum iurisdictionem. c. non minus. de immunit.eccl. Ideo officialis pro iniectione manuum in clericum, non potest sine mandato Ro. Pont.absolutionis beneficium promereri; quia nulli laico super clericum tanta datur auctoritas, nisi fortè turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, sed fortuito casu clericum lædat. vt in tex. & c.aduersus.de immunit.eccl.

QVI repellendo vim vi, clericum percussit, excommunicatus nõ est.

QVIA vim vi repellere, omnes leges, omniaque iura permittunt.vt in tex. & c.2. de homicid.Et quoniam excommunicatio non fertur, nisi pro peccato mortali. c. nullus. 11.q.3. Ideo si clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc, ad Sedem Apostolicam transmitti, si incontinenti vim vi repellat.vt in tex.& infr.c. ex tenore. Et sic solum factum non sufficit ad incurrendam talem excommunicationem, sed requiritur animus iniuriandi. vt not. supr. in c.1. Et intellige, quod percutiens clericum, se defendendo, excommunicatus non est, quando clericus volebat iterum percutere; secus autem si clericus percutiens destitit, quia tunc ipsum percutiens esset excommunicatus, nam hoc non esset repellere violentiam, sed exercere vindictam. Innoc.hic.arg. l.scientiam.§.qui cum aliter.ff.ad leg.aquil. & d.c.olim.de rest.spol.

QVI percutit clericum turpiter inuentum cum propinqua, excommunicatus non est.

QVIA difficillimum est, huiusmodi iustum dolorem temperare. l.si adulterium. §.fin.ff.de adult. Et quoniam excommunicatio in ecclesia Dei est maxima pœna. c. nemo. 11. q. 3. & pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Ideo nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia propria, turpiter inuentum, manus iniecerit violentas. vt in tex.& ad id l. Gracchus.C.ad leg.Iul.de adult.

SECVS, cum remota.

QVIA

QVIA culpa est, immiscere se rei, ad se non pertinenti. l.culpa.ff.de reg.iur. Et quoniam à percussione clericorum, curandũ est, vt quantum fieri potest, abstineatur. c.si quis suadente. 17.q.4. Ideo ille, qui clericum in stupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, cœperit, aut in eum violentas manus iniecerit, non erit à sententia excommunicationis immunis. vt in tex.& supr.c.1.

Cap. 4. Si verò, il 2.

QVI percutit clericum, ignorans probabiliter eum clericum, excommunicatus non est, ignorantiam tamen probare debet per iuramentum; & si hoc præstare recusat, pro excommunicato haberi debet.

QVIA ignorantia facti, non iuris excusat. c. ignorantia.de reg.iur. in 6. Et quoniam vbi est dubium, in dependentibus à conscientia alicuius, statur iuramento illius. c. vt circa.de elect.in 6. nec ignorantia posset aliter probari. c. nulli.d. tit. Et ad incurrendam istam excommunicationem, requiritur animus percutiendi clericum; quod indicant verba illius canonis; Si quis suadente; dum dicit; *si quis suadente diabolo, &c.* Abb. hic. Ideo si aliquis in clericum nutrientem comam, manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione nodari, dummodo ipsum esse clericum, ignorauerit. Vel si hoc dubium fuerit, propria manu duntaxat præstiterit iuramentum, quòd eum esse clericum, ignorasset. Ab illo autem (si præstare noluerit iuramentum) quia violentas manus, constat eum in clericum iniecisse, sicut ab excommunicato, donec de mandato Summi Pontificis absoluatur, conuenit abstinere. vt in tex.& infr.c.in audientia.

Cap. 5. Non dubium.

PERCVTIENS clericum, vel religiosum, excommunicatus est, nec ab alio, quàm à Papa absoluitur, præterquã in mortis articulo.

QVIA dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c.cum in cunctis. de elect. Sed quoniam medicinalis est excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat. c.1.infr.in 6. Ideo non dubium est, quòd hi, qui violentas manus in clericos, vel canonicos, aut cuiuslibet religionis conuersos, inijciunt, ex constitutione concilij sententiam excommunicationis incurrunt, nec, nisi in articulo mortis, sine Rom.Pont. absolutione, possunt beneficium impetrare. vt in tex.& c.si quis suadente. 17.q.4.

Cap 6. Mulieres.

MVLIERES, quæ inciderunt in canonem; si quis suadente; absol-

soluuntur ab Episcopo. Idem in personis, quæ non sunt sui iuris, vel sunt delicatæ, de quibus dubitatur, quòd non possent commodè accedere ad curiam.

QVIA mulieres vagari non conuenit, nec virorum cœtibus immisceri.c.mulieres.de iudic.in 6.& l.maritus. C.de procur.Et patri,vel domino non debet per factum filij, vel serui iniqua conditio afferri. c.non debet.de reg.iur.in 6.Et nemo ad impossibile obligatur.c.nemo.d.tit.in 6. Et quoniam lex debet esse honesta, iusta, possibilis, secundum naturam,& secundum consuetudinem patriæ,loco,temporique conueniens;necessaria, & vtilis.c.erit.dist. 4. Ideo mulieres, vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, ab Episcopo diœcesano absolui possunt, si manus in clericum iniecerint violentas. De his verò, qui magnæ sunt potentiæ, & ita delicati, quòd laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeunt sustinere; status personæ prius, & veritas negotij est intimanda Romano Pontifici, & secundum consilium eius,tales erunt de commisso scelere corrigendi. vt in tex.& infr.c.relatum.

§. Illi verò.

MANDANS clericum percuti, excommunicatus est, sicut percutiens.

QVIA qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.c.qui facit.de reg. iur. in 6. Et quoniam vbi est eadem ratio, debet statui idem ius.l.illud.ff.ad leg. Aquil. Ideo illi,qui non per seipsos, sed eorum auctoritate,vel mandato, alij violenter injiciunt manus in clericos,ad Sedem Apostolicam sunt mittendi; cum is committat verè,cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. vt in tex. & c.cum quis. infr. in 6.

Cap.7. Porrò.

EXCOMMVNICATVS per iniectionem manuum in clericum,licet occultus,absoluitur per solum Papam.

QVIA delictum etiam occultum afficit delinquentem. Clem.1.in §. verùm.& ibi glos.de hæret. Et quoniam canon inferens in percussorem clerici excommunicationem, non distinguit inter occultum, & manifestum. c.si quis suadente. 17.q.4. Ideo si aliqui violentas manus in clericos injiciunt,& ducti pœnitentia, non conuicti, sed priuatim ab Episcopo veniam postulant, eos monere debet, & inducere, vt ijs, quos læserunt, congruè satisfaciant, & Apostolico se conspectui repræsentent,cum ab ipso Episcopo, vel alio, sine speciali mandato Romani Pontificis absolui non possint. vt in tex.& c.2.de pœnit.& remissionib.

Cap.

Cap. 8. Nulli.

ETIAM priuilegiati tenentur vitare excommunicatum, & pro iniectione manuum in clericum, excommunicati sunt.

QVIA prætextu priuilegij, nemo debet vilipendere neruum ecclesiasticæ disciplinæ. c. vt priuilegia. de priuil. Et quoniam in ecclesia nulla est maior pœna excommunicatione. c. corripiantur. 24. q. 3. Et omnes præcipiuntur, excommunicatos vitare, exceptis quibusdam personis, quæ ex necessitate, vel alia rationabili causa, à iure permittuntur. vt infr. in c. quod in dubijs. c. inter. & c. cum voluntate. Ideo nulli se possunt priuilegio Apostolicæ Sedis tueri, quominus excommunicatos vitare debeant, & pro violenta manuum iniectione in clericos, sicut excommunicati vitari. vt in tex. & c. cum & plantare. §. 2. de priuil.

Cap. 9. Parochianos.

PERCVTIENS monachum, vel conuersum religiosum, debet denuntiari excommunicatus, & vitari, donec per Papam fuerit absolutus.

QVIA excommunicatio maior non solum separat à perceptione sacramentorum, sicut facit minor, sed etiam separat à communione fidelium. infr. c. penult. Et quoniam percutiens clericum, vel alium religiosum, incurrit maiorem excommunicationem, ipso facto. c. si quis suadente. 17. q. 4. denuntiatio tamen fit, ne alij possint prætendere ignorantiam de illo facto. infr. c. cum desideres. Ideo Episcopi, & alij Prælati subditos suos, si qui in monachos, vel conuersos, aut clericos, violentas manus iniecerint, sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti, excommunicatos publice nuncient, ipsosque faciant, sicut excommunicatos, arctius euitari; donec læsis congruè satisfaciant, & cum eorum literis, Apostolico se conspectui repræsentent. vt in tex. & supr. c. non dubium. Vnde nota, quod incidens in sententiam canonis, si quis suadente; debet denunciari publicè excommunicatus; & hoc spectat ad officium Prælatorum, etiam nemine requirente. vt in tex. sed ex quo hic dicitur, quod incidẽs in hãc excommunicationẽ, debet literis ordinarij se conferre ad curiã pro absolutione; quæritur, quid si iret sine talibus literis? Dic; quod nihilominus absolueretur. arg. infr. in c. sacro. & c. cũ pro causa. Sed tunc solet talis remitti absoluendus, ad ordinarium loci, vt appareat, an expresserit falsam causam in absolutione. arg. c. ex parte. de offic. ord. Deferuntur ergo istæ literæ ordinarij, vt appareat de veritate, & serie facti, propter quod incidit in excommunicationem. Abb. hic Et si velles opponere contra hanc literam remouentem appellationem; dicendo; videtur, quod possit appellari, ne fiat ista denunciatio, cum possit percutiens clericum, prætendere excusationem; nam fortè eum percussit, se defendendo,

vel

vel eum non cognoſcendo; & ſic in excommunicationem non incidiſſet;& pro hoc. c. peruenit. de appell. vbi dicitur, deferendum tali appellationi. Reſpond. quod, aut notoriè conſtat talem incidiſſe in excommunicationem, & tunc habet locum iſta litera, vt appellatio non habeat impedire vires denunciantis, cum per talem denunciationem amplius non ligetur, pro hoc c. paſtoralis. de appell. Quandoque verò ſic notoriè non conſtat, imo refricatur in dubium, vtrum percuſſerit, vel non, vel an ex cauſa eum excuſante;& tunc deferendum eſt appellationi,& ita loquitur contrarium. Item aduertè, quod vbi notoriè non conſtat de tali excommunicatione, debet ordinarius ante denuntiationem facere citare illum, quem denunciare excommunicatum intendit, quatenus defendat ſe, ne denuncietur excommunicatus, pro hoc vide gloſ. in Clem. præſenti. de cenſib.& in Clem. 2. de pœnis. Et debet iudex, receptis probationibus, denunciare talem incidiſſe in canonem; & ab hac denunciatione poterit appellari, niſi notoriè conſtet de contrario. Abb. hic; quia à ſententia legis non appellatur, tamen à ſententia iudicis declarantis, quem incidiſſe in pœnam legis, appellari poteſt. gloſ. in c. cupientes. de elect. in 6.& not. in c. cum ſecundum leges. de hæret. in 6.

Cap. 10. Ex tenore.

PONITVR forma præcepti, quod ſub virtute iuramenti fieri debet illi, qui pro violenta manuum iniectione in clericum, excommunicatus abſoluitur.

QVIA curandum eſt, vt qui in culpa fuit ſtultus, pœna fiat ſapiens. c. qui ea. diſt. 38. Et quoniam vbi timetur de obſeruantia alicuius, vt magis timeat contrauenire, poteſt à ſuperiore ad illam adſtringi per iuramentum. c. ego N. & c. etſi. de iureiur. Ideo ſi quis in clericum manus iniecerit violentas; ille, cui à Papa committitur eius abſolutio, debet ab eo recipere iuramentum, quod ſuo debeat mandato parere, & poſtea ipſum, vice Papæ, à ſententia, qua tenetur, abſoluere; ſibique in virtute iuramenti præcipere, ne de cætero in clericum, monachum, vel alicuius religionis conuerſum, manus iniiciat violentas, niſi ſe defendendo, aut de mandato ſuorum fecerit Prælatorum, vel niſi ſuper eum prælationis miniſterium, aut magiſterium habeat, aut cum ipſo in eadem eccleſia ſocius eſſe noſcatur. vt in tex.& c. ad hæc, il 2. de appell.

Cap. 11. De cętero.

EXCOMMVNICATVM pro percuſſione clerici abſoluit Epiſcopus, ſi ſine periculo Papam adire nequit; debet tamen ſibi mandare, quod adeat Papam, impedimento ceſſante.

QVIA

QVIA in omni edicto intelligitur excepta omnis iusta excusatio. c.inter.& c. fin. de cler. non resid. sicut & in omni mandato. c. si quando. de rescr. quantumcunque præcisè scribatur. c. ex parte, il 2. de offic. deleg. & in omni iuramento. c. quemadmodum. de iureiur. & l. fin. ff. qui satisd. cog. Sed quoniam est cauendum, ne prætextu impedimenti instantis, censuræ illudatur ecclesiasticæ. c. eos. infr. in 6. Et ne facilitas veniæ, sit incentiuum delinquendi. c. vt clericorum. de vit. & hon. cler. Ideo si quis pro violenta manuum iniectione in clericum, est vinculo excommunicationis adstrictus, si habens capitales inimicitias, vel alias iustas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita quod sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare; statuitur, vt liceat diœcesano Episcopo, recepto iuramento secundum morem ecclesiæ, sibi absolutionis gratiam impertiri. Sed est illi sub iuramenti debito iniungendum, vt quamcitius opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, mandatum Apostolicum suscepturus. vt in tex. & infr. c. quamuis. Et ex quo tex. hic dicit, mandatum Apostolicum suscepturus; nota, quod talis, aut, opportunitate captata, vadit ad Papam, & tunc non petit denuo absolutionem, sed recipiet mandatum Apostolicum duntaxat. vt in tex. Si verò opportunitate habita, non adit Papam, tunc est periurus, quia non seruauit iuramentum, & reincidit in eandem sententiam excommunicationis; non quod prima reuiuiscat, quia iam est absolutus, & obligatio semel extincta non reuiuiscit. l. quæ res. §. arcam. ff. de solut. & c. quæris. de consecr. dist. 4. Sed est noua excommunicatio à iure lata propter contemptum istius. d.c.eos. & potest cogi per ecclesiam, vt iuramentum seruet. c. nouit. de iudic.

Cap. 12. Ad hęc.

CVM Papa absolutionem excommunicati delegat, mandat recipi cautionem, de parendo mandatis ecclesiæ.

QVIA curandum est, ne ecclesiasticæ censuræ illudatur. c. eos. infr. in 6. Et quoniam si absoluendus ab excommunicatione, non caueret, de parendo mandatis ecclesiæ, sæpe pars, cui satisfieri debet, & ecclesia, quæ pœnitentiam imponit, illuderentur, eo, quòd absolutus satisfacere non curaret. supr. c prox. Ideo Romana ecclesia absolutionem sententiæ delegatorum iudicum, nequaquam consueuit alijs delegare; nisi in literis commissionis contineatur expresè de sufficienti cautione præstanda ab ijs, qui absolui debent, quod iudicio ecclesiæ debeant obedire. vt in tex. & supr. c. ex tenore. Et intellige, quod solet fieri absolutio sub ista cautione, quando non constat notoriè de manuum iniectione in clericum; nam si constaret notoriè, non deberet fieri absolutio, nisi prius fieret satisfactio. infr. c. prox. & c. ex parte, il 1. de verb. sign.

Cap. 13. Ea noscitur.

EXCOMMVNICATVS per canonem; si quis suadente; sit diues, vel pauper, per Papam absoluendus est, vel eius Legatum; fallit in muliere, sene, infirmo, vel mutilato, qui per Episcopum absolui possunt.

QVIA talis excommunicatio est regulariter Papæ reseruata. c. si quis suadente. 17. q. 4. Sed quoniam istæ personæ debiles non possunt itinerare ad Papam. supr. c. mulieres. & excommunicatio est medicinalis, nõ mortalis; disciplinans, non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat. infr. c. 1. in 6. Ideo mulieres, senes, & valetudinarij, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam Sedem non veniant, conceditur, vt ab Episcopis valeant fidelium communioni restitui, satisfacto iuxta facultates suas, ijs, quibus per eos constiterit iniurias irrogatas. Alios autem, siue pauperes, siue diuites, Sedi Apostolicæ, vel eius Legato, vt beneficiũ absolutionis obtineant, necesse est præsentari. Si verò infirmitatis tempore, timore mortis beneficium fuerit absolutionis indultum, iuramento præstito, iniungatur eisdem, vt postquam sanitati fuerint restituti, ad Romanam ecclesiam, vel eius Legatum accedant, mandatũ Apostolicũ super talibus recepturi. vt in tex. & infr. c. quamuis.

Cap. 14. Cum non ab homine.

ANTE denuntiationem, vitandus est excommunicatus pro violenta manuum iniectione in clericos, nisi sit occultus.

QVIA excommunicatio secum trahit executionem; & excommunicatus per denuntiationem amplius nõ ligatur. c. pastoralis. de appell. denuntiatio autem non fit, nisi propter ignorantes. c. ita quorundam. de Iudæis. nam eũ, qui scit, certiorari non oportet. c. si inimicus. dist. 95. & l. 1. ff. de act. empt. Sed quoniam daretur facilè materia aliquem falsò infamãdi, si occultus excommunicatus, qui de hoc conuinci non possit, esset publicè euitandus; sæpe enim quis diceret se euitare alium, eo quod sciret eum esse excommunicatum; licet re vera non esset. c. placuit. 6. q. 2. Ideo à communione illius, qui pro sacrilega manuum iniectione in clericum, incidit excommunicationis incidit; licet denuntiatus non sit, debes abstinere; nisi fortè id tibi soli pateret, in quo casu ipsum priuatim tantummodo euitabis, quàmdiu ab ecclesia toleratur; vt saltẽ verecundiæ rubore suffusus, pro latenti excessu satisfacere cõpellatur. vt in tex. & c. si tantũ. 6. q. 2.

INTERFICIENS clericum, qui, contempto clericali habitu, se enormitatibus immiscuit, excommunicatus non est.

QVIA indignum est, eis ab ecclesia subueniri, per quos constat in ecclesia scandalum generari. c. sacerdotibus. ne cler. vel mon. Et quoniam

niam magnum scandalum in ecclesia Dei generatur, cum clericus, dimisso habitu, & tonsura, enormitatibus se immiscet. c. 1. de apostat. & talis ab ordine clericali dicitur apostatare. S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. Ideo occisores clericorum, aut presbyterorum, qui, contempto clericali habitu, tyrannidi, & enormitati se inuerecundè immiscent; in odium clericalis excessus, & terrorem, atque correctionem similium, canone latæ sententiæ minimè coercentur; iniungatur tamen eis pœnitentia competens, aliquantulum asperior, quàm si in laicos talia commisissent. vt in tex. & infr. c. perpendimus. & vide ad hæc Diaz. in pract. can. crim. cap. 104.

Cap. 15. Cum desideres.

***ANTE** absolutionem communicandum non est excommunicato, licet iurauerit parere mandatis ecclesiæ, vel composuerit cū offenso.*

QVIA formæ defectus reddit actum nullum. l. cum hi. §. prætor. ff. de transact. Et quoniam forma absolutionis ab excommunicatione est, vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia consueta. vt infr. in c. à nobis, il 2. & c. cum aliquis. 11. q. 3. Ideo si quæratur, vtrum alicui excommunicato, qui mandato ecclesiæ stare iurauit, & ante absolutionem Episcopus ei communionem reddidit, sit communicandum ab alijs, & an Episcopus id facere debeat; Respondetur, quod cum cautio iuratoria, quam hodie, qui excommunicati sunt, præstant, potius ad cautelam ex consuetudine ecclesiæ, quam rigore canonum sit inducta, neque momenti tam validi reputetur, quod nisi absolutionis beneficium subsequatur, ille, qui excommunicatur, debeat communioni aliorum restitui, præsertim cum ex eo iuramento absolutionem consecutus non sit, & constet eum excommunicatum fuisse, & verum sit absolutum non esse; nec Episcopus, nec alij debent communicare eidem, nisi fuerit secundum formam ecclesiæ, post iuramentum præstitum, absolutus; quia qui cum excommunicato scienter communicauerit, excommunicationis pœnam contrahit cum eodem. Similiter si quæratur; si clericus verberatus, Episcopo mediante, cum suo verberatore composuerit, & ille reconciliatus sibi fuerit, an per hoc is debeat ad aliorum communionem admitti? Respondetur, quòd licet ille, qui violentas manus iniecit, ei, quem læsit, satisfecisse taliter videatur; ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur; & nisi forma ecclesiæ, quæ pro absolutione talium introducta est, obseruetur, non est communicandum eidem. vt in tex. & infr. c. super eo.

***INFAMATO** de excommunicatione, communicandum non est, nisi se purget, vel ad cautelam absoluatur.*

QVIA hoc casu tractatur de modico præiudicio, & de fauore animæ, Abb. hic. Et quoniam in causis modici præiudicij, fama habetur pro sufficienti probatione. Bart. in l. de minore. §. plurimum. ff. de quæstion.

maximè quando tractatur de animarum periculo euitando. Abb.in c.2.de consang.& affinit. Ideo si publica fama est,aliquem verberasse clericum ; nec Episcopus, nec alius communicare sibi debet, nisi ad arbitrium Episcopi,de hoc se purgauerit, vel ad cautelam absolutionis beneficium consequatur.vt in tex.& c.licet.infr.in 6.

Cap. 16. Veniens.

SACERDOS eijciens regularem de ecclesia, officia diuina turbantem,excommunicatus non est.

QVIA talis sacerdos præsumitur eijcisse de ecclesia, huiusmodi perturbatorem diuini officij,bono zelo, & non animo iniuriandi. glos. hic. Et quoniam ad incurrendam excommunicationem pro violenta manu in clericum, vel alium religiosum, requiritur animus iniuriandi. supr. c.1. Ideo si quis clericus, vel religiosus,fuerit ab aliquo sacerdote eiectus de ecclesia,eo quòd diuina officia perturbabat,& ipse hoc fecit, vt liberius posset circa diuinorum celebrationem vacare, sacerdos sic eijciens, excommunicationem non incurrit.vt in tex.& supr.c.ex tenore.

Cap. 17. Peruenit.

EXCOMMVNICATI pro leui manuum iniectione in clericum,possunt per Episcopum absolui.

QVIA licet quantumcunq; sit leuis percussio in clericum,ex quo est iniuriosa,excommunicatio Papæ reseruata incurratur.c. si quis suadente,& ibi glos.17.q.4. Tamen quoniã in remittenda iniuria, prout quæque res est, conuenit animaduertere.l.item apud Labeonem. §.ait prætor. ff.de iniur.& graue esset pro qualibet leui iniectione in clericũ, adire Sedẽ Apostolicam.Host.hic..Ideo de his absoluendis,qui clericis non enormem, sed modicam,& leuem iniuriam irrogarunt, Episcoporum arbitrio Summus Pontifex duxit cõmittendũ.vt in tex. & supr.c.si verò,il 1. Et si opponeres de d.c.si verò,vbi in casu speciali Episcopus absoluit, quãdo iniuria nõ est enormis;& ad idẽ.c.quoniam.de vit. & hon.cler.vbi hoc est priuilegiũ clericorum cõmuniter viuentium.Respond.distinguendo inter iniuriã leuem,mediocrem, & enormem ; vt pro leui iniuria quilibet Episcopus possit absoluere iure suo,auctoritate huius decretal. non autem hoc licet regulariter inferiori Prælato; nam hæc decretal. dirigitur Episcopo, vt patet ibi, *fraternitatis tuæ, &c.* Inferior enim ab Episcopo non appellatur frater, sed filius. vt in c. quam graui. de crim. fals. Pro iniuria verò mediocri, non potest Episcopus absoluere, nisi priuilegiatos, & hoc casu habent locum. d. c. si verò. & d. c. quoniam. supr. in contrarium adducta, & similia iura. Pro iniuria verò enormi, Episcopus regulariter non absoluit, nisi in necessitate, & vbi specialiter sibi committitur. Hostien. hic. Sed quæritur, nunquid Episcopus poterit absoluere laicos leuiter iniuriantes clericos. Respondetur, quod

sic;

fic; quia iste tex. loquitur indistinctè. Abb.hic; vnde non est intelligendus solum de clericis iniuriatoribus,vt quidam putabant.Host.hic. Et quæ dicatur iniuria leuis,quæ mediocris,& quæ enormis,recurrendum est ad arbitrium iudicis.arg.§.atrox. Instit.de iniur.& infr.c.cum illorum. Si verò Episcopus dubitat, an iniuria sit leuis, abstineat. Host. hic. arg. supr.c. porrò. Tutior enim via in dubijs est eligenda.c.iuuenis.de sponsal.

Cap. 18. Significauit.

CLERICVS, qui scienter, & sponte participat excommunicato in diuinis officijs, excommunicatus est excommunicatione maiori, & tantum absoluendus per Papam.

QVIA participans excommunicato in crimine,pro quo fuit excommunicatus, eandem sententiam excommunicationis incurrit.infr. c.si concubinæ. Et quoniam talis erat excommunicatus à Papa, quia celebrabat diuina post suspensionem. glos. & Abb. hic. Et inferior non potest tollere legem superioris. c. cum inferior. de maior. & obed.Ideo clericos, qui scienter, & spontè participauerunt excommunicatis à Papa, & ipsos in officijs receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitatur inuolui; quos etiam pro beneficio absolutionis habendo, ad Summum Pontificem, cum literarum Episcopi insinuatione, constat esse remittendos. vt in tex.& infr.c.nuper.

Cap. 19. Tua nos.

EXCOMMVNICATVS pro iniectione manuum in clericum,vel incendiarius post publicationem,à solo Papa absoluitur.

QVIA inijciens manum in clericum, sacrilegium incurrit.c. si quis suadente.17.q.4.Et pessima est, & horrenda incendiariorum malitia. c. pessimam. 23. q. 8. Et quoniam curandum est, ne facilitas veniæ sit incentiuum delinquendi.c.vt clericorum.de vit.& hon.cler.Ideo in odium huiusmodi criminum,& ad terrorem aliorum,statuitur, quod non solum, qui in clericos temerarias manus inijciunt, sed etiam incendiarij, ex quo sunt per ecclesiæ sententiam publicati,pro absolutionis beneficio,ad Apostolicam Sedem sunt mittendi. vt in tex. & infr.c.conquesti.& ad hæc vide pract.crim.Diaz.cap.98. & Nauar.in Manual.cap.17.n.100.

Cap. 20. Ad eminentiam.

LEGATI de latere absoluere possunt excommunicatos pro iniectione manuum in clericos.

QVIA sicut Legati de latere, honoris prærogatiua lætantur; ita dignum est,eos auctoritate fungi ampliori.c.1.de offic.leg.in 6.Et quoniam huiusmodi absolutio tendit in fauorem animarum, vt periculum moræ,quæ fieret eundo ad ipsum Papam, euitetur. glos. 1.in c.penult. de

offic.leg.Et Legati de latere (qui pars corporis Papæ esse intelliguntur.c.si quis. 6. q. 1.) ex officio legationis omnia possunt, nisi illa,quæ specialiter sibi Sedes Apostolica reseruauit.glos.2.in d.c.penult. Ideo quamuis absolutio ab excommunicatione pro iniectione manuum in clericos, Papæ reseruetur.c. si quis suadente. 17.q. 4. ex approbatione tamen Romanæ Ecclesiæ est inductum, vt ex ipso legationis officio, cōpetat Legatis de latere hæc absoluendi potestas. vt in tex.& c.quod translationem.de offic.leg.

Cap.21. A nobis, il 1.

GENERALIS excommunicatio non ligat, nisi subditos proferentis.

QVIA extra iurisdictionem iusdicenti non paretur impunè. c. 2.de constit. in 6. & l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. Et quoniam excommunicare,est actus iurisdictionis. c. excommunicatis.de offic.leg.Ideo si quis ita pronunciauerit; Quisquis furtum fecerit,excommunicatus sit; hæc generalis clausula, ad ipsius excommunicatoris subditos tantum refertur, non autem est generaliter extendenda ad illos,qui non sunt de iurisdictione ipsius; nisi fortè plus contulerit maior,& largior auctoritas delegantis. vt in tex.& c.quod autem.de pœnit.& remiss. Vnde & subditi extra diœcesim delinquentes,non ligantur. d.c.2.de constit.in 6.& c.nouit.de offic.leg. Illi verò,qui non erant subditi,si in diœcesi delinquant,bene ligantur.glos. hic ; nam ratione delicti, quis fit subditus, & sortitur forum illius, vbi delinquit.c.fin.de for.comp.& l.3.ff.de offic.præsid.

Cap.22. Conquesti.

QVI cum effractione spoliant ecclesias,excommunicati sunt,& per Papam tantum, post denuntiationem,absoluuntur.

QVIA huiusmodi crimen graue est,nec debet clausis oculis præteriri.vt in tex.& c.canonica.11.q.3. Et quoniam pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Ideo sacrilegi illi, qui cum effractione spoliant ecclesias, sunt nuntiandi excommunicati, & sicut excommunicati arctius euitandi, donec passis iniuriam congruè satisfaciant,& damna pro eis data resarciant, & cum literis Episcopi rei veritatem continentibus, Apostolico se conspectui repræsentent. vt in tex. & c. omnes.17.q. 4. Vnde circa hanc materiam distingue, quod aut quis rapit bona ecclesiæ sine incendio,seu effractione,& tunc non est ipso iure excommunicatus,sed excōmunicandus , etiam si essent res sacræ,vt calices.c.fin. de furt. & c.conquestus. de for.comp. aut ista rapina concurrit cum effractione,vt quia fregit ostium,seu parietem ecclesiæ, & inde bona subtraxit, & tunc est excommunicatus ipso facto. vt in tex.& d.c.canonica.

Cap.23. Perpendimus.

PERCVTIENS, vel etiam interficiens clericum, se, dimisso

cle-

clericali habitu, sæuis enormitatibus immiscentem, non tenetur ire pro absolutione ad Sedem Apostolicam.

QVIA indignum est, eis ab ecclesia subueniri, per quos constat in ecclesia scandalum generari. c. sacerdotibus. ne cler. vel mon. Et quoniam clericus, qui, dimisso habitu clericali, enormitatibus se immiscet, videtur apostatare, & in ecclesia magnum scandalum inducit. c. 1. de apostat. Ideo ecclesia ei non subuenit, vt eum percutiens, vel interficiens, excommunicationem incurrat. vt in tex. & supr. c. cum non ab homine. Priuilegium tamen fori, vt possit à iudice laico propter hoc puniri, non perdit, nisi post trinam admonitionem. infr. c. in audientia. & c. vnic. de vit. & hon. cler. in 6. Vnde talis debet statim restitui iudici ecclesiastico. c. si iudex. infr. in 6. & c. fin. de vit. & hon. cler. Quare autem facilius perdatur priuilegium canonis; si quis suadente; quàm priuilegium fori; dic, quia priuilegium canonis est inductum à iure positiuo, scilicet ab Innocentio II. vt in d. c. si quis suadente. 17. q. 4. Sed priuilegium fori est de iure diuino. c. quanquam. de censib. in 6. & glos. in c. si imperator. dist. 96. & ideo difficilius perditur. Innoc. in c. 2. de maior. & obed.

Cap. 24. Vniuersitatis.

IVDEX ecclesiasticus faciens percuti clericum per laicum, etiam causa disciplinæ, excommunicatus est; & ipse, & verberans, pro absolutione tenentur ire ad Papam.

QVIA si laicus percuteret clericum, etiam de commissione Prælati, hoc esset ignominiosum ordini clericali. c. illi, qui. 5. q. 5. & propter odium, quod multi laici solent portare clericis, sæpe laici exardescerent, & in percussione excederent. c. laicos. 2. q. 7. Et quoniam ordini clericali est maximè deferendum. c. duo sunt. 12. q. 1. & Authent. sed neque. C. de episc. & cler. Et clericus non debet ita seuerè verberari, sicut laicus. c. cum beatus. dist. 45. Ideo si quæratur, vtrum laicus incidat in excommunicationis edictum, qui ad iussionem Abbatis, in cuius seruitio commoratur, in clericum, monachum, aut conuersum, temerarias manus præsumit inijcere, maximè vbi causa non subest, propter quam debeat verberari; Respondetur, quod nisi causa regularis disciplinæ, hoc faciat Abbas in propria persona, vel (si necessitas vrget) per clericum, vel monachum fieri iubeat, tam qui tales verberari præcipit, quàm illi, qui verberant (etiam si causa subesset) excommunicationis sententiam, donec ad Apostolicam Sedem veniant, nequaquam euadunt. vt in tex. & c. sententia. 2. q. 7. Episcopo autem non licet suis manibus vnquam cedere, si potest habere clericum, per quem percutiat. c. non liceat. dist. 86. quia Episcopis sanctitas gloriam dereliquit ignoscendi. l. si quis in hoc genus. C. de episc. & cler.

Cap. 25. In audientia.

CLERICVS, vt laicus incedens, tertiò monitus non resipiscens, perdit priuilegium clericale.

QVIA frustra ecclesiæ implorat auxilium, qui committit in ipsam, vt in tex. & c. fin. de immunit. eccl. Et quoniam clericus tenetur incedere in habitu, & tonsura. c. clericis. de vit. & hon. cler. Et per trinam monitionem, contraueniens redditur inescusabilis. c. fin. d. tit. de vit. & hon. cler. Ideo si quæratur, vtrum clerici, qui arma militaria (relicto habitu clericali) gestare nullatenus erubescunt; si eis fuerit iniuria corporalis illata, vt se à captione redemerint; illa clericorum debeant immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum iniectione facta in clericum, excommunicatus quis ipso iure notatur; Respondetur, quod cum frustra ecclesiæ imploret auxilium, qui committit in ipsam; & lex sæcularium principum huic responso satis efficax afferat argumentum, qua manifestè cautum habetur; matronam, cuius pudicitia attentata fuerit, non posse iniuriam agere, si in veste meretricali fuerit deprehensa; huiusmodi clerici, si à Prælatis suis tertiò commoniti, militaria noluerint arma deponere, de priuilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent. vt in tex. & infr. c. contingit il 2. & arg. l. item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de iniur. Sed dices; quid si aliquis percussit laicum, credens, & volens percutere clericum; nunquid incidit in canonem? Respond. quod in veritate non est excommunicatus, licet de iniuria teneatur. glos. hic. & supr. c. si verò, il 2. Et circa materiam huius tex. vide, quæ notaui supr. in c. perpendimus. & Nauar. in Man. cap. 27. n. 80.

Cap. 26. Quod de his.

EXCOMMVNICATVS propter iniectionem manuum in clericum, impeditus ire ad curiam, potest ab inferiore absolui; sed impedimento cessante, tenetur curiam visitare, suscepturus mandatum Apostolicum.

QVIA in omni edicto intelligitur excepta rationabilis excusatio. c. fin. de cler. non resid. Sed quoniam est cauendum, ne prætextu impedimenti instantis, censuræ illudatur ecclesiasticæ. c. eos. infr. in 6. & ne facilitas veniæ sit incentiuum delinquendi. c. est iniusta. 23. q. 4. Ideo is, qui ob percussionem clerici, incidit in canonem excommunicationis latæ sententiæ, non aliter quàm per Sedem Apostolicam, vel eius Legatum, absolutionis potest beneficium obtinere; Nisi fortè in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel senectute tanta grauaretur, quod ad ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc, alio impedimento canonico retrahatur. Cæterùm ab his in forma sacramenti exigi consueuit, vt resumptis viribus, & opportunitate concessa, Romanam eccle-

ecclesiam in propria persona debeant visitare.vt in tex. & infr.c.quamuis. & de materia hac notaui plenius supr. in c. de cætero. & ad hæc vide S. Thom.par.3.q.24.art.1.& Nauar.in Man.cap.27.n.79.

Cap.27. Cum pro causa.

LIGATVS pluribus excommunicationibus, licet ex eodem facto; obtinens absolutionem, expressa vna causa, seu vna excommunicatione, non habetur pro absoluto quo ad aliam.

QVIA omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.c.1.infr.de reg.iur.& l.nihil. ff. eod. Et quoniam excommunicatus, potest iterum excommunicari.c.Engeltrudam.3.q.3.& c.ita quorundam. de Iudæis. Nam sunt duo effectus excommunicationis, scilicet, expellendi extra ecclesiam, & eiectum confirmandi; & licet quantum ad primum, ille, qui est excommunicatus, cum iam sit foris, amplius expelli non possit; bene tamen potest excommunicari quantum ad secundum effectum, vt eiectus confirmetur. glos. infr.in c.officij. nam funiculus triplex difficilius rumpitur.c.1.de treng.& pac. Et cum in absolutione sit attendēda mens absoluentis. Abb. hic. Et superior in hoc casu non intendat absoluere, nisi ex causa expressa. arg.c.ex parte.de offic.ord. Ideo si quis ob duplicem causam fuerit excommunicatus, & expresserit alteram tantum in literis, quas super absolutione sua impetrauit; ipse tanquam excommunicatus est euitandus, & pro altera causa satisfacere, si vult ab alia excommunicatione absolui, est compellendus.vt in tex.& infr.d.c.officij. Sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab vno iudice; & tunc quando absoluitur ab vna, intelligitur ab omnibus absolui, nisi contrarium exprimatur, vel nisi, cum quis absolutionem impetrat de vno tantum casu excommunicationis, cum pluribus excommunicatus sit. Quandoque est excommunicatus à diuersis iudicibus; & tunc absolutus ab vna excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera; nisi omnes alij ad petitionem eius, absolutionem eius confirmauerint, vel nisi omnes demandent vni absolutionem.S.Thom.par.3.q.24.art.3.in addit.& glos.in d.c.ex parte.

Cap.28. A nobis, il 2.

EXCOMMVNICATO decedenti in excommunicatione, quantumcunque contritus decesserit, non est communicandum ante absolutionem, nec pro eo orandum, licet sit quo ad Deum absolutus; sed si constat ecclesiæ de contritione præcedenti, absoluetur etiam post mortem ab eo, à quo viuus fuerat absoluendus.

QVIA iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; iudicium autem ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam

quam & fallere sæpe contingit, & falli. vt in tex.& c.Deus.24.q.3. Et quoniam propter hoc contingit interdum,vt qui ligatus est apud Deum, apud ecclesiam sit solutus;& qui liber est apud Deum,ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo,quo peccator ligatus est apud Deum,in culpæ remissione dissoluitur; illud autem, quo ligatus est apud ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur; quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat; quem prius Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit postmodum soluere suscitatum.Ioan.cap.11.vt in tex. Ideo quantumcunque se quis iuramento præstito, quod ecclesiæ mandato pareret,humiliare curauerit,quantumcunque pœnitentiæ signa in eo præcesserint, si tamen morte præuentus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere,quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, non dum tamen habendus est apud ecclesiam absolutus. Potest tamen,& debet ei ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendat. Nec obstat,quod ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque soluendi homines super terram, tanquam non possit soluere, & ligare sub terra sepultos,& quod legitur; non communicetur mortuo, cui non est communicatum & viuo; cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis,sed necessitatis articulus impediuit;& in certis casibus à canonibus denotatis, ligasse legatur ecclesia mortuos,& soluisse. Vt autem in vno pariter, & eodem negotio, & seruetur rigor,& mansuetudo ostendatur; statuitur, vt illius mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur,qui cum viueret,ab ea fuerat absoluendus; aliorum autem absolutio ex præmissa causa cæteris indulgetur, à quibus,dum viuerent, fuerant absoluendi. Absolutionis autem forma seruetur, vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tam oratione Dominica,quàm alia consueta. vt in tex.& c.cum aliquis.11.q.3.& S.Thom.par.3.q.21.art.4. in addit.

ET hæredes eius compelluntur per ecclesiam ad satisfaciendum pro eo.

QVIA hæredes, adeundo hæreditatem, videntur ex quasi contractu se obligare ad ea,ad quę tenebatur defunctus.l.ex depositi.C.de act. & obl. Et res transit cum onere suo. c.ex literis. de pignor. Et quoniam talis defunctus,quantum in eo fuit, censetur satisfacere voluisse; & ex quo ipse non potuit, videtur hoc onus in rebus suis reliquisse, & hæredibus exequendum mandasse.c.fin.de sepult. Ideo hæredes ipsius ad satisfaciendum pro ipso,si,monitione præmissa,noluerint,per districtionem ecclesiasticam compellantur. vt in tex.& c.in literis.de raptor.

Cap.29. Nuper.

DETINENS clericum in custodia, vel vinculis, sine læsione, excommunicatus est.

QVIA

QVIA ex quo talis clericus non poteſt libere abire, quò vult, eius perſonæ violentia infertur.l.3.ff.de liber.hom. exhib. vnde in effectu manus iniecta eſt in eum. Hoſt. hic. Et quoniam c. ſi quis ſuadente. 17.q. 4.ponderat potius effectum violentiæ,quàm ipſum modum inferendi violentiam. Abb. hic. Ideo ſi quæratur, quid de illis laicis ſit faciendum, qui clericos(ſine læſione tamen) in cuſtodia detinent publica, vel priuata,vel etiam detrudunt in vincula?Reſpondetur,quod tales laici pœnam excommunicationis non euadunt, quamuis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpius circa clericos nequiter perpetratur. vt in tex.& infr.c.contingit, il 1.

COMMVNICANS excommunicato ſcienter in crimine, excommunicatus eſt, & niſi difficultas impediat,abſolui debet ab excommunicatore,cum iuramento. Communicans verò extra crimen, reconciliari poteſt per ſimplicem ſacerdotem, ſine iuramento.

QVIA pro menſura peccati, debet eſſe & plagarum modus. Deuteron.cap.25. Et facientem, & conſentientem, par pœna conſtringit. infr.c.quantæ. & l.non ſolum.ff.de iniur. Et quoniam qui participat excõmunicato in crimine, grauius peccat,quàm ei participans extra crimen. S.Thom.par.3.q.23.art.3. Ideo ſi quæratur,vtrum,qui nominatim excommunicatis ſcientes communicant, abſolui ab excommunicatione poſſint per confeſsionem à ſimplici ſacerdote, vel Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi ſit ab eis abſolutio expetenda? Reſpondetur, diſtinguendo, an is,qui nominatim excommunicato communicat, ſcienter in crimine communicet criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium,vel fauorem;aut aliàs in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum; aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini,& participet criminoſo, ac per hoc, ratione damnati criminis, videatur in eum delinquere, qui damnauit; ab eo, vel eius ſuperiore,meritò delicti tunc erit abſolutio requirenda, cum facientem, & conſentientem, par pœna conſtringat. In ſecundo verò caſu, à ſuo Epiſcopo, vel à proprio Sacerdote,poterit abſolutionis beneficium obtinere; quamuis enim & tunc non iudicis, ſed iuris ſententia excommunicato communicans ſit ligatus; quia tamen conditor canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſsiſſe videtur facultatem alijs relaxandi.Is autem,qui iuxta primum modum, excommunicato communicat, cum iuramento debet abſolui; qui verò iuxta ſecundum modum,reconciliari poterit ſine iuratoria cautione. Verum ſi difficile ſit ex aliqua iuſta cauſa, quòd ad ipſum excommunicatorem abſoluendus accedat,Summus Pontifex concedit indulgendo,vt(præſtita iuxta formam eccleſiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit) à ſuo abſoluatur Epiſcopo, vel proprio ſacerdote. vt in tex. & c. Achatius.24.q.1.& S.Th.par.3.q.23.art.2. & Nauar.in Man.cap.27.n.87.

Cap.

Cap. 30. Quod in dubijs.

IVRAMENTVM excommunicati, de stando mandatis ecclesiæ, non habet vim absolutionis.

QVIA ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. & rebus debemus vti eo modo, ad quem sunt institutæ. c. is autem. 22. q. 2. Et quoniam iuramentum de stando mandatis ecclesiæ, & absolutio ab excommunicatione, sunt diuersa. supr. c. cum desideres. Et illud iuramentum præstatur, vt ipsius timore, talis magis timeat in futurum, similia perpetrare. c. pessimam. 23. q. 8. Absolutio verò datur, vt vinculum excommunicationis per eam relaxetur. c. cum aliquis. 11. q. 3. vbi ponitur forma ipsius absolutionis. Ideo excommunicato, licet, quod stet mandato ecclesiæ, iuramento firmauerit, communicari non debet, donec per ecclesiam fuerit absolutus, alioqui post iuramentum non esset absolutio necessaria. vt in tex. & supr. c. à nobis, il 2. & S. Thom. p. 3. q. 21. art. 4. in addit.

EXCOMMVNICATO nullus communicare tenetur, præter personas exceptas; aliàs communicans excommunicato incurrit minorem, & est excommuincandus maiori, nisi ille esset excommunicatus cum participibus suis, quia tunc esset excommunicatus maiori.

QVIA duplex est excommunicatio; Vna est minor, quæ separat tantum à participatione sacramentorum, sed non à communione fidelium; & ideo tali excommunicato licet communicare, sed non licet ei sacramenta conferre. Alia est maior excommunicatio, & hæc separat hominem à sacramentis ecclesiæ, & à communione fidelium; & ideo tali excommunicato communicare non licet. infr. c. penult. Sed quoniam ecclesia excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit. infr. c. 1. in 6. Et ex eo, quod istæ personæ hic exceptæ, etiam ipsæ includebantur sub generali regula de non communicando excommunicatis, multæ à via salutis perire cernabantur; nam licet essent prohibitæ, tamen propter earum speciales causas, adhuc cum ipsis communicabant, & excommunicationem negligebant. c. quoniam multos. 11. q. 3. Ideo nullus scienter, nominatim excommunicato communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud cap. Greg. VII. scilicet per d. c. quoniam, specialiter excusantur. Illi autem, qui nominatim excommunicatis præsumptuosè communicant, præter personas à dicto canone annotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, excommunicationis vinculo sunt innodandi; secus autem si scienter ei communicant, qui cum participibus suis est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus; tunc enim & ipsi sententiam excommunicationis incurrunt. vt in tex. & infr. c. prox. Quæ autem sint personæ exceptæ, quæ possunt excommunicatis communicare, enumerantur in d. c. quoniam, & per S. Thom. in par. 3. q. 23. art. 1.

Cap.

Cap. 31. Inter alias.

***EXCOMMVNICATO** communicare tenentur, qui prius erant ei obligati ad obsequium familiare; alij verò non tenentur de necessitate, licet interdum possint, necessitate vrgente.*

QVIA cum Gregorius VII. pro causa excommunicationis, multos perire quotidie cerneret, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam ex necessitate; deuictus misericordia, anathematis sententiam ad tempus temperauit. Et Apostolica auctoritate ab anathematis vinculo hos subtraxit, videlicet, vxores, filios, seruos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos, & seruientes, necnon & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, & eos, qui ignoranter excommunicatis communicant, siue illos, qui communicant cum illis, qui excommunicatis communicant. Quicunque autem orator, siue peregrinus, aut viator, in terram excommunicatorum deuenerit, & ibi non possit emere, vel non habeat, vnde emat, ab excommunicatis accipiendi, eis licentiam dedit; & si quis excommunicatis in sustentationem non superbiæ, sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibuit. vt in c. quoniam multos. 11. q. 3. Sed quoniam ex eo, quod Summus Pontifex Innocentius Tertius per suam decretalem hic proximè præcedentem declarauit, quod nullus nominatim excommunicato, scienter communicare tenetur, nisi illæ personæ, quæ per d. c. quoniam, specialiter excusantur; ex hac responsione orta est occasio disputandi, alijs concedentibus, quod excommunicato communicare tenentur personæ in d. cap. nominatæ, præsertim, quæ prius ad communionem eorum ex debito tenebantur; alijs asserentibus, eos communicare licitè posse, si velint; non tamen ad hoc ex necessitate teneri. vt in tex. Ideo, vt vnde ius prodijt, interpretatio quoque procedat, ambiguitatem huiusmodi taliter duxit absoluendam; quod cum quædam personæ in præmisso cap. denotatæ, illis, in quos lata fuerit excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur (cum adhuc debitum duret) beneficio canonis id agente, à priore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenētur obsequium, & ita per consequens ad cōmunionem tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. Illud autē non ad omnes personas capituli est referendum, vt videlicet obnoxietati huiusmodi sint subiectæ; cum viatores, peregrini, & mercatores, à communione talium personarnm (nisi articulus necessitatis immineat) debeant abstinere; vt in fine colligitur manifestè; sed ad illas duntaxat, quæ talibus arctiori tenentur obnoxietate constrictæ; quibus tamen in his, pro quibus sunt excommunicatione notatæ, vt in criminibus communicare non debent, sed ab eis penitus abstinere. vt in tex. & c. statuimus. infr. in 6. & S. Thom. par. 3. q. 23. art. 1.

Cap.

Cap. 32: Cum illorum.

SI excommunicatus pro manuum iniectione, scienter recipit ordines, si est clericus sæcularis, deponendus est; si regularis, ab executione ordinis est suspensus. Qui ignorans ius, vel factum, sic excommunicatus recipit ordines; si est clericus sæcularis, dispensat cum eo solus Papa; si regularis, dispensat Abbas, si ignorantia est probabilis, & factum non est graue.

QVIA grauius est delictum, quod studiosè committitur, quàm illud, quod ex ignorantia procedit. c. excellentissimus. 11. q. 3. Et quoniam monachis materia euagandi est subtrahenda, vt in tex. & c. placuit, il 2. 16. q. 1. nec est ita necessaria certa delicti satisfactio ei, cuius totũ vitæ tempus, obedientiæ impeditur sui conditoris. c. scripturæ. de voto. & c. qui aliquando. §. non ergo. de pœnit. dist. 1. Ideo in hoc delicto, quo excommunicatus facit se ad ordines promoueri, grauius punitur, qui sciens se excommunicatum, talia agit, quàm ille, qui vel non recolit factum, pro quo in latæ sententiæ canonem incidit, vel factum quidem sciens, iuris ignarus, nescit ex inde se teneri. Et facilius conceditur, vt cum monacho dispenset Abbas, quàm cum clerico Episcopus. vt in tex. & supr. c. monachi. Et cum edictum illius canonis. si quis suadente. 17. q. 4. sit prohibitorium, vt omnes debeant ad Sedem Apostolicam mitti, nisi quorum absolutio inferioribus Prælatis in certis casibus indulgetur. glos. hic. Qui autem sint illi casus, comprehenditur his versibus; qui casus ex infrascriptis iuribus extrahuntur, videlicet;

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis.
Deliciosus, inopsq; senex, egerq; sodalis.
Ianitor, astrictus, dubius, causæ, leuis ictus.
Debilis, absolui sine summa sede merentur. Host hic.

Regula. comprehenduntur omnes religiosi, qui absolui possunt per proprium Prælatum, si ipsum habeant. vt in tex. dummodo sacerdos sit. infr. c. canonica. & supr. c. nuper. alioquin per diœcesanum. supr. c. monachi. & infr. c. de monialibus. *Mors.* vt supr. in c. non est dubium. *Sexus.* supr. c. mulieres.. *Hostis.* supr. c. de cætero. *Puer.* supr. c. 1. & infr. c. quamuis. & c. fin. *Officialis.* supr. c. 3. *Deliciosus*, sed primò consulitur Romanus Pontifex. supr. c. mulieres. *Inopsq;* & nobilis, cui ire hostiatim, verecundum est. supr. c. quod de his. *Senex.* supr. c. ea noscitur. & c. quod de his. *Egerq;* incurabilis, vel de cuius morte dubitatur, vel si morbus cronicus, & longus est. d. c. ea noscitur. & c. quod de his. *Sodalis.* supr c. ex tenore. & de vit. & hon. cler. c. quoniam. *Ianitor.* supr. c. 3. *Astrictus*, patriæ potestati, vel Dominicæ. supr. c. mulieres, & infr. c. relatum. *Dubius*, quod dic, vt not. supr. in c. cum desideres. & c. si verò aliquis. *Causæ*, scilicet iustæ, quæcunque præstent impedimentum, Sedem Apostolicam non adeundi. supr.

c. quod

c.quod de his.& c. de cætero & infr. c. quamuis. *Leuis ictus*,id eſt,leuiſſimus,quod dic,vt not.ſupr. in c.peruenit. *Debilis.* ſupr. c.ea noſcitur. *Abſolui ſine ſumma ſede merentur*. nam atroces ſoli Papæ retinentur.vt in tex.& infr.c.relatum.& c.canonica.

Cap.33. De monialibus.

MONIALIS percutiens monialem, ſeu conuerſum, vel clericum ſæcularem, incidit in excommunicationem, & ab Epiſcopo loci abſolui poteſt.

QVIA cum maſculinum concipiat fœmininum. l. ſi ita fuerit. ff. de legat.2. appellatione monachorum, de quibus habetur mentio in c. ſi quis ſuadente. 17.q.4. veniunt etiam moniales, vt gaudeant priuilegio illius canonis.Abb. hic. Sed quoniam ſexus muliebris impedit, ne abbatiſſa poſſit abſoluere moniales, cum claues eccleſiæ non fuerint commiſſæ fœminineo ſexui.c.noua.de pœnit.& remiſſ.nec ipſæ poſſunt exire clauſtrum monaſterij.c.vnic.de ſtat.regul. in 6.nec decet, mulieres cœtibus virorum ſe immiſcere. c.mulieres. de iudic.in 6. Ideo ſi moniales in ſe inuicem, vel conuerſos,vel conuerſas ſuas, aut clericos, manus iniecerint temerè violentas, per Epiſcopum, in cuius diœceſi monaſterium fuerit,ſunt abſoluendæ.vt in tex.& ſupr.c.mulieres.

Cap.34. Si verè

CONTRACTVS etiam, qui ſine communione explicari non poteſt, non diſſoluitur, ſeu impeditur per excommunicationem ſuperuenientem in eum, qui tenetur aliquid præſtare non excommunicato.

QVIA ex ſua malitia commodum quis reportare non debet. c.ex tenore.de reſcript.& c.legi.16.q.1. Et quoniã ſi excommunicatio operaretur,vt excommunicatus non teneretur adimplere, quod promiſit,ipſe ex ſua contumacia præmium reportare videretur, & eius aduerſarius damnum ſentiret. vt in tex. & c. exceptionem. de except. Ideo ſi locanti operam perſonalem ſoluiſti pretium,vel partem, & poſtea fuit excommunicatus,vel etiam prius,ſed ignorabas,ſi ad ſatisfaciendum non poteſt induci,in opera ſic locata ſibi poteris communicare.vt in tex.& ſupr.c.inter. Vnde circa hoc diſtingue,quod aut contractus, ſeu ſocietas fuit inita ante excommunicationem,aut poſt. Primo caſu licitè poſſum vti. vt in tex. Secundo caſu,aut ego contraxi,aut ſucceſſi in ius alterius. Primo caſu non debeo vti tali contractu, ſeu ſocietate, quia deliqui,contrahendo ſecum. Secundo caſu, ſic, quia ego non ſum in culpa. Hoſt. hic. Et intellige prædicta, quod non teneor abſtinere à ſocietate, quando damnum mihi contingeret, ſecus ſi damnum contingeret excommunicato. Abb. hic. nam

non

non teneor sibi communicare in fauorem suum.c.veritatis.de dol.& cont. & c.nos Sanctorum.15.q.6.

Cap.35. Vt famæ.

PRAELATVS potest, & debet clericum subiectum incorrigibilem incarcerare.

QVIA Prælati debent corrigere excessus subditorum. c.1.de offic. ord.& publicæ vtilitatis interest,ne crimina remaneant impunita. l. ita vulneratus.ff.ad leg. Aquil. & ne per impunitatis audaciam, qui erant nequam,fiant nequiores.c.vt clericorum.de vit.& hon.cler. Et quoniam clericus incorrigibilis non bene posset in monasterijs custodiri, quin fugiendo ad similia,vel peiora facile prolaberetur.vt in tex.Ideo clerici grauiter excedentes,qui tutè non possunt monasterijs ad agendam pœnitentiam deputari; nam cum non pœniteant de commissis, opportunitate fugiendi captata, carcerem fugerent claustri, & prioribus se sceleribus scelestius immiscerent, à Prælatis suis arctæ possunt custodiæ mancipari.vt in tex.& c.cum non ab homine.de iudic. Et ad hæc vide Diaz.in pract.can. crim.cap.131.

ET laici citra metum excommunicationis, de Prælatorum sententia capere possunt clericos, & ad iudicium ducere.

QVIA qui per alium facit, per seipsum facere intelligitur.supr.c. mulieres.& l.ita tamen.ff.de admin.tut. Et quoniam sæpe iudices ecclesiastici sine auxilio brachij sæcularis, non sufficiunt ad capiendos eorum clericos delinquentes.d.c.cum non ab homine. & c.principes.23.q.5. Ideo laici citra excommunicationis sententiam, capere clericos, & ad iudicium trahere possunt,si oporteat, etiam violenter,dum tamen id de mãdato faciant Prælatorũ,quorũ illi sunt iurisdictioni subiecti,& quorum est corrigere criminosos, cum hoc non ipsi, sed illi,quorum auctoritate id faciunt, facere videantur; dumtamen non amplius eorum violentia se extẽdat,quã defẽsio, vel rebellio exigit clericorũ.vt in tex.& c.si iudex.inf.in 6.

Cap.36. Contingit.

EXCOMMVNICATVS est,qui in clericum, etiam volentem, manus iniecerit violentas; etiam si hoc faciat in satisfactionem præcedentis iniuriæ.

QVIA huiusmodi manus iniectio, etsi non violenta,tamen iniuriosa videtur.vt in tex.& supr.c.nuper. nam ille canon, si quis suadente. 17.q.4. tam in fauorem clerici ordinati, quàm in fauorem ordinis clericalis, fuit promulgatus. vt in tex. vnde tunc fit iniuria ecclesiæ, licet non fiat ipsi clerico volenti. glos. hic. Et quoniam priuilegio principaliter inducto in fauorem publicum,licet sit in consequentia in fauorem priuatum, nemo

nemo poteſt renunciare. c. ſi diligenti. de for. comp. Ideo non poteſt clericus facere, quin inijciens in ipſum manus violentas, ſit excommunicatus; & ipſe clericus ſic percuti conſentiens eſt excommunicandus. vt in tex. & ſupr. c. vniuerſitatis. Et ad hæc vide Silueſt. in ſum. verbo. excommunicatio. 6. & Nauar. in Man. cap. 27. num. 79.

Cap. 37. Relatum.

SERVVS excommunicatus pro iniectione manuum in clericum, tenetur pro abſolutione ire ad Sedem Apoſtolicam; ſed ſi ex hoc dominus, qui non fuit in culpa, graue damnum patiatur, vel ſeruus hoc fecit in eius fraudem, abſolui poteſt ab Epiſcopo, ſi læſio non fuit enormis.

QVIA plus eſt Deo, quàm homini deferendum. vt in tex. & c. Iulianus. 11. q. 3. Sed quoniam nemo ſine culpa eſt iure ſuo priuandus. c. diſcretionem. de eo, qui cogn. conſangu. Et fraus, & dolus nemini patrocinari debẽt. c. plerunque. de reſcr. enormis tamen læſio facit, vt difficilius talis abſolutio alteri Prælato indulgeatur. ſupr. c. cum illorum. Ideo ſeruus excommunicatus pro iniectione manuum in clericum, pro abſolutione ad Sedem Apoſtolicam ire eſt compellendus; niſi hoc fecerit in fraudem, vt ſubtrahat ſe à domini obſequio, aut ipſe dominus propter hoc, ſine culpa ſua graue damnum incurrat; tunc enim in vtrolibet caſu poterit Epiſcopus eum ex Papæ indulgentia abſoluere; ſed in recompenſationem laboris, quem in itinere ſuſtineret, alia eſt ei ſatisfactio iniungenda; dummodo non ſit tam grauis, & enormis exceſſus, vt propter vitandum ſcandalum, & tollendum exemplum, huiuſmodi ſeruus ad ſeruum ſeruorum Dei venire debeat abſoluendus. vt in tex. & ſupr. c. peruenit.

Cap. 38. Sacris.

EXCOMMVNICATVS propter participationem cum excommunicato, licet eum poſtea impugnet, ex hoc ſolo pro abſoluto non eſt habendus.

QVIA vinculum, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſoluitur; illud autem, quo ligatus eſt apud eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur. ſupr. c. à nobis, il 2. Et quoniam abſolutio à ſententia excommunicationis, eſt à ſuperiore concedenda, cum requiſita ab eccleſia verborum forma. c. cum aliquis. 11. q. 3. & formæ defectus reddit actum nullum. l. cum hi. §. prætor. ff. de tranſact. Ideo licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicauerat, qui cum omnibus fautoribus, & participibus ſuis excommunicationis ſententia ſunt adſtricti, ad cor rediens, de mandato eccleſiæ excommunicatos, quos prius fouerat, expugnaret; non tamen priuſquam abſolu-

tionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec si occumbat in huiusmodi bello, sunt oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes domino porrigendæ; nisi cum de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, & defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. vt in tex.& c.nec quisquam.24.q.2.& c.sacris.de sepult.

Cap. 39. Sicut nobis.

SEMEL excommunicatus, debet vitari semper vt excommunicatus, nisi legitimè probet se fuisse absolutum.

QVIA semel malus, semper præsumitur esse malus. c.semel.de reg. iur.in 6. Et quoniam vbi quis non habet præsumptionem pro se, ei dicenti incumbit onus probandi. l. qui accusare.C.de edend. Ideo excommunicatus, nisi probet, se fuisse absolutum ab eo, qui ad hoc haberet potestatem, semper vt excommunicatus est euitandus. vt in tex.& c.proposuit. de cler.excom. Nec obstat, si diceres, quod ei videatur credendum, absque alia probatione, cum de nemine sit præsumendum, quod sit suæ salutis immemor. c. sancimus. 1. q. fin. nam respond. quod illud verum est in foro pœnitentiali, vbi non tractatur, nisi de præiudicio ipsius confitentis. c. significasti, il 2. de homicid. secus est in foro iudiciali, vbi tractatur de præiudicio aliorum. vt in tex.& c.cum in iure.de offic.deleg.

Cap. 40. Per tuas.

SI excommunicatus ab Episcopo, ad Metropolitanum appellat, ab eo absolui potest; Metropolitanus tamen, volens suo suffraganeo deferre, potest illum sibi remittere absoluendum; & tenetur etiam remittere, quando propter manifestũ excessum fuit excõmunicatus.

QVIA Archiepiscopus per appellationem est iudex competens subditorum cuiuslibet sui suffraganei. c. pastoralis. de offic. ord. Sed quoniam ecclesiasticus ordo confunditur, si vnicuique Episcopo sua iurisdictio non seruatur. c. peruenit. 11.q.1. Et libertatem, quam sibi maiores conseruari desiderant, æquum est, vt minoribus suis bona voluntate conseruent. c. prohibemus. de censib. Ideo Archiepiscopus potest absoluere excommunicatum à suffraganeo suo, appellantem ad ipsum, nec tenetur illum remittere ad suffraganeum excommunicatorem, nisi velit sibi deferre; & hoc, nisi excommunicatio sit euidenter iusta, nam tunc tenetur necessario illum remittere. vt in tex.& c.venerabilibus.infr.in 6.

ET ante absolutionem non auditur, volens probare se iniuste excommunicatum.

QVIA frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus. l.aliquando. ff.ad sen.consf. Velleian. Et quoniam in omnem euentum absolu-

lutio esset impetranda, siue excommunicatio sit iusta, siue iniusta; dummodo non fuerit nulla; cum etiam excommunicatio iniusta obliget, quo ad ecclesiam militantem, licet ille excommunicator veniat puniendus. c. cum contingat. de offic. deleg. Ideo ex quo præsupponitur vinculum excommunicationis, & excommunicatus non potest stare in iudicio tanquam actor, vt ipse possit probare, an iustè, vel iniustè fuerit excommunicatus, antequam admittatur ad probandum, est ab excommunicatione, iuxta formam ecclesiæ, absoluendus. vt in tex. & infr. c. venerabili. Et ex quo sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est. c. 1. 11. q. 3. Excommunicatus, quantumcunque iniustè, debet petere, quamcitò potest, absolutionem; & litigare postmodum super iniustitia; aliàs cum prius per illam iniustam esset ligatus solum quo ad ecclesiam militantem, ex illo suo peccato, quo contemnit claues ecclesiæ, ligaretur etiam quo ad Deum. vt in tex. & d. c. cum contingat. de offic. deleg.

SECVS, si probare vult, sententiam esse nullam.

QVIA vbi excommunicatio est nulla, quis non indiget absolutione, sed est denuntiandus non ligatus. d. c. cum contingat. Non entis enim nullæ sunt qualitates. l. eius, qui. ff. si cert. pet. Et quoniam partium assertione, causarum merita panduntur. l. 2. C. si per vim. Ideo ad videndum, an talis possit stare in iudicio vt actor, vel non; scilicet, an sit excommunicatus, vel non; est per iudicem hoc examinandum, antequam ad vlteriora in causa procedat. vt in tex. & c. solet. infr. in 6.

Cap 41. Si aliquando.

SI Papa suis litteris excommunicatum salutat, non propter hoc eum absoluit.

QVIA non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. l. neque natales. C. de probat. Et quoniam potest esse, quod vel per ignorantiam, vel per negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam subreptionem, huiusmodi literæ impetrentur. vt in tex. & c. super literis. de rescr. Ideo si aliquando fortè contigerit, quod eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subiecti, Summi Pontificis literæ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis sententia est credenda relaxata. vt in tex. & infr. Clem. si summus. & hoc nisi ex coniecturis appareat, Papam aliud voluisse. Abb. hic. non enim tenetur ipse obseruare formam absolutionis traditam à canonibus. glos. hic. cum sit supra ius positiuum. c. significasti. de elect. & l. princeps. ff. de legib.

Cap. 42. Officij.

EXCOMMVNICATVS à pluribus Prælatis ob plures cau-

 sas,

sas, non est communioni restituendus, licet de vna causa velit satisfacere; & si impetratur absolutio, tacitis alijs causis, non valet absolutio.

QVIA omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. c.1. infr. de reg. iur. Et quoniam excommunicatus potest iterum excommunicari. c. Engeltrudam. 3.q.3. & rescriptum sumit vires à voluntate superioris rescribentis. c. ad aures. de rescript. & superior non censetur concedere ea, quæ ignorat. c. 2. de rescr. Ideo si quæratur, vtrum is, qui propter plures excessus à pluribus Prælatis, ius in ipsum habentibus, excommunicationis est vinculo innodatus, & vni Prælatorum de vno tantum satisfacere vult excessu, ab eo sit absoluendus, de quo satisfacere vult eidem; & cũ de alio non satisfecerit, alij absolutus valeat nuntiari? Respondetur, quod supprimenti veritatem, absolutio subrepta non prodest; & veritatem intelligens, absolutionem huiusmodi exhibere non debet. vt in tex. & supr. c. cum pro causa. & S. Thom. par. 3. q. 24. art. 3. in addit. Sed dices, ligatus pluribus excommunicationibus, qualiter absoluetur? Respond. quod pluribus modis potest absolui; Prima practica est, vt per vnicam absolutionem tollantur omnes; quod intellige dupliciter; Primo, si idem Prælatus excommunicauit subiectum pluries propter multiplices causas, tunc ipse solus potest vnica absolutione omnes excommunicationes tollere. Secundo intellige, quando diuersi Prælati excommunicauerunt, quod tunc potest fieri vnica absolutio, scilicet, si omnes conueniant simul; nam vnus Prælatus non potest absoluere ab excommunicatione lata per alium Prælatum. vt in c. pastoralis. §. præterea. de offic. ord. Secunda practica est, vt vnus committat alteri vices suas; & hæc est multum frequentata. Tertia practica est, vt quilibet separatim absoluat ab excommunicatione sua, & licet vtatur verbo, absoluo; non per hoc censetur restitutus communioni, quia restringitur ad causam subiectam. arg. in l. age. & in l. si de certa. C. de transact. vnde tunc vltima absolutio confirmabit præcedentes. arg. l. per fundum. ff. de seru. rust. præd. nec est ei communicandum, donec fuerit absolutus ab omnibus, quia qui est excommunicatus in vna ecclesia, est excommunicatus quo ad omnes. c. quisquis. 4. q. 5. glos. hic. & S. Tho. d. art. 3.

Cap. 43. Responso.

EXCOMMVNICATIS, & interdictis prædicari potest licitè verbum Dei.

QVIA excommunicationis, & interdicti pœnæ sunt medicinales, non mortales; dummodo illi, in quos latæ sunt, non contemnant. infr. c. 1. in 6. Et quoniam licitè participatur etiam cum excommunicato, quando participium tendit ad eius correctionem. infr. c. cum voluntate. Ideo vt

excom-

excommunicati, & interdicti facilius ad correctionem inducantur, licitè verbum Dei eis prædicatur.vt in tex.& c.antecessor.11.q.3.

TEMPORE generalis interdicti concedi potest baptismus, chrismatio in fronte, & pœnitentia morientium.

QVIA omnia sacramenta concessa sunt tempore interdicti, excepto Ordine, & extrema Vnctione,& Matrimonio,id est, solénitate Matrimonij,& Pœnitentia viuorum,& Eucharistia,quibus instans periculum mortis non imminet. Diuina verò officia, & ad ea pertinentia, omnino sunt interdicta,nisi quatenus per ius exprimitur, vel per speciale priuilegium conceditur. Host. hic. Excipiuntur autem Baptismus,& Pœnitentia morientium, propter eorum necessitatem. c.non est, & ibi glos.de spons. Viaticum etiam decedentibus conceditur, quod per pœnitentiam intelligitur. c. quod in te. supr. tit. prox. Sed extrema vnctio denegatur.vt ibi. Chrismatio quoque conceditur.vt in tex. cum sine illa non sit plenè Christianus,qui eam contemnit. glos.hic; ad quod vide c.omnes, & ibi Turrecrem.de consecr. dist. 5. Et quoniam forma interdicti est diligenter consideráda.c.fin.de excess.prçl.Et in pęnis benignior est interpretatio faciéda. c.in pœnis. de reg.iur.in 6.Ideo si quęratur,cũ aliqua ciuitas est interdicto supposita,an sint ibidem (præter baptisma paruulorũ, & pœnitentias morientium) vniuersa sacramenta ecclesiastica interdicta,& an liceat Episcopo baptizatos pueros in frontibus consignare? Respódetur, quod sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus ab Episcopo possunt sacro chrismate deliniri.vt in tex.& c.quoniam.infr.in 6.

Cap. 44. Inquisitioni.

SI coniunx scit pro certo impedimentum matrimonij, non debet reddere debitum, sed potius excommunicationem pati.

QVIA ille, qui scit impedimentum matrimonij, non potest sine mortali peccato carnale commercium exercere. vt in tex. & c. non debet. de consang. & aff. Et quoniam quis debet potius omnia mala pati, quàm mortale peccatum committere.c.sacris.de his,quæ vi,met.cau.fi.& c.ita ne. 32.q.5. Ideo in tali casũ debet quis potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere,quàm per illud carnale commercium,peccatum mortale operari.vt in tex.& c.literas.de rest.spol.

SI autem hoc credat ex causa probabili, & discreta, potest reddere debitum, non autem exigere; sed si ex leui, & temeraria causa, deposita conscientia, potest reddere, & exigere.

QVIA si talis non redderet debitum, vbi tenetur reddere, faceret contra legem coniugij; si autem redderet, vbi credit non debere reddere, faceret contra iudicium conscientiæ. vt in tex. Et quoniam vtrunque esset peccatum.c.1.de sponsal.& c.per tuas,il 2.de simon.& con-

ſcientia erronea eſt deponenda. c. omnes. 28.q. 1. Et credulitas differt à certa ſcientia; & in ea ſunt plures gradus, plus, vel minus probabiles. Bart. in l.à diuo. ff. de re iud. Ideo eſt diſtinguendum, vtrum talis habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui, & temeraria, an probabili, & diſcreta; & quidem ad ſui paſtoris conſilium (conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa) licitè poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum coniugale. Verùm cum conſcientia pulſat animam ex credulitate probabili, & diſcreta, quamuis non euidenti, & manifeſta; debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam. vt in tex. & c. Lotharius. 31.q.2.

Cap. 45. Contingit, il 2.

PER dimiſſionem habitus, & tonſuræ, non perdit clericus ante trinam monitionem priuilegium clericale.

QVIA priuilegium clericale, non ſolum eſt conceſſum in priuatum fauorem clericorum, ſed etiam in fauorem totius ordinis clericalis, & in odium laicorum. c. ſi diligenti. de for. comp. & ſupr. c. contingit. Et quoniam ea, quæ nos contingunt, renuneiare poſſumus, nõn tamen ea, quæ alios. l. 1. §. vſque. ff. de iniur. & priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. c. priuilegium. 11.q.3. ac fruſtra legis auxilium inuocat, qui committit in legem. c. quia. de vſur. legitima tamen admonitio debet præcedere vindictam. infr. c. ſacro. Ideo clerici ſine habitu, & tonſura incedentes, ſi tertiò ab Epiſcopo commoniti, ſeipſos contempſerint emendare, illius efficiuntur immunitatis extorres, quæ pro clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda, dignoſcitur inſtituta. vt in tex. & ſupr. c. in audientia. Et ſi vltra dimiſſionem habitus, & tonſuræ, clericus immiſcet ſe enormitatibus, perdit abſque alia monitione priuilegium canonis. ſi quis ſuadente; licet ſine monitione non perdat priuilegium fori. vt ſupr. in c. perpendimus.

Cap 46. In præſentia.

AB excommunicati denunciatione repellitur, qui non præmonuit, & ei communicauit.

QVIA Prælatus excommunicare non debet ſubditum, niſi competenti monitione præmiſſa. infr. c. ſacro. Et cum paſtoris vita in exemplum debeat eſſe diſcipulis, prauos in ſua ſocietate Epiſcopus habere non debet. c. peruenit. 2.q.7. Et quoniam fruſtra legis inuocat auxilium, qui committit in legem. ſupr. c. prox. Ideo in odium Epiſcopi, qui ſine monitione excommunicauit, & poſtea illum ſic excommunicatum non duxit euitandum; ipſe prohibetur illi excommunicationem opponere, vel eum denuntiare. vt in tex. & c. à nobis, & ibi gloſ. de except.

Cap.

Cap.47. Quantę.

EXCOMMVNICATVS est dolosè permittens clericum percuti, ex quo poterat prohibere, & non prohibuit.

QVIA facientes, & consentientes in pari pœna plectendos, Catholica condemnat auctoritas. vt in tex. & supr. c. nuper. Et quoniam eos delinquentibus fauere, ius interpretatur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare. vt in tex. & c. pasce. dist. 86. ad incurrendam tamen excommunicationem canonis. si quis suadente. 17. q. 4. requiritur dolus, vt patet ex illis verbis, *suadente diabolo, &c.* Abb. hic. Ideo qui poterat prohibere, ne clericus percuteretur, & dolosè permittit illum percuti, excommunicatus est, sicut ipse percutiens. vt in tex. & supr. c. mulieres. & ad hæc vide Nauar. in Man. cap. 24. n. 20.

Cap 48. Sacro.

PRAELATVS excommunicare non debet subditum, nisi competenti monitione præmissa, & ex causa manifesta, & rationabili; & contrafacienti imponitur pœna hic expressa. Item punitur subditus, qui falsò conqueritur se excommunicatum iniustè; & subijcit quid iuris, si Prælatus dicens se errasse, vult excommunicatum absoluere, & aduersarius appellat, ne absoluatur.

QVIA quamuis excommunicationis gladius neruus sit ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris; sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. c. dilecto. infr. in 6. & c. multi. 2. q. 1. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, cautius est agẽdum. c. vbi. de elect. in 6. Ideo prohibetur, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat; quod si contra præsumpserit, etiam si iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum ecclesiæ per mensem vnum sibi nouerit interdictum, alia nihilominus pœna multandus, si visum fuerit expedire. Caueat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cuiusquã, absque manifesta, & rationabili causa procedat; ad quam si taliter fortè processerit, & requisitus humiliter processum huiusmodi non curauerit absque grauamine reuocare, grauatus apud superiorem deponat de iniusta excommunicatione querelam; qui (si absque periculo moræ potest) ad excommunicatorem, illum cum suo mandato remittat, intra competentem terminum absoluendum; alioquin ipse per se, vel alium (prout viderit expedire) sufficienti cautione recepta, munus ei absolutionis impendat. Cumque aduersus excommunicatorem, de iniusta excommunicatione

constiterit; excõmunicator condemnetur ad interesse excõmunicato; aliàs nihilominus (si culpæ qualitas postulauerit) superioris arbitrio puniẽdus; cum non leuis sit culpa, tantam infligere pœnam insonti; nisi for sitan errauerit ex causa probabili, maximè si laudabilis opinionis existat. Verùm si contra excommunicationis sententiam, nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, idem super iniusta excommunicationis molestia, per pœnam ad interesse, vel aliàs, secundum superioris arbitrium, condemnetur; nisi forsan & ipsum probabilis error excuset; & super eo, pro quo fuerit iusta excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruandã. Si verò iudex, suum recognoscens errorẽ, paratus sit talẽ reuocare sententiã, & is, pro quo lata fuerat, ne absque satisfactione reuocet illam, appellet; appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error, de quo meritò debeat dubitari; & tunc sufficienti cautione recepta, quòd coram eo, ad quem appellatum extiterit, vel delegato ab ipso, iuri parebit, excommunicatum absoluat; sicque pœnæ præscriptæ minimè subiacebit; cauens omnino, ne voluntate peruersa in alterius præiudicium mentiatur errorem, si districtionis canonicæ vult effugere vltionem. vt in tex. & infr. c. 1. in 6. & Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3.

Cap. 49. Nouerit.

EXCOMMVNICAT hæreticos, & quoscunque violatores ecclesiasticæ libertatis.

QVIA resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, per totum Orbem eius flamma populata est. c. resecandæ. 24. q. 3. Et quoniam maior excommunicatio separat à communione fidelium. infr. c. penult. nec ea est maior pœna in ecclesia. c. corripiantur. 24. q. 3. & pœna debet esse commensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 46. Ideo excommunicantur omnes hæretici vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & fautores, & receptatores, & defensores eorum. Necnon & qui seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem, nisi ea de capitularibus suis intra duos menses, post huiusmodi publicationem sententiæ, fecerint amoueri. Item excommunicantur statutarij, & scriptores statutorũ ipsorum, necnon potestates, consules, rectores, & consiliarij locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ; necnon & illi, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata. vt in tex. & c. excommunicamus, il 1. de hæret. & c. aduersus. de immunit. eccl. & Auth. cassã. C. de sacr. san. eccl. & S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 3. & Conc. Trid. sess. 25. cap. tanta. & e ad. sess. de refor. cap. 20. & Bulla in cœ-

na

na Domini. Libertas autem Ecclesiastica in quibus consistat, & an itelligatur venire contra eam, qui venit contra aliquod priuilegium ecclesiæ particularis, latè tract. hic. Innoc.

Cap. 50. Canonica.

FRATRES hospitalis Hierosolymitani, excommunicati pro iniectione manuum in clericum, seu confratrem, absolui possunt per eorum priorem, nisi excessus fuerit difficilis, & enormis.

QVIA canonica constitutione cauetur, quod monachi, & canonici regulares, quocunque modo se percusserint, non sunt ad Apostolicā Sedem mittendi, sed secundū discretionem, & prouidentiam sui Abbatis, disciplinæ subdantur; quod si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficiat, prouidentia est diœcesani Episcopi adhibenda, nisi excessus difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò ad ecclesiam Romanam sit recursus habendus. supr. c. monachi. Sed quoniam per similitudinem rationis non debet extendi ius priuilegiatiuum, nisi extensio fiat per habentem potestatem. c. sanè. de priu. licet secus sit in iure communi. l illud. ff. ad leg. Aquil. Ideo vt etiam fratres hospitalis Hierosolymitani gaudeant in hoc illo priuilegio, quo gaudent monachi, & canonici regulares, conceditur, vt per eorum priorem possint ab excommunicatione pro iniectione manuum in clericum, seu confratrem, absolui, sicut possunt absolui monachi, & canonici regulares ab eorū Abbate. vt in tex. & supr. c. cū illorū.

Cap. 51. Super eo.

EXCOMMVNICATVS, vel suspensus absolui non debet, nisi prius iuramento præstito; si tamen sine scandalo iuramentum haberi non potest, poterit fieri absolutio per manualem promissionem.

QVIA illud iuramentum exigitur ad cautelam, vt ipsius timore, talis post absolutionem similia facere magis pertimescat. supr. c. cum desideres. Sed quoniam interdum, consideratis locorum, & temporum qualitatibus, seueritati est aliquid detrahendū. vt in tex. & c. vt cōstitueretur. dist. 50. Ideo licet regulariter, nec excōmunicati nec ab homine suspēsi, sint absoluendi absq; iuramento de parendo mandatis ecclesiæ; propter scandalum tamen euitandum, si non possunt induci ad præstandum illud iuramentum, potest loco iuramenti ab eis recipi promissio manualis, & absolutio eis concedi. vt in tex. & supr. c. ex tenore.

Cap. 52. Venerabili.

CVM de viribus sententiæ dubitatur, potest quis absolui ad cautelam, iuramento præstito.

QVIA

QVIA in dubio tutior pars est eligenda. c.ad audientiam.de homic. Et sententia pastoris,siue iusta,siue iniusta, timenda est.c.sententia. 11.q.3. Et quoniam iuramentum de parendo mandatis ecclesiæ,solet regulariter ab excommunicatis, & ab homine suspensis, ac interdictis,ante absolutionem præstari. supr. c. prox.& c.ex tenore.Ideo licet ad cautelam quis à censuris ecclesiæ absoluatur, debet tamen etiam ipse præstare iuramentum de parendo mandatis ecclesiæ,sicut ille, qui absolutè absoluitur. vt in tex.& supr. c. per tuas. sed mandatum differtur in euentum cognitionis.vt supr.c.sacro.& S.Thom.par.3.q.21.art.4.in addit.

Cap.53. Grauem.

EXCOMMVNICANTVR officiales locorũ,in quibus sunt statuta contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea deleri fecerint,& statutarij feudis ecclesiæ sunt priuati.

QVIA ecclesiæ, ecclesiasticæq; personæ,ac res ipsarum,non solum iure humano; quinimo & diuino,à sæcularium personarum exactionibus,& subiectionibus sunt immunes.c.quanquam.de cens.& c.ecclesia. de constit. Et quoniam dignum est,vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticę saltem coerceat seueritas disciplinæ.c.cum in cunctis.de elect. Et qui contra fidelitatem venit, amittere debet feudum. c.de forma.22.q. 5.& in constit.Frideric.de feud. hac editali. Ideo officiales locorum, & alij statutarij,in derogationem Apostolicæ Sedis, & subuersionem ecclesiasticæ libertatis, per eorum statuta sic delinquentes, excommunicantur, & si quæ habent feuda ab ecclesijs, illis priuantur, nec absoluendi sunt,nisi ea deleri fecerint de suis capitularibus, & idoneè caueant, quòd similia de cæterò non debeant attentare.vt in tex.& supr.c.nouerit.

Cap.54. Cum voluntate.

ALLOQVENS excommunicatum in tendentibus ad salutem animæ,etiam si alia verba interponat,excommunicatus non est.

QVIA voluntate, ac proposito, maleficia distinguntur. vt in tex.& l. qui iniuriæ. ff. de furt. Et quoniam principalis intentio est consideranda in agente,non autem quod secundariò fit.c.si quandoque.15.q.6. & l.inter.§.rectè. ff.de furt. Et ecclesia excommunicationem ad medelam, non ad interitum inducit. infr. c.1. in 6. Ideo excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent,in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter, vt apud eum magis proficiat, interponat.vt in tex. & c. cum excommunicato.11.q.3. &S.Thom. par.3. q.23.art.1.in addit.

§. Prędicatores.

PRAEDICATORES, præsertim qui aliàs sustentari non pos-

possunt, ab excommunicatis, & detinentibus bona aliena, eleemosynam recipere possunt.

QVIA de eleemosynis est commune præceptum ad omnes. c. non satis.dist.86. Et quoniam per eleemosynas, peccatores facilius possunt venire ad pœnitentiam.c.deinde.dist.26.Et præsertim tempore necessitatis possunt ab excommunicatis necessaria recipi. c. quoniam. 11. q.3. Ideo prædicatores,qui penès excommunicatos,vel alios alienarum rerum detentores,in prædicationibus,& confessionibus,quasi gerunt causam,vel curam eorum, ad quos res ipsæ spectare noscuntur, eleemosynas licitè possunt ab illis recipere,præsertim si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere. vt in tex. & c. de terris. de decim. Oblationes autem à tam malis, & famosis personis non sunt recipiendæ. c.oblationes.dist.90. & ratio diuersitatis est,quia eleemosyna fit in occulto. Matth. cap.7. & de occultis non iudicat ecclesia. c. sicut tuis. de simon.Oblationes verò fiunt in ecclesia, & in publico; & prohibentur ab eis recipi; nec peccator ex inde consoletur, & ne peccatum ipsius videatur ecclesia publicè approbare. d.c.oblationes.& c.eorum.ead.dist.90.

§. Si qui.

PONIT quosdam casus, in quibus percutiens clericum,excommunicatus non est.

QVIA ad incurrendam talem excommunicationem,requiritur,quòd manus iniecta in clericum sit violenta.c.si quis suadente.17. q.4. Et quoniam in his casibus manus non est violenta, sed charitatiua. glos. fin. hic. Ideo si qui ratione officij, quod in ecclesia obtinent, aut etiam alij clerici seniores, zelo deuotionis pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos,turbantes diuinum officium, & ij,qui obtentu prælationis, vel magisterij, subditos,& scholares, correctionis causa leuiter fortè percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt. Quod & de ijs dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum,simili modo, vt cohibeantur à suis insolentijs,& scientia, bonisque moribus informentur, duxerint corrigendos. vt in tex.& supr. c.1. Vnde hic habentur sex casus, in quibus licet corrigere, & percutere clericum sine excommunicatione, scilicet, quando hoc facit is, qui officium habet in ecclesia, seniores, & etiam prælatus, magister, dominus domus, & consanguinei. Sunt & alij casus, vbi quis non incidit in canonem, puta, si iocosa leuitate percutit clericum. supr.c. 1. Item si inueniat eum cum matre, filia, vxore, vel sorore. Item si vim vi repellat incontinenti. supr. c. si vero alicuius. Item si clericus post trinam admonitionem non se corrigat, perdit hoc beneficium. supr. c.contingit. & c.in audientia. Vnde versus.

offi-

Officium, zelusq; pater, doctorq; propinquus;
Affectus, dominus, vis, & correctio, ludus;
Quisq; sit exceptus, si sit moderamine rectus. Host.hic.

Cap. 55. Si concubinę.

COMMVNICANS excommunicato in crimine damnabili, incidit in excommunicationem maiorem.

QVIA facientem, & consentientem par pœna constringere debet. supr. c. quantæ. Et quoniam communicans excommunicato in crimine, pro quo ille fuit excommunicatus, eidem crimini consentit. supr. c. nuper. Ideo si concubinæ publicæ clericorum, ecclesiasticæ censuræ districtione notentur, eosdem concubinarios, non est dubium, sententia maioris excommunicationis inuolui, qui post latam sententiam, communicant in eodem crimine criminosis. vt in tex. & c. sicut. 11. q. 3. & S. Thom. par. 3. q. 23. art. 3. in addit.

Cap. 56. Duobus.

EXCOMMVNICATVS minori, potest ab excommunicatione aliquem absoluere.

QVIA excommunicatio minor priuat solummodo à perceptione sacramentorum. infr. c. penult. Et quoniam quis potest ab excommunicatione absolui, absque eo, quod absoluens aliquod sacramentum administret; cum excommunicatio spectet ad clauem iurisdictionis, & ad forum exterius. S. Thom. par. 3. q. 22. art. 1. in addit. Et eiusdem potestatis est excommunicare, & excommunicatum absoluere. S. Thom. d. par. 3. q. 24. art. 1. Ideo duobus collata potestas, vt à minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, inuicem se absoluant, vtroque ligato vinculo excommunicationis, huiusmodi non expirat. vt in tex. & c. si celebrat. de cler. excomm.

Cap. 57. Permittimus.

PERMITTITVR ministris ecclesiarum; semel in hebdomada celebrare tempore interdicti, concurrentibus his, quæ exprimuntur in textu.

QVIA tempore interdicti, Corpus Christi conceditur morientibus. c. quod in te. de pœnit. & remiss. Et quoniam sacerdos non debet tenere Eucharistiam vltra vnam septimanam, ne putrescat; sed si infirmi illa septimana non indigent, debet sacerdos consumere antiquam cum noua, quam conficit, & alteram innouatam reseruare. c. tribus. de consecr. dist. 2. & Host. hic. Ideo permittitur ecclesiarum ministris, semel in hebdomada, tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, missarum solemnia cele-

celebrare, causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur. vt in tex. & c. quod nonnullis. de priuil. Hodie autem permittitur etiam, vt singulis diebus in ecclesijs, & monasterijs missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia, sicut prius; submissa tamen voce, & ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. c. fin. infr. in 6.

Cap. 58. Quamuis.

SATISFACIENS clerico, quem verberauit, non potest propter hoc ab Episcopo absolui, nisi in certis casibus hic expressis.

QVIA ex iniuria illata clerico, nascuntur duæ actiones iniuriarum; vna competit ipsi clerico, quatenus tangit personam suam; alia cōpetit ecclesiæ, cui iniuria infertur ex persona clerici. supr. c. cum desideres. Et quoniam non potest facere clericus, quin ipsum violenti manu percutiens, excommunicationem incurrat. supr. c. contingit. Et omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. c. 1. infr. de reg. iur. Ideo quamuis incidens in canonem latæ sententiæ propter violentam manuum iniectionem, iuxta proprias facultates eis satisfaciat, quibus iniurias irrogauit; non tamen aliter, quàm per Sedem Apostolicam, vel eius Legatum, absolutionis potest beneficium obtinere. Nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili, vel senili ætate, fragilitate sexus, seu corporis impotentia, siue quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire; vel nisi iuris beneficio à labore huiusmodi excusetur. Cæterùm quibusdam prædictorum, videlicet, qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris) sub debito iuramenti (quod secundum ecclesiæ formam præstare tenētur) consueuit iniungi, vt impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi. vt in tex. & supr. c. ea noscitur. Et vide, quæ ad hæc notaui. supr. in c. cum illorum.

Cap. 59. Si quem.

EXCOMMVNICATIO simpliciter lata, intelligitur de maiori.

QVIA in dubio tutior pars est eligenda. c. iuuenis. de sponsal. Et quoniam, cum excommunicans potuerit intelligere ita de maiori, sicut de minori, tutius est interpretari, quòd intellexerit da maiori, nam hoc casu nullum subest periculum. c. fin. de cler. excom. & c. 1. infr. in 6. Item verba debent intelligi secundum consuetudinem. c. ex literis. de spons. & l. Labeo. ff. de supel. leg. Sed communiter appellatione excommunicationis, intelligimus de maiori. Abb. hic. Ideo si quem sub hac forma verborum; illum excommunico, vel simili, à iudice suo excommunicari contingat; dicendum est, cùm non tantum minori, quæ à perceptione sacramentorum, sed etiam maiori excommunicatione (quæ à communione fidelium sepa-

rat

rat) esse ligatum. vt in tex. & c. Engeltrudam. 3.q.4. Nec obstat, quod in pœnis sit mitior interpretatio facienda. c. in pœnis. de reg. iur. in 6. & l. interpretatione. ff. de pœn. & ob id videatur, quòd debeat intelligi solum de minori; nam Respond. quod illud verum est de pœnis corporalibus, & pecuniarijs, quæ sunt odiosæ: secus in hac pœnali sententia, quæ non est odiosa, sed fauorabilis, & ad correctionem peccatorum, & salutem animarum inducta. Host. hic; vnde & dicitur medicinalis. infr. c. 1. in 6. & c. multi. 2. q. 1. Anima autẽ est alijs rebus pretiosior. c. cũ sit. de ætat. & qual. ord.

Cap. 60. Pueris.

BENEFICIVM indultum ratione minoris ætatis, postquam cœpit habere locum, non extinguitur, licet minor peruenerit ad maiorem ætatem.

QVIA pœna imponitur delicto, habito respectu ad tempus delicti, non ad tempus sententiæ. l. 1. ff. de pœn. Et quoniam rigor iuris temperatur, quandoque ratione ætatis. c. tanta. dist. 86. & c. eos, quos. de consecr. dist. 4. quandoque ratione locorum, & temporum. supr. c. super eo. quandoque ratione personæ, & causæ, loci, & temporis. c. fin. de transact. & c. occidit. 23. q. 8. quandoque ratione multitudinis, & scandali. c. vt constitueretur. dist. 50. Ideo pueris, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, siue ante, siue post pubertatem, si postulent se absolui, potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri. Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus. vt in tex. & supr. c. 1. & de delict. puer. c. 2.

In Sexto. Cap. 1. Cum medicinalis.

IVDEX, qui excommunicat, suspendit, vel interdicit, in scriptis hoc faciat, & causam conscribat, & requisitus exemplum sententiæ tradat intra mensem. Qui contrafecerit, per mensem ab ingressu ecclesiæ, & diuinis est suspensus; & relaxabitur illa sententia per superiorem, absque difficultate, & condemnabitur lator in expensis, & aliàs pœna condigna. Si sic suspensi celebrant vt prius, sunt irregulares, nec absoluuntur ab alio, quàm à Papa.

QVIA cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans; dumtamen is, in quem lata fuerit, non contemnat; caute prouidere debet iudex ecclesiasticus, vt in ea ferenda, ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit, & medentis. vt in tex. & c. multi. 2. q. 1. Et quoniam, vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum. c. vbi.

c.vbi.supr.de elect. Et dignum est,vt quos Dei timor à malo non reuocat, saltem seueritas ecclesiasticæ disciplinæ coerceat à delictis. c.cum in cunctis.extr. de elect. Ideo statuitur, vt quisquis excommunicat,excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum verò huiusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri debet publicum instrumentum,vel debent literæ testimoniales confici,sigillo authentico consignatæ. Si quis autem iudicum, huiusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem vnum ab ingressu ecclesiæ, & diuinis officijs nouerit se suspensum. Superior verò, ad quem recurritur,sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expensas,& omne interesse condemnet, & aliàs puniat animaduersione condigna, vt pœna docente discant iudices, quàm graue sit, excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare. Et hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententijs præcipitur obseruari. Caueant autem ecclesiarum Prælati, & iudices vniuersi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant,quoniam si contingeret,eos sic suspensos, diuina officia exequi, sicut prius,irregularitatem non effugient, iuxta canonicas sanctiones; super qua,non nisi per Summum Pontificem, poterit dispensari. vt in tex.& extr.c.sacro. & Conc.Trid.sess.25.de refor.cap.3.

Cap.2. Solet.

QVI petit absolui ad cautelam; dicens, excommunicationis sententiam in se latam esse nullam; absoluitur,cuiuscunque contradictione non obstante;nisi dicatur,& probetur intra octo dies, excommunicatus pro manifesta offensa.

QVIA pro manifesta offensa excommunicatus non absoluitur, nisi præmissa satisfactione;pro dubia verò excommunicatus absoluitur, præstita de parendo iuri cautione. c.ex parte. extr.de verb.sign.vnde cum in vtroque casu prouideatur indemnitati partis aduersæ, non debet beneficium absolutionis diù differri, ne periculum sit in mora.glos.hic ver.opponat.Sed quoniam in mora modici temporis non præsumitur periculum. l.si debitori. ff. de iudic. Et qui offert probationem paratam,non censetur quærere malitiosè subterfugia.c.pia. supr. de except. Ideo si quæratur,an cum aliquis per superiorem absolui postulat ad cautelam, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam, sine contradictionis obstaculo munus ei debeat absolutionis impendi? Respondetur,quod sic statuitur obseruandum,vt petenti absolutio non negetur, quamuis in hoc excommunicator, vel aduersarius se opponat; nisi eum excommunicatum pro manifesta dicat offensa. In quo casu terminus octo dierum indulgebitur sic dicenti; vt si probauerit, quod opponit,non relaxetur sen-

ten-

tentia, nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de parendo iuri, si offensa dubia proponatur. vt in tex. & extr. c. per tuas.

QVI probat se excommunicatum post appellationem, probatione pendente, in iudicijs euitabitur, extra iudicium verò, non.

QVIA cognitio, an talis sit excommunicatus, vel non, pendet ex euẽtu iudicij incepti. extr. c. per tuas, & Gemin. hic. Et quoniam in iudicijs non tollitur actio, sed differtur. c. pia. supr. de except. & sic non est multum præiudicium. l. quoties. C. de prec. imper. offer. nam quod differtur, non aufertur. c. 1. 14. q. 5. Sed in extraiudicialibus est magnum præiudicium, quia non sine magno damno, à rebus nostris reuocamur. l. sed si quis. ff. quemadmod. test. aper. Præterea facilius interdicuntur iudicialia. l. quoniam. C. de hæret. quàm extraiudicialia. l. mutus. ff. de procur. & ea, quæ sunt iuris, quàm ea, quæ sunt facti. l. quidam. ff. de pœnis. Præterea in iudicio, vbi alium impetimus, leuius impediri debemus, quàm extra iudicium, vbi nullum impetimus, sed tantum iuri nostro innitimur. c. pastoralis. extr. de except. Præterea extra iudicium non est paratus iudex medius, qui diffiniat, sicut est in iudicio. c. sæpe. extr. de appell. & l. nullus. C. de iudic. Præterea iudicialia à multis pendent, scilicet, iudice, actore, & reo. c. forus. extr. de verb. sign. Sed extraiudicialia ab vno communiter; & quanto quid est magis compositum, tanto leuius impeditur; vnde simpliciora maioris durationis existunt. Io. Mon. hic. Ideo si quæratur, an ante absolutionem huiusmodi, is, qui se offert in iudicio probaturum se post appellationem legitimam, excommunicatione innodatum, vel intolerabilem errorem in sententia fuisse patenter expressum; sit in cæteris (excepto probationis illius articulo) euitandus? Respondetur, quod in tali casu statuitur, vt is, qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, in cæteris, quæ vt actor in iudicijs attentauerit, interim euitetur; Extra iudicium verò, in officijs, postulationibus, & electionibus, ac alijs legitimis actibus, nihilominus admittatur. vt in tex. & c. cum contingat. extr. de offic. deleg.

Cap. 3. Statuimus.

EXCOMMVNICATIO lata in participantes excommunicatis, in locutione, & similibus (canonica monitione non præmissa) non tenet.

QVIA regulare est in excommunicatione hominis, vt semper præcedat monitio. extr. c. sacro. & 24. q. 3. c. de illicita. Et dicitur quo ad hoc, monitio canonica, vt moniti exprimantur nominibus, & tribus monitionibus moneantur, vel vna pro omnibus, cum interuallo dierum; nisi necessitas aliud suadeat infr. c. constitutionem. monitio tamen non est regulariter de substantia excommunicationis, sed de iustitia; vnde si iudex

dex,non præmissa monitione, aliquem excommunicet, tenet sententia excommunicationis,sed est iniusta,& venit excommunicatus relaxandus.d.c.sacro. Et quoniam multi Episcopi erant nimis proni ad excommunicandum cum participibus,vt illi participes, licet essent extra crimen damnatum, incurrerent non solum excommunicationem minorem, sed etiam maiorem.glos.penult.hic. Ideo statuitur, vt nullus iudicum participantes cum excommunicatis ab eo, in locutione, & alijs,quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam, excommunicare maiori excommunicatione præsumat; saluis constitutionibus contra illos legitimè promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato. Quod si ex locutione, & alijs, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius induresc at, poterit iudex post monitionem canonicam, huiusmodi participantes consimili damnare censura. Aliter autem in participantes, excommunicatio prolata non teneat; & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare. vt in tex. & infr. c.statutum. Et adhæc vide S.Thom.par.3.q.23.art.2.

Cap.4. Quia periculosum.

EPISCOPI nullam interdicti, vel suspensionis incurrunt sententiam, nisi in sententia sint expressi.

QVIA periculosum est Episcopis, & eorum superioribus, propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit, vt in aliquo casu, interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto. vt in tex. Episcoporum enim, & eorum superiorum officium, communius, & generalius est, & plures grauarentur, si illud impediri contingeret; consistit autem eorum officium in chrismatis confectione, in frontis chrismatione, ordinum collatione, ecclesiarum, & altarium consecratione, & sic esset multum periculum in ipsorum suspensione. glos. hic. Et quoniam vbi maius periculum vertitur, cautius est agendum. c. vbi. supr. de elect. Et ea, quæ maiora sunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta. l. item apud §. ait prætor. ff. de iniur. Ideo Papa propter reuerentiam officij Pontificalis, & propter subditorum vtilitatem, volens in hoc prouidere, duxit statuendum, vt Episcopi, & alij superiores Prælati, nullius constitutionis occasione, sententiæ, siue mandati, prædictam interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam vllatenus ipso iure; nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur. vt in tex. & c. quod nonnullis.extr.de priuil. secus est in excommunicatione, nam in illa priuilegiati non sunt; & noluit Papa eos in tantum priuilegiari, quod tolleret quoad eos canonem, si quis suadente, & alios similes. vt supr. de homicid. glos. hic.

Cap. 5. Romana.

ARCHIEPISCOPVS sententias latas à subditis suorum suffraganeorum, nisi hoc habeat de consuetudine, non relaxet.

QVIA Archiepiscopus in subditos sui suffraganei (exceptis quibusdam articulis) nullam habet potestatem, licet Episcopus suffraganeus sit ei Metropolitana lege subiectus. c. pastoralis. extr. de offic. ord. Sed quoniam consuetudo dat iurisdictionem. c. cum contingat. extr. de for. comp. Ideo interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententias latas ab officialibus Archidiaconorum, seu quibuslibet alijs iurisdictionem habentibus, suffraganeorum Archiepiscopalis Ecclesiæ subditis, Archiepiscopus, & eius officiales (omissis ipsis excommunicatoribus) non relaxent, salua contraria super hoc consuetudine, si quam habent. vt in tex. & c. Romana. supr. de offic. ord.

GENERALIS sententia Archiepiscopi, ligat tantum subditos.

QVIA sicut in specie non potest Archiepiscopus ligare subditum suffraganei sui; sic nec in genere; imo multo minus. glos. hic. Sed quoniam vtile non debet per inutile vitiari. c. vtile. infr. de reg. iur. Ideo excommunicationum sententiæ ab Archiepiscopo, suisque officialibus generaliter promulgatæ, subiectos eiusdem iurisdictioni Archiepiscopi tantum ligant. vt in tex. & extr. c. à nobis, il 1.

PRO præteritis, vel præsentibus culpis, monitione non præmissa, ab eis lata sententia est iniusta.

QVIA monitio semper debet præcedere vindictam. supr. c. statuimus. & 24. q. 3. c. de illicita. Sed quoniam talis omissio ordinis non seruati, non reddit sententiam nullam, cum ius non apponat clausulam irritantem, sed tantum dicat quid in hoc iustitiæ conueniat. extr. c. sacro. Ideo nec in specie, nec in genere, pro culpis, & offensis præteritis, vel præsentibus, excommunicationum sententias, absque competenti monitione præmissa, promulgent; & si contra præsumpserint, iniustas nouerint esse illas. vt in tex. & supr. c. cum medicinalis.

PRO futuris culpis, vel iam commissis, scilicet, nisi satisfaciant, excommunicare non debent, nisi mora, culpa, vel offensa, vel alia iusta causa subsit.

QVIA tractus futuri temporis, non spectat ad iudicem. l. 1. ff. de vsur. Sed quoniam mora sua, cuilibet est nociua. c. mora. infr. in 6. Et vbi subest culpa, vel offensa; in tali casu culpa præcessit sententiam. glos. hic. ver. culpa. Ideo caueant etiam, ne tales sententias excommunicationis, siue specialiter, siue generaliter, in aliquos pro futuris culpis, videlicet, si tale quid fecerint, vel etiam pro iam commissis, sub hac forma, si de illis intra

intra tale tempus minimè satisfecerint, proferre præsumant; nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit; in quibus meritò ad indulgendam satisfactionem huiusmodi, & taliter prohibenda similia inducantur, aut alia rationabilis (quam in ipsis sententijs exprimant) causa subsit. vt in tex. & extr. c. sacro. Nec obstant. c. à nobis, il 1. extr. eod. & c. 2. supr. de constit. vbi fertur sententia excommunicationis pro futuro delicto: Nam respondetur, quod aliud est statutum, & aliud sententia; statutum enim bene potest fieri pro futuris delictis, hoc modo; Statuimus, vt nullus hoc faciat; & qui fecerit, sit excommunicatus ipso facto; Aliud est sententia, quæ sic profertur; Excommunico Tancredum, si furtum fecerit; & hoc hic prohibetur. glos. hic. ver. futuris.

IN vniuersitatem, vel collegium, non feratur excommunicationis sententia; sed in illos, qui culpabiles extiterunt.

QVIA excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali. c. nemo. 11. q. 3. Et quoniam peccatum in actu consistit; actus autem non est communitatis, sed singularium personarum, vt frequenter. S. Th. par. 3. q. 22. art. 5. in addit. Præterea vniuersitas non habet animam, quæ per excommunicationem ligatur, & traditur Sathanæ. c. audi. 11. q. 3. & c. alia. 16. q. 1. Collegium enim dicitur persona, non vera, sed repræsentata. l. mortuo. ff. de fideiuss. Excommunicatio verò ligat veram personam solum. c. P. & G. extr. de offic. deleg. & c. sicut, il 3. de iureiur. & habentem animam rationalem. supr. c. 1. & c. si quis. extr. de reb. eccl. non ali. Item baptizatam. c. omnis. 11. q. 3. Sed vniuersitas caret anima, & baptismo. d. l. mortuo. Ideo in vniuersitatem, vel collegium, proferri excommunicationis sententiam Summus Pontifex penitus prohibet; volens animarum periculum euitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri; sed in illos duntaxat de collegio, vel vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur. vt in tex. & infr. c. si sententia. vnde singuli de communitate excommunicari possunt, non autē ipsa communitas. Et si sit quandoq; etiam actus alicuius totius multitudinis, vt quando multi nauem trahunt, quam nullus trahere posset; tamen non est probabile, quod aliqua communitas tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes; & quia non est Dei, qui iudicat omnem terram, vt condemnet iustum cum impio, vt dicitur Genes. cap. 19. ideo ecclesia, quæ Dei iudicium imitari debet, satis prouidè statuit, vt communitas non excommunicetur, ne, collectis zizanijs, simul eradicetur, & triticum. S. Thom. d. art. 5. Nec obstat, quod aliquando tota ciuitas interdicatur à diuinis. infr. c. si ciuitas. nam Respond. quod interdictum, seu suspensio, non est tanta pœna, quanta excommunicatio, quia interdicti, seu suspensi non fraudantur ecclesiæ suffragijs, sicut excommunicati. Vnde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut &

totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato Regis; & ideo facilius omnes interdicuntur, quàm excommunicentur. S. Thom. ibidem.

Cap. 6. Dilecto.

PRAELATVS contra potentiam temporalem, etiam spirituali gladio, scilicet, ecclesiastica censura se tueri potest.

QVIA omnes leges, omnia que iura vim vi repellere, cunctisque sese defensare permittunt. c. significasti, il 2. extr. de homicid. & l. vt vim. ff. de iust. & iur. Et quoniam vbi defensio est licita, nullus pluribus vti defensionibus prohibetur. c. nullus. infr. de reg. iur. Ideo cum liceat cuilibet, suo vicino, vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium; imo si potest, & negligit, videatur iniuriantem fouere, ac esse particeps eius culpæ; multo magis licet Prælato, proprio sibimet subuenire subsidio, & suam met temporalem iniuriam, sua propria spirituali defensione tueri; sicque vtrumque quodammodo gladium, & temporalem, & ecclesiasticum, alterum videlicet altero adiuuare; maximè, quia ij duo gladij consueuerunt (exigente necessitate) sibi adinuicem suffragari, & in iuuamen alterius, subuentione mutua frequentius exerceri. vt in tex. & c. prodest. 23. q. 5.

Cap. 7. Venerabilibus.

EXCOMMVNICATOS à subditis suffraganeorum, Archiepiscopi non possunt absoluere; sed excommunicatos à suffraganeis, vel officialibus, bene, si ad eos appellatum fuerit.

QVIA vt quis possit absoluere excommunicatum ab alio, requiritur, quod absoluens sit iudex excommunicati, & excommunicatoris. vt in tex. & c. cum ab ecclesiarum. extr. de offic. ord. Et quoniam Archiepiscopus in subditos suffraganeorum (exceptis quibusdam articulis) nullam habet potestatem, licet Episcopus suffraganeus sit ei Metropolitano lege subiectus. c. pastoralis. extr. de offic. ord. per appellationem verò acquirit actualem iurisdictionem etiam in ipsum subditum sui suffraganei ad ipsum appellantem. c. duo simul. d. tit. de offic. ord. Ideo Archiepiscopo, vel eius officiali, non licet excommunicatis ab Archidiaconis, vel alijs subditis suffraganeorum ipsius Archiepiscopi (cum nec excommunicantium, nec excommunicatorum sint iudices) absolutionis beneficium impertiri; excommunicatos autem ab ipsis suffraganeis, vel eorum officialibus, possunt absoluere, si ab ipsis litigantibus ad eos fuerit prouocatum. Neutra verò partium appellante, si qua ipsarum per Archiepiscopum, vel eius officialem, ab excommunicatione contra eum lata, pro reliqua postulet se absolui; vel aliàs coram eis de parte aduersa querimoniam sine appellationis interpositione deponat, non est in hoc ab ipsis (cum sui non sint iudices) audienda; sed si excommunicatus deponat apud eos de suf-

fra-

fraganeo, vt imponatur ei pœna, & pro suo interesse super iniusta excommunicatione, querelam; audire vtique debent eum; secus autem si conqueratur de ipso, vt relaxetur huiusmodi sententia contra se ab eo pro alio promulgata; quoniam tueri hanc causam, non ad ipsum suffraganeũ, sed ad eum, pro quo est sententia lata, spectat. Attamen si suffraganeus, vel extra iudicium pro suorum defensione iurium, vel etiam in iudicio, ex suo procedens officio, inquirendo videlicet, vel simile quid agendo, aliquem excommunicet; in hoc casu conueniendus est ipse suffraganeus coram Archiepiscopo, vel eius officiali, quia ipsius interest defendere causam suam. vt in tex. & supr. c. Romana.

§. Porrò.

ARCHIEPISCOPVS in casibus, in quibus iurisdictionem habet, ante cognitionem causæ absoluit excommunicatum ad petitionem partis, vel ex officio; nisi dicatur excommunicatus pro manifesta offensa, vel contumacia; & contumaciæ præsumptæ, & manifestæ ponit exempla.

QVIA pro manifesta offensa excommunicatus, non absoluitur, nisi præmissa satisfactione; pro dubia verò excommunicatus absoluitur, præstita de parendo iuri cautione. c. ex parte. extr. de verb. sign. vnde cum in vtroq; casu prouideatur indemnitati partis aduersæ, non debet beneficium absolutionis diù differri, ne periculum sit in mora. supr. c. solet. Sed quoniam qui dicit aliquem excommunicatum pro manifesta offensa, vel contumacia, debet hoc probare intra octo dies. d. c. solet. & in mora modici temporis non præsumitur periculum. l. si debitori ff. de iudic. Ideo Archiepiscopus, vel eius officiales excommunicatos à suffraganeis, semper, antequam audire causam incipiant, in casibus, in quibus eis iurisdictio competit, iuxta ecclesiæ formam debent absoluere; vtpotè, si post definitiuam fuerit excõmunicationis sentẽtia promulgata, & ad eos fuerit appellatum; exceptis casibus, in quibus iura prohibent post sententiam appellare. Similiter si suffraganeus extra iudicium excommunicet aliquem pro eius offensa, vel pro sui defensione iuris, & super hoc querimoniam ille proponat, est ille primitus iuxta formam ecclesiæ absoluendus; nisi suffraganeus probaturum se offerat, quod pro manifesta offensa, excommunicationis eum vinculo innodauit. Idem est etiam, si quemquam pro præsumpta contumacia (videlicet quia citatus in præfixo sibi termino non comparuit) excommunicatione constringat; quia si sic ligatus, proposita querimonia, petat ab Archiepiscopo se absolui, siue quando suffraganeus ex suo processit officio, siue quando est ad ipsum Archiepiscopum ante sententiam definitiuam appellatum, & ab aduersario proponatur, quod absoluendus non sit, nec pandi ei debeat iudicij aditus, nisi prius expensas restituat, & iudicio sibi exhibeat cautionem, ipseque respondeat, quòd rectè

contumax reputari non debet, pro eo, quòd in itinere captus, vel etiam alio impedimento detentus, in termino comparere nequiuit; tunc protinus sibi iuxta formam ecclesiæ, beneficium debet absolutionis impendi. Secus autem, si se contumacem confiteatur, vel aliàs de contumacia sua constet, quia fortè prædixerat in iudicio, quòd minimè compareret; tunc enim (cũ manifesta sit contumacia, & manifesta reputetur offensa) non est ei (nisi primò expensarum satisfactione, ac de stando iudicio, cautione præstita) absolutio impendenda. Et hoc ipsum est in similibus obseruandum; sicut si aliquis ad certum locum citetur, & ille proponat ipsum non esse sibi tutum; & iudex postea in eum (quia non probauit hoc, nec comparuit) sententiam excommunicationis promulget; nam tunc si excommunicatus ipse ad superiorem appellet, & ante omnia, se ab eo petat absolui (cum probare coram eo velit, ipsum locum non existere sibi tutum) in hoc est proculdubio audiendus; cum præsumpta solummodo eius contumacia videatur. Sed si iudex pronuntiasset, locum illum esse idoneum, & securum, & ille non comparuisset, ac ideo excommunicasset eundem; ipse postmodum super hoc (nisi post latam interlocutoriam, intra decendium prouocasset) nullatenus audiri debet. vt in tex. & c. cum contingat. extr. de offic. deleg.

§. Sed si ex causa. & §. Poteſt. & §. Similiter.

EXCOMMVNICATIO lata post appellationem interpositam ex causa probabili, non statim pronuntiatur nulla; sed fieri potest relaxatio ad cautelam, etiam antequam incipiat de veritate causæ cognoscere. Idem si dicatur lata per intolerabilem errorem, & in contrarium error ille probabiliter defendatur.

QVIA ad obtinendum finalem intentum causæ insertæ in appellatione, non sufficit probare causam illam esse legitimam, sed oportet probare eam esse etiam veram. c. interposita. extr. de appell. Et quoniam absolutio ad cautelam fit, quandocunque probabiliter dubitatur, an excommunicatio teneat. supr. c. solet. Ideo si ex causa legitima, seu probabili, quis appellet, putà, quia locus non est tutus, & post appellationem huiusmodi; excommunicatione ligetur, ac deinde constet superiori, quòd ad ipsum ex tali causa extitit prouocatum; non tamen illico pronuntiare debet, excommunicationis sententiam fore nullam; sed potest eam ad cautelam, iuxta formam ecclesiæ, relaxare. vt in tex. & extr. c. per tuas.

§. Sanè.

SI certum est, excommunicationem esse iustam, fit remissio; si certum est, eam iniustam, non fit; si dubium est, fieri potest relaxatio; sed honestius est, remittere.

QVIA

QVIA per huiusmodi remissionem, defertur dignitati, & existimationi illius, qui excommunicauit. vt in tex. Et quoniam plus est ei deferendum, quando iustè, quàm quando iniustè excommunicauit. c. prudentiam. §. sexta. extr. de offic. deleg. Ideo si certum est, excommunicationis sententiam esse iustam, velut cum propter manifestum excessum est in aliquem promulgata; superior iudex (nisi periculum sit in mora) excommunicatum ad excommunicatorem prorsus remittere debet; nec debet eum absoluere, nisi excommunicator requisitus, malitiosè illi absolutionis beneficium deneget exhibere. Si verò constet huiusmodi sententiam esse iniustam, nequaquam remittendus est ad suum excommunicatorem excommunicatus, sed debet sine difficultate aliqua mox absolui. Quòd si dubitetur, vtrum iusta sit, vel iniusta, superior (nisi excommunicatori deferat) relaxare iuxta formam ecclesiæ potest illam; quamquam honestius, & conuenientius agat, si ei deferat in hoc casu. vt in tex. & extr. c. sacro.

TENET tamen relaxatio; vbi Archiepiscopus est iudex, licet non fiat remissio.

QVIA in tali casu, etsi contra ius litigatoris, non tamen contra ius constitutionis, absoluit. vt in tex. Et quoniam sententia contra ius litigatoris lata valet, si ab ea intra decem dies non fuerit appellatum. c. cum inter. de re iudic. & sicut tenet iniusta excõmunicatio, dum tamen sit facta à competenti iudice. c. sententia. 11. q. 3. ita debet tenere absolutio facta ab eo, qui habet iurisdictionem, quamuis in aliquo sit facta iniustè. glos. hic. ver. competit. par enim ius, dominus esse voluit, ligandi, & absoluendi. c. verbum. de pœnit. dist. 1. Ideo vbi superiori competit de excommunicatione cognoscere, absolutio, seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet; licet forsitan sit iniusta. vt in tex. & extr. c. per tuas.

§. Denique.

ARCHIEPISCOPVS in casibus, in quibus excommunicare potest, si consuetudo habet, emendas pecuniarias exigere potest.

QVIA ex causa illã pœnam potest iudex imponere, quæ magis timetur. glos. fin. in c. prout. extr. de dol. & cont. Et quæ magis personæ, causæ, loca, & tempora requirunt. c. fin. extr. de transf. Et quoniam vnaquæque prouincia in suo sensu abundat. c. catholica. dist. 11. Et consuetudo est optima legum interpres. c. fin. extr. de consuet. Ideo à subditis suffraganei, emendas pecuniarias potest Archiepiscopus secundum consuetudinem regionis exigere in casibus, in quibus ei licet eos excommunicationis vinculo innodare. vt in tex. & c. de causis. extr. de offic. deleg. nec tunc petitur aliquid pro absolutione ab excommunicatione, quæ debet gratis concedi, aliter esset simonia. c. ad aures. extr. de simon. Sed talis pecunia exigitur pro contumacia, quam conuenit puniri. glos. hic ver. innodare.

non debet tamen superior illam sibi assumere, sed locis pijs applicare. c. irrefragabili. §. fin. extr. de offic. ord.

Cap. 8. Decernimus.

IVDEX ecclesiasticus compellit iudicem laicum, repellere excommunicatos ab actibus iudiciarijs sibi prohibitis.

QVIA communicare excommunicato in casibus non concessis, est peccatum. extr. c. quod in dubijs. Et quoniam iudex ecclesiasticus potest in sua diœcesi procedere contra quemlibet peccatorem. c. nouit. extr. de iudic. & potestas sæcularis est minor ecclesiastica, & ei subest. c. solitæ. extr. de maior. & obed. & c. duo sunt. dist. 96. Ideo decernitur, vt iudices sæculares per censuram ecclesiasticam, ab ecclesiasticis iudicibus (canonica monitione præmissa) repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando, in suis curijs, & iudicijs compellantur. vt in tex. & c. exceptionem. extr. de except.

Cap 9. Constitutionem.

NON valet excommunicatio lata in participantes, nisi fuerint moniti nominatim. Et canonica monitio dicitur, quæ habet dierum interualla, nisi necessitas facti aliud suadeat.

QVIA per constitutionem Innocentij Quarti fuit sancitum, quod excommunicatio lata in participantes excommunicatis, in locutione, & similibus (canonica monitione non præmissa) non teneat. supr. c. statuimus. Sed quoniam à diuersis dubitabatur, quæ esset dicenda canonica monitio. glos. hic ver. scrupulum. Ideo ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum, Summus Pontifex Gregorius Decimus declarando decernit, ita demum esse monitionem canonicam in hoc casu, si alijs ritè seruatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuit quoq; vt inter monitiones, quas (vt canonica promulgetur excommunicationis sententia) statuunt iura præmitti, iudices, siue monitionibus tribus vtantur, siue vna pro omnibus, obseruent aliquorum dierum competentia interualla; nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda. vt in tex. & infr. c. statutum.

Cap. 10. Præsenti.

RELAXATIO ad cautelam, in generali interdicto non habet locum.

QVIA generale interdictum non est pœna ita grauis, sicut excommunicatio. infr. c. fin. Et quoniam maioribus sanandis malis debet sincera charitas cautius subuenire. c. vt constitueretur. dist. 50. Ideo præsenti generali declaratur edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quo ad interdicti sententias in ciuitates, castra, vel quælibet alia loca, siue ter-

terras aliquas, generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere. vt in tex. & latè glos. ver. declaramus. Quod autem dicatur generale interdictum, habetur in c.cum in partibus.extr.de verb.sign.

Cap. 11. Quicunque.

EXCOMMVNICAT certis limitationibus, dantes licentiam offendendi in personis, vel rebus suis, vel suorum, exercentes contra aliquos ecclesiasticam censuram, vel exerceri facientes, vel illam seruantes. Quam pœnã prorogat ad vtentem, vel motu proprio id agentem; illamque aggrauat.

QVIA multi Prælati timebant quandoque exercere censuram, propter grauamina, quæ eis, vel suis inferebantur. Franc.hic. Et quoniã huiusmodi grauamina sunt omnino auferenda, cum sint contra libertatem ecclesiasticam. c. eos, qui.supr. de immunit. eccl. Ideo quicunque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, balliuos, vel quoslibet ministros eorum, aut quoscunque alios, excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu aliàs in personis, aut bonis suis, vel suorum grauandi eos, qui tales sententias protulerunt, siue quorum sint occasione prolatæ, vel easdem sententias obseruantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes (nisi licentiam ipsam, re integra, reuocauerint, vel si ad bonorum captionem, occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa fuerint intra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa) eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Eadem quoque sententia sint innodati omnes, qui ausi fuerint prædicta licentia data vti, vel aliquod præmissorum, ad quæ committenda dari licentiam prohibetur, aliàs committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab ea non possit, nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere. vt in tex. & supr. c. delicto.

Cap 12. Si iudex.

SI malefactor captus à iudice laico, dicit se clericum, huius rei cognitio ad iudicem ecclesiasticum spectat. Et si notoriè, vel publica fama, vel communi æstimatione habetur pro clerico, statim fit remissio. Idem si prius se gerebat pro clerico, & modo deprehensus fuit in habitu clericali.

QVIA de re ecclesiastica, & spirituali, nec principaliter, nec incidenter habet sæcularis iudex se intromittere. c. tuam. extr. de ord. cogn. Sed coram suo iudice sunt clerici conueniendi. c. at si clerici. extr. de iudic. Et quoniam quilibet præsumitur esse talis, qualis is esse solet, cuius habitum gerit. l. item apud. §. si quis virginem. ff. de iniur. Ideo si iudex laicus male-

malefactorem captum detineat, & is se clericum dicens, ad curiam ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa eum tanquam suum clericum repetat, iudice illum inficiante clericum, ac ob hoc minimè remittendum; dubitationis huiusmodi, an scilicet sit, qui repetitur, clericus, ad iudicem ecclesiasticum (quià de re ecclesiastica, & spirituali, vocato tamen iudice sæculari, vel alio, cuius interest) cognitio pertinebit. Et si notorium fuerit, quòd idem malefactor sit clericus, qui huiusmodi priuilegio gaudere debeat, statim absque alia cognitione, vel fama publica de hoc extiterit, aut ipse pro clerico communiter habebatur; in continenti, etiam ante cognitionem de clericatu, ecclesiasticæ curiæ debet reddi. Idem est censendum, si reus ipse, ante deprehensionem pro laico, publicè se non gerens, deprehensus fuit in habitu clericali, tonsuram videlicet, & vestes deferens clericales; nam talem debemus clericum (donec constet de contrario) reputare. Sicut de illo, qui in possessione ingenuitatis existit, si dicatur ab alio libertinus, legalis sanxit auctoritas, vt probandi necessitate, non ipse, sed aduersarius adstringatur. Iustum est enim, vt ipse talis quem gestat ex habitu (quousque appareat aliud) præsumatur, qualis is esse, cuius fert habitum, comprobatur. Ex stigmate namque consueto fabricensibus imprimi, latitans fabricensis agnoscitur. Et custodes aquarum (quos hydrophilacas nominant) quæ eis insigi solet annotatione signati, manifesti sunt omnibus, & angariarum nomine non tenentur. Isque status alicuius esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur. vt in tex. & extr. c. vt famæ.

SI autem prius se gerebat pro laico, licet modò in clericali habitu deprehensus fuerit; non fiet remissio, donec fuerit de clericatu probatum; sed interim contra eum iudex in nullo procedet.

QVIA quando est præsumptio contra aliquem, ei non sufficit possessio, nisi faciat constare etiam de titulo. c. 1. supr. de præsumpt. Et quoniam ex delatione præcedenti laicalis habitus, orta est præsumptio, quod talis non sit habendus pro clerico. vt in tex. & præiudiciali quæstione pendente, principaliter mota quiescit. c. tuam. extr. de ord. cogn. & l. præses. C. ad l. Iul. de plag. Ideo si ante deprehensionem quis pro laico publicè se gerebat, ac pro tali communiter habebatur; quamuis deprehensionis tempore repertus fuerit in habitu clericali; tunc non est restituendus, quousque fidem de titulo fecerit clericali, cuius eidem probationis onus incumbit, propter præsumptionem, quæ aduersus ipsum orta est ex delatione laicalis habitus præcedenti. Contra eum tamen interim quiuis processus iudicis penitus conquiescere debet. vt in tex. & c. Deus. §. fin. 3. q. 1.

Cap. 13. Statutum.

NON tenet suspensio, vel interdictum, lata in participantes, non præmissa monitione canonica.

QVIA

QVIA ex quo iudices erant nimium faciles ad excommunicandum maiori participantes excommunicatis, propterea emanauit. c. statuimus. supr. eod. quod vetat participantes excommunicari excommunicatione maiori, nisi præmissa monitione. Deinde iudices faciebant fraudem, faciendo monitionem generalem, & contra hos fuit prouisum per c. constitutionē. supr. eod. quod statuit, vt monitio fiat nominatim. Sed quoniam adhuc iudices, qui excommunicare non poterant participantes, nisi nominatim monitos, sine monitione dicebant; excommunico talem, & suspendo à diuinis omnes sibi participantes; vel faciebant generalem monitionem de non participando, sub pœna suspensionis, vel interdicti. glos. hic. Ideo, vt etiam contra tales prouideatur, statutum Gregorij Papæ X. factum ad declarationem constitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis, ea participatione, quæ solum minorem inducit, maiore excommunicatione ligari, monitione canonica non præmissa, in suspensionis, & interdicti sententijs (quæ pro huiusmodi participatione plerumque ab ordinarijs, vel delegatis iudicibus promulgantur) præcipitur inuiolabiliter obseruari; & decernitur, easdem sententias non tenere aliter promulgatas. vt in tex. & infr. c. is, cui.

Cap. 14. Licet.

PER negligentiam non prosequentis debito tempore appellationem excommunicatio post eam lata non conualescit; sed poterit tunc denuntiari, & debebit vitari, donec de sententiæ nullitate docuerit.

QVIA appellatio legitima eximit appellantem à iurisdictione iudicis, à quo. c. si à iudice. supr. de appell. & ob id talis excommunicatio dicitur lata à non suo iudice. c. si postquam. supr. de elect. & sic non tenet. c. ad audientiam. extr. de consuet. & l. 1. C. si à non comp. iud. & id quod nullum est ipso iure, tractu temporis non conualescit, nec ratificatur. c. non firmatur. infr. de reg. iur. licet secus sit in annullandis, nam illa possunt ratificari, & conualescere. c. significauit. extr. de eo, qui dux. in matr. & c. Salonitanæ. dist. 63. Sed quoniam de sua negligentia debet puniri iste, qui poterat prosequi suam appellationem, & non curat prosequi. c. sæpe. extr. de appell. & l. furti. ff. rem rat. hab. Ideo licet excommunicationis sententia post appellationem legitimam promulgata, per negligentiam appellantis, appellationem suam minimè prosequentis, non ratificetur, nec etiam conualescat. Excommunicatus tamen nominatim, vel specialiter, & expresse, qui post appellationem legitimam excommunicationis sententiam asserit in se latam; se appellationem eandem, intra tempus ad ipsam prosequendam ab homine, vel à iure statutum, non fuerit (vt debuit) prosecutus, lapso eodem tempore, excommunicatus publicè nuntiari, & ne dum in iudicialibus, sed etiam in extraiudicialibus euitari, ac à legitimis actibus remoueri debebit, quousque, quod post appellationem legitimam excommuni-

communicatus fuerit, vel aliàs de ipsius sententiæ docuerit nullitate. vt in tex. & c. pia. supr. de except. Vnde nota, quod non sequitur; iste denuntiatus est excommunicatus, ergo est excommunicatus; nam hic denuntiatur, qui fortè excommunicatus non est. glos. verb. nuntiari.

Cap. 15. Si clericos.

PRAELATVS capi faciens, & includens, etiam per laicos, clericum non dum incorrigibilem, excommunicatus non est; nec etiam ipsi capientes.

QVIA ad incurrendam excommunicationem pro iniectione manuum in clericum, requiritur, quod illa iniectio sit iniuriosa, vel temeraria. c. si quis suadente. 17. q. 4. Et quoniam in his casibus (nisi aliàs ex proposito excedatur in ipsis) temeritas, vel iniuria nequit deprehendi. vt in tex. & extr. c. cum voluntate. Ideo si clericos suæ iurisdictioni subiectos, propter commissos excessus, Episcopus etiam per laicos capi faciat, & eos (ne fugiant) in carcere, pœna debita postea castigandos, includat, ipse Episcopus, vel tales capientes (licet non dum appareat, incorrigibiles illos esse (nulla excommunicatione nodantur. vt in tex. & extr. c. vt famæ. secus si Episcopus faceret per laicum illos verberari. extr. c. vniuersitatis.

SI talis dat fideiussores de parendo iuri, detineri non debet; nisi iusta causa id suadeat.

QVIA per idoneos fideiussores prouidetur indemnitati creditoris. l. præsente. C. de fideiuss. Et quoniam erga clericos non est sæuiendum. c. cum beatus. dist. 45. Ideo eosdem quoque clericos, si de parendo iuri, Episcopo fideiussoriam dederint cautionem, ipse detinere non debet; nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis, eos suaserit detinendos. vt in tex. & l. diuus. ff. de cust. reor.

Cap. 16. Si sententia.

INTERDICTO clero, non est interdictus populus, nec econuerso.

QVIA in pœnis benignior est interpretatio facienda. c. in pœnis. infr. de reg. iur. Et quoniam in stricta significatione, nomine populi non comprehenditur clerus, nec econuerso. c. duo sunt. 12. q. 1. Ideo si sententia interdicti proferatur in clerum, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiã econuerso; vnde vno interdicto ipsorũ, alius licitè admittitur ad diuina. vt in tex. & c. ex parte, il 1. extr. de priuil.

INTERDICTA ciuitate propter delictum domini, ciues non interdicti extra ipsam audiunt diuina.

QVIA aliud est interdicere solum ciuitatem; aliud ciuitatem, & ciues; aliud ciues tantum. glos. ver. interdicti. Et quoniam ex diuersis non

non fit illatio. l. Papinianus. ff. de minor. Ideo cum propter delictum domini, vel rectoris, est ciuitas interdicta; ciues eiusdem (qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter dominum, vel rectorem puniendum, in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam, licitè interesse diuinis. vt in tex. & c. 1. supr. de iniur.

INTERDICTO populo, singulares de populo intelliguntur interdicti.

QVIA vbi fit mentio vniuersitatis, in materia, quæ non est proportionabilis vniuersitati, vt vniuersitati; vniuersitas sumitur pro particularibus capitibus in ea inclusis. Gemin. hic. Et quoniam vniuersitas est res inanimata, in quam non cadunt talia. glos. ver. non. ista enim cadunt in animam rationalem, & personam veram, non repræsentatam. Io. And. supr. in c. Romana. Ideo cum alicuius terræ populus interdicto nodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cum diuinorum auditio, & sacramentorum perceptio, populo vt vniuersis nô competant) non debent alicubi (casibus expressis à iure duntaxat exceptis) audire diuina, vel ecclesiastica recipere sacramenta. vt in tex. & infr. c. fin.

Cap. 17. Si ciuitas.

INTERDICTA ciuitate, suburbia, & continentia ædificia, dicuntur interdicta. Et interdicta ecclesia, capella contigua, & cœmiterium contiguum dicitur interdictum.

QVIA verba propter materiam, in qua ponuntur, sæpius extenduntur. l. si vno. ff. locat. & l. stipulatio. §. hæc. ff. de verb. obl. Et quoniam nisi in huiusmodi interdicto, illud extenderetur ad suburbia, & continentia ædificia, & ad capellam, & cœmiterium contiguum, sententia talis interdicti facile posset vilipendi. vt in tex. Ideo si ciuitas, castrum, aut villa, subijciantur ecclesiastico interdicto; illorum suburbia, & continentia ædificia, eo ipso sunt intelligenda interdicta; nam licet prædicta videantur aliâs murorum ambitu terminari; hoc tamen casu, ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbijs, vel continentibus ædificijs licitè celebrari, vt prius) expedit interpretationem fieri latiorem. Ratione quoque simili, si sit ecclesia interdicto supposita, vel subiecta; nec in capellis eius celebrari, nec in cœmeterio ipsius, eidem ecclesiæ contiguis poterit sepeliri. Secus si ei contigua non existant. vt in tex. & supr. c. prox.

Cap. 18. Is, qui.

CELEBRANS scienter in ecclesia polluta, vel præsente excommunicato maiori excommunicatione, irregularitatē non contrahit.

QVIA

QVIA irregularitas non contrahitur, nisi in casibus in iure expressis.vt in tex.& Innoc.in c.tanta.extr. de excess.pral. Et quoniam isti casus non reperiuntur in iure expressi. vt in tex. & Host. in c.fin. de cler. excom. Ideo is, qui in ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui, præsentibus maiori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumit; licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit. vt in tex.& c Episcoporum. supr. de priuil. Ille tamen qui sic celebrat, mortaliter peccat, & ob id est puniendus; nam licet tunc ecclesia non sit interdicta, organa tamen in ea dicuntur esse suspensa. Archid.hic.& c.fin.extr.de consecr.eccl.

§. Is verò.

SCIENTER celebrans in loco interdicto, in casibus non præmissis, irregularis, & ineligibilis est.

QVIA irregularitas contrahitur, vbicunque Papa per ius suum disponit illam contrahi. Innoc.in d.c.tanta. irregularitates enim quasi omnes, & earum pœnæ, sunt de iure positiuo. Archid. hic. Et quoniam ius Pontificium disponit, quod taliter celebrans, & interdictum ecclesiæ violans, irregularitatem incurrat. c. penult. & fin.extr.de cler.excom. Et quod ineligibilis, & impostulabilis fiat. c.1.extr. de postul.prael. Ideo is, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto (nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit; à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari; & adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum alijs debebit admitti. vt in tex.& infr.Clem.1.

Cap. 19. Quoniam.

TEMPORE interdicti, chrisma die cœnæ Domini confici potest.

QVIA in baptismo, & confirmatione (quæ ne dum pueris, sed adultis, propter moræ periculum, exhiberi possunt licitè tempore interdicti) chrismatis vtimur vnctione. vt in tex. & c.non est.extr.de spons. Et quoniam vetus chrisma non debet esse vsui; nec de illo veteri chrismate debet quis chrismari; & deponitur sacerdos, qui veteri chrismate vngit baptizatum, nisi in mortis articulo.c.si quis de alio.de consecr.dist.4.vnde omni anno in die cœnæ Domini debet chrisma confici, & vetus cremari. c.literis.de consecr.dist.3. Ideo posse (licet terra interdicta existat) chrisma die cœnæ Domini confici, dubium non existit. vt in tex. & extr.c.permittimus. Concesso enim principali, intelligitur concessum, & accessorium.c.accessorium.infr.de reg.iur.

Cap. 20. Is, cui.

SVSPENSVS ab ingressu ecclesiæ, in ea diuina celebrans, est irregularis.

QVIA

QVIA aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod peruenitur ad illud; & quæ sequuntur ex illo.c.cum quid.infr.de reg.iur. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat, ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ.c.cum in cunctis. extr.de elect. Ideo statuitur, vt is, cui est ecclesiæ interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta) irregularis efficiatur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius.vt in tex.& supr.c.1.

ET moriens impœnitens, suspensione illa durante, caret ecclesiastica sepultura.

QVIA cum talis faciat in re graui contra iustum præceptum superioris, mortaliter peccat.c.si quis.extr.de maior.& obed. Et quoniã qui notoriè impœnitens moritur in peccato mortali, debet ecclesiastica sepultura carere.c.cum ad monasterium.extr.de stat.mon. Ideo talis, si, hoc interdicto durante, decedat, non debet in ecclesia, vel cœmiterio ecclesiastico (nisi pœnituerit) sepeliri.vt in tex.& c.placuit.23.q.5.

ET suspensio ab ingressu ecclesiæ, vel officio, per appellationem sequentem non suspenditur.

QVIA sententia suspensionis, vel interdicti in multis conuenit cum sententia excommunicationis.supr.c.statutum. Et quoniam sententia excommunicationis trahit secum executionem, nec suspenditur per sequentem appellationem.c. pastoralis. extr. de appell. Disciplina enim ecclesiastica est adiuuanda, vt timeatur, non autem est aperienda via, vt contemnatur.c. sciendum.8.q.1. Et sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.c.sententia.11.q.3. sunt namque istæ ecclesiasticæ censuræ medicinales, tendentes in salutem animarum. supr.c.1. Ideo sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minimè suspenduntur. vt in tex.& c.ad hæc,il 5.extr.de appell.

Cap. 21. Religioso.

RELIGIOSVM clericum verberantem absoluit Episcopus eo casu, quo absolueret clericum.

QVIA religiosis est subtrahenda materia euagandi. c.2.supr.ne cler. vel mon.nec pro eo, quod monachi sunt, debet eorum conditio in spectantibus ad salutem, esse deterior. c.sunt.16.q.1. Et quoniam si Episcopus non posset absoluere religiosum eo casu, quo potest absoluere clericum per iniectionem manuum in alium clericum, hoc prætextu sumerent aliqui religiosi occasionem verberandi clericum, vt pro absolutione ad Sedem Apostolicam proficiscerentur, & euagarent. vt in tex. Ideo religioso, qui manus violentas in clericum sæcularem iniecit (ne hoc prætextu habeat

beat materiam euagandi) poterit ab Episcopo, eo casu absolutionis beneficium exhiberi, quo sæculari clerico posset, si alium clericum percussisset. vt in tex. & extr. c. cum illorum.

§. Quamuis.

VERBERANS nouitium religionis, excommunicationem incurrit.

QVIA licet nouitius non sit religiosus adhuc incommutabiliter, est tamen sub iurisdictione, & tuitione ecclesiæ, & censetur religiosus, licet commutabiliter. c. statuimus. extr. de regul. & propter hoc conuenimus eum in foro ecclesiastico. c. beneficium. supr. de regul. Et quoniam priuilegium canonis; si quis suadente. 17. q. 4. non solum est in fauorem clericorum sæcularium, sed etiam regularium. extr. c. monachi. Ideo quamuis is, qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus; si quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ à canone vinculum non euadit. vt in tex. & extr c. non dubium. Nec obstat, quod cras poterit laicari; quia idem est in clerico sæculari in minoribus ordinibus; & tamen tunc est ecclesiastica persona. c. quisquis. 17. q. 4. vnde attendendus est habitus, & status, in quo tunc reperitur. supr. c. si iudex.

Cap. 22. Eos, qui.

ABSOLVTVS propter mortis periculum, vel aliud impedimentum, ab eo, à quo aliàs non poterat; si cessante impedimento, se non præsentat, cum commodè poterit, ei, à quo aliàs absolui debebat; recidit in eandem sententiam.

QVIA cauendum est, ne prætextu impedimenti instantis, censuræ illudatur ecclesiasticæ. extr. c. de cætero. Et ne facilitas veniæ sit incentiuum delinquendi. c. vt clericorum. extr. de vit. & hon. cler. Et quoniam nisi statueretur, quod in his casibus absolutus, reincideret in excommunicationem, si non se præsentat illi, à quo aliàs fuisset absoluendus, illo impedimento cessante, censuræ ecclesiasticæ sæpe videretur esse illusum. vt in tex. Ideo eos, qui à sententia canonis, vel hominis (cum ad illum, à quo aliàs de iure fuerant absoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absoluuntur; si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi, à quo, his cessantibus, absolui debebant, quamcitò commodè poterunt contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia suadebit; Summus Pontifex decernit (ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ) in eandem sententiam recidere ipso iure. vt in tex. & extr. c. quod de his.

IDEM

IDEM in absoluto, qui se debet alicuius conspectui præsentare, si hoc non faciat.

QVIA per iuramentum præstitum in absolutione, quod præstatur de consuetudine ecclesiæ; tenetur iste absolutus adire talem superiorem ab eo pœnitentiam suscepturus, & eius arbitrio offensis satisfacturus. extr. c. cum desideres. Et quoniam obligatus ad factum, tenetur illud adimplere, quamcitò commodè poterit. l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. oblig. Ideo etiam in isto casu, ne censuræ illudatur ecclesiasticæ, & periurium committatur, & ne satisfactio nimium differatur in dispendium illorum, quos res tangit; statuitur (cum à Sede Apostolica, vel à Legatis ipsius, absolutionis beneficium à quibusuis sententijs aliqui consequuntur) quod si eis iniungitur, vt ordinariorum suorum, vel aliorum quorumlibet, suscepturi pœnitentiam ab eisdem, se conspectui repræsentent, & passis iniuriam, seu ijs, quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem; si hæc cum primùm commodè poterunt, non curauerint adimplere, in eandem excommunicationis sententiam recidere ipso iure. vt in tex. & extr. c. per tuas. Et intellige, quod reincidunt in eandem excommunicationem in genere, non in numero. Io. Mo.. hic. vt ego Io. Baptista Vinianus notaui in c. de cætero. extr. eod.

Cap. 23. Cum quis.

SI persecutionem in clericum sine meo mandato, tamen nomine meo factam, ratam habeam, excommunicatus sum.

QVIA ratihabitionẽ retrotrahi, & mandato non est dubiũ cõparari. c. ratihabitionem. infr. de reg. iur. Et quoniã talis videtur participare criminoso in crimine, factum eius nomine gestum approbando. extr. c. nuper. & l. cum ancillis. C. de incest. nupt. Ideo cum quis absque tuo mandato manus inijcit in clericum, tuo nomine violentas; si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à canone incunctanter incurris. vt in tex. & extr. c. mulieres.

SECVS, si meo nomine non sit facta.

QVIA ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. c. ratum. infr. de reg. iur. Et quoniam in tali casu non potest dici, quod iste participauerit criminoso in crimine. Ioannes Monachus hic. Ideo si iniectio eadem, tuo nomine non fit facta, tunc licet pecces gratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vllius vinculo innodaris. vt in tex. & extr. c. cum voluntate.

Cap. 24. Alma.

TEMPORE interdicti, etiam sani ad pœnitentiam admittuntur, nisi sint excommunicati; qui non nisi in mortis articulo admittentur,

X

tur, vel nisi causam dederint interdicto; qui non admittentur, nisi satisfaciant, vel caueant, prout possunt. Item illo tempore, missæ, & alia diuina officia, sub pœna distributionum, sicut prius, in ecclesijs celebrantur, ianuis clausis, plane, sine excommunicatis, & interdictis, & sonitu campanarum. Et quater in anno, altè, cum campanis, & ianuis apertis celebrare possunt, & exclusis excõmunicatis, interdictos admittere; ita tamen, quod hi, propter quorũ excessũ latũ est, non appropinquent altari. In cæteris seruandum est interdictũ. Et reuocata sunt priuilegia, vltra id quibuscunque concessa.

QVIA alma mater ecclesia, plerunque nonnulla rationabiliter ordinat, & consultè; quæ, suadente subiectorum vtilitate, postmodum cõsultius, ac rationabilius reuocat, in meliusuè commutat. vt in tex. & c. non debet. extr. de consang. & aff. Et quoniam ex eo, quod prius à diuersis Summis Pontificibus fuerat constitutum, vt in terris, seu locis, ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus, & sacramentis exceptis) diuina celebrarentur officia, vel ministrarentur ecclesiastica sacramenta, ex districtione huiusmodi statutorum, excrescebat indeuotio populi, pullulabant hæreses, & infinita pericula animarum insurgebant; ac ecclesijs sine culpa, earum debita obsequia subtrahebantur. vt in tex. Ideo vt contra hæc inconuenientia prouideatur, Summus Pontifex Bonifatius Octauus cum S.R.E. Cardinalibus deliberatione habita super his diligenti, cõcedit, quod tempore interdicti ab homine, vel à iure prolati, non tantummodo morientes, sed etiam viuentes, tam sani etiam, quàm infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est) licitè ædmittantur; dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti (prę terquam in mortis articulo) non vult ad eandẽ. Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem, lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel fauorem; nisi de ipso delicto (si sint tales, quod id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut si satisfacere nequeunt, vel huiusmodi cautionem præstare iurauerint, quod cum poterunt, satisfacient, & ad satisfactionem huiusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandam, dabunt consilium, & auxilium, ac iuxtà posse suum fideliter laborabunt; non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quo ad istos, vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt (vbi ciuitas, vel locus alius, seu vniuersitas, interdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo iniungenda pœnitentia salutaris. Adijcit præterea, quod singulis diebus, in ecclesijs, & monasterijs missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia, sicut prius; submissa tamen voce, & ianuis clausis, excommunicatis, ac inter-

terdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Et tam canonici, quàm clerici ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui horis intersunt canonicis tribuuntur, si ad officia non venerint supradicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto perderent non extante, si diuinis officijs non adessent. In festiuitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & ianuis apertis, alta voce, diuina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis; quibus ob reuerentiam dictarum solemnitatum (vt ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittit diuinorum; sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa obseruationem interdictorum ab alijs Summis Pontificibus eius prædecessoribus sunt instituta, in suo robore duraturis; non obstantibus quibusuis priuilegijs, ecclesijs, monasterijs, ordinibus, religionibus, seu personis ecclesiasticis, sæcularibus, vel regularibus, exemptis, & non exemptis, sub quauis forma, vel expressione verborum, ab Apostolica Sede concessis, quæ contra tenorem præsentis constitutionis, nullis vult suffragari; cum quibuslibet, tam sæcularibus, quàm regularibus sufficere debeat, vt tempore interdicti, modo præmisso, diebus celebrent supradictis. vt in tex. & c. prouide. infr. in extrauag. com.

In Clement. Cap. 1. Ex frequentibus.

RELIGIOSI etiam exempti, violantes interdictum positum per Sedem Apostolicam, vel Ordinarium loci, vel generalem cessationem diuinorum, factam per prouinciale Concilium, vel eum, qui hoc possit, seruatam per cathedralem, vel matricem ecclesiam loci, excommunicati sunt ipso facto; non obstantibus priuilegijs conuentionibus, consuetudinibus, & statutis, & respicit pendentia.

QVIA ex frequentibus Prælatorum querelis, Summus Pontifex Clemens V. accepit, & ipse experientia certa probauit, in minoribus constitutus, quòd plerunque religiosi, nunc patenter, excusationibus fucatis, & friuolis innitentes; nunc latenter, ecclesiarum suarum ianuis perforatis, aut in eis factis fenestris, seu modis alijs exquisitis, non absque damno cathedralium, & parochialium ecclesiarum, & scandalo plurimorum, dirumpendo neruum ecclesiasticæ disciplinæ, ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia interdicta, præsumptione damnabili violare præsumebant. vt in tex. Et quoniam fraudibus est obuiandum. c. sedes. extr. de rescr. Et cauendum est, ne sub prætextu priuilegij, vel flagitiorum crescat auctoritas, vel publica vacillet vtilitas. c. 1. de pri-

uil.in 6.& l.2.C.de priuil.schol.lib.12. Ideo ipse Summus Pōtifex in sancta Dei ecclesia,cui(disponente Domino) tunc præsidebat;quæ quidem vnica est,& vnum Deum prædicat,atque colit, vnam fidem firmiter,& simpliciter confitetur, vniformitatem (quantum commodè poterat) conseruare volens,circa interdictorum obseruantiam prædictorum, auctoritate Sedis Apostolicæ, vel à locorum ordinarijs positorum,de S.R.E.Cardinalium consilio,districtè præcipiendo mandat,quatenus religiosi quicunque, tam exempti,quàm non exempti,cuiuscunque ordinis, & conditionis existant, cum cathedralem,vel matricem, seu parochialem loci ecclesiam,illa viderint,aut sciuerint obseruare (non obstantibus quibuscunque appellationibus,antea etiam ad eandem Sedem, vel alium, seu alios,interiectis,& alijs obiectionibus quibuscunque)absque dolo, & fraude,cum moderatione tamen decretalis, Alma. inuiolabiliter conseruent. Alioqui non seruantes excommunicationis sententiæ,hoc ipso, vult subiacere. Quod etiam in interdictis, & cessationibus à diuinis indictis per prouincialiū Conciliorum statuta, vel ipsorum auctoritate, cum maius sit prouinciale Concilium, quàm singularis Prælati prouinciæ, ac iudicium integrum,quod plurimorum sententijs comprobatur, vult obseruari. In cessationibus verò generalibus à diuinis, ciuitatum, terrarum,& aliorum locorum,quas aliquando ex consuetudine,vel aliàs capitula,collegia,vel conuentus sæcularium, aut regularium ecclesiarum, sibi vendicant(quia ipsos hoc vnico lumine ad repellendas iniurias eis factas, priuare non vult,nec debet)idem intelligit obseruandum. Ipsi verò sint diligenter attenti, vt statuta Romanorum Pontificum, prædecessorum suorum super hoc edita,diligenter obseruent. Porrò hanc sanctionem ad tunc pendentia trahit; non obstantibus priuilegijs, conuentionibus, statutis, & consuetudinibus quibuslibet,quæ contra præmissa, seu aliquod præmissorum, religiosis ipsis in nullo vult suffragari.vt in tex.& c.cum & plantare.extr.de priuil.

Cap 2. Grauis.

DOMINI tēporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare diuina,vel qui per præcones faciūt tunc ad illa audiēda populū euocari,vel prohibent,ne publicè excōmunicati,vel interdicti,super hoc per illos,qui missas celebrāt,moniti ecclesias exeant,& ipsi nominatim moniti,qui nō exeūt, excōmunicati sunt,& per Papā absoluēdi.

QVIA grauis ad Summum Pontificem Prælatorum querela perduxit,quod nobiles quidam,& domini temporales(terris eorum ecclesiastico suppositis interdicto)ne dum in locorum suorum capellis,sed & in collegiatis, & alijs insignium locorum ecclesijs, missas,& alia diuina officia publicè,& solemniter faciebant celebrari. Ad officia eadem celebranda,nunc hos,nunc illos vocantes, & interdum(quod est deterius)compellentes; hisque non contenti excessibus,per campanarum non solum pulsationem,

tionem,sed & voce præconia populos etiam interdictos,vt(interdicti non obstante sententia) ad audiendas missas huiusmodi venirent, faciebant euocari. Nonnulli quoque ipsorum,suis plerunque subiectis, ne(licet excommunicationis, vel interdicti sententia publicè essent innodati)de ecclesijs, dum in ipsis missarum celebrantur solemnia, instantibus etiam celebrantibus, exirent, præcipere non verebantur: ex quo frequenter contingebat, quod (non sine Dei offensa, cleriq; ac populi scandalo)ipsa missarum solemnia remanebant inexpleta. vt in tex. Et quoniam dignum est, vt quos Dei timor à malo non reuocat,ecclesiasticæ saltem coerceat seueritas disciplinæ. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et si negligenter ea, quæ malè vsurpantur, superior omittit; excessus viam alijs aperit. c.peruenit, il 2,dist.93.& l. meminerint. C.vnde vi. Ideo ne excessus sic graues, excedentium impunitate, trahantur ab alijs in exemplum,præsumptores præfatos,qui in locis interdicto suppositis ,quemquam de cæterò diuina celebrare officia, quomodolibet cogere; aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda,aliquos excommunicationis præsertim, vel interdicti ligatos sententia,euocare; seu qui,ne excommunicati publicè, aut interdicti, de ecclesijs, dum in ipsis missarum aguntur solemnia,à celebrantibus moniti,vt exeant,prohibere; necnon excommunicatos publicè,& interdictos, qui in ipsis ecclesijs nominatim à celebrantibus, vt exeant moniti, remanere præsumpserint,excõmunicationis sententia(à qua per Sedē duntaxat Apostolicam possint absolui)Papa innodat.vt in tex.& extr.c.graueni.

Cap.3. Cum ex eo.

FRATRES Minores, si tempore interdicti recipiunt in suis ecclesijs ad diuina fratres, & sorores Tertij Ordinis, excommunicati sunt,nec priuilegia iuuant.

QVIA ex eo, quòd religiosi viri fratres Minores in suis recipiebant ecclesijs,ad audienda diuina officia tempore interdicti,fratres,& sorores de Ordine Tertio (quem beatus Franciscus instituit) existentes,qui continentes, seu de pœnitentia nuncupantur, scandalum aliorum, qui ab his excludebantur,mentibus generebatur,censura vilescebat ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputabatur.vt in tex.Et quoniam scandalum semper est euitandum, quoties potest sine peccato. c. 2. extr.de nou. oper. nunt. Et neruus censuræ ecclesiasticæ est conseruandus. supr.c. prox. Ideo eisdem fratribus Minoribus districtius inhibetur,ne de cæterò aliquem; vel aliquos prædictorum (etiam si super hoc hi, vel illi priuilegijs quibuscunque muniti extiterint; quæ ipsis in nullo prorsus quo ad hoc Papa vult suffragari) ad diuina in suis ecclesijs tempore interdicti, quoquo modo admittant. Quod si fecerint, eo ipso excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere; a qua per alium, quam per Romanum Pontificem, vel satisfactione præmissa, per locorum Episcopos

 (quos

(quos auctoritate Apostolica, Papa eos fungi vult in hac parte) absolutionis beneficium nequeant obtinere. vt in tex.& c.vt priuilegia.extr.de priuil. Sed dices, quare specialiter prohibuit fratres Minores ab admissione fratrum de pœnitentia, tempore interdicti, cum eadem ratio videatur etiam in alijs? Respond.quod fratres Minores magis in hoc delinquebant, propter maiorem affectionem, quam habebant ad istos;& fortè putabant eis licere ipsos admittere, tanquam qui videntur esse eiusdem Ordinis; prohibentur autem, quia non sunt clerici, sed laici; nec sunt eiusdem Ordinis,licet ambo sint à Sancto Francisco instituti.glos.& Zabar.hic.

Cap.4. Si summus.

SI Papa etiam scienter, excommunicato participat, illum per hoc non absoluit, nisi exprimat, hoc se velle. Et si scienter sub titulo dignitatis aliquem nominet, vel honoret, per hoc illum in dignitate non approbat.

QVIA non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. l.neque natales.C.de probat. Et quoniam potest esse, quod Papa participet tali excommunicato, ex alia causa, quàm vt per hoc intendat eum absoluere. extr. c. si aliquando. sicut etiam potest esse, vt nominando aliquem sub titulo alicuius dignitatis, non per hoc intendat ei ius aliquod in illa conferre. c. si Papa.de priuil. in 6. Ideo si Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet, literis, verbo,vel osculo, seu alio quouis modo, ipsum per hoc absoluere nulla ratione censetur, nisi sese velle forsitan exprimat, illum ex hoc pro absoluto haberi. Similiter quoq; si quem sub titulo cuiuslibet dignitatis, ex certa etiam scientia, verbo,constitutione,vel literis nominet,honoret, seu quouis alio modo tractet; per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere noui iuris.vt in tex.& c.super literis.ext.de rescr. Vnde ei,qui dicit, incumbit onus probandi.l.ei, qui.ff.de probat.& præsertim dispensatio non præsumitur, nisi sit expressa.glos.in c.2.extr.de schism. & Dec.in c.si quando. extr. de rescr. & in beneficialibus, in quibus superioris institutio est necessaria. c.1. de reg.iur.in 6.cum illa sit solemnitas extrinseca, non præsumitur,sed debet probari.l.quæcunq; ff.de public.in rem act.

In Extrauag. Ioan. XXII. Cap. vnic. Cum ad sacrosanctæ.

TAXATIO gratiarum Sedis Apostolicæ impetratarum, tam cum clausulis consuetis,quàm non consuetis,hic continetur. Et quot literas, quotq; dictiones linea complecti debeat, declaratur;ad paupertа-

pertatem reſpectus habetur. Contra tranſgreſſores pœna ſuſpenſionis ab officio vſque ad ſex menſes, & quandoque priuationis, imponitur; & vltra illam, Abbreuiatoribus ſententiam excommunicationis Papa comminatur.

QVIA cum ad ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſinum, velut ad matris vbera referta dulcedine, ac ad Romani Pontificis, Chriſti Vicarij, ſucceſſoriſque Petri clementiam, tanquam ad patris plenam prouidentia pietatem, Orbis terrarum, & qui habitant in eo, gratiarum ſpe aſſiduè confluant vniuerſi; indignum eſſet, vt quibus Summus Pontifex, & eccleſia ipſa exuberant in gratijs, deficerent in donis; ne murmurandi inde præſtaretur occaſio, vnde gratitudine neceſſitas aderat collaudandi; neuè ſcriptura redderet onuſtum, quod liberalitas fecerat gratioſum. vt in tex. & c. ad Romanam, il 2.2. q. 6. Et quoniam per taxationem, quæ ſit rationabilis, ita prouidetur miniſtris, qui laborant, ne eorum mercede fraudentur, vt tamen illis, qui eorum miniſterio vtuntur, non ſint iniuſtè oneroſi. gloſ. hic ver. ſatisfiat. & c. cum Apoſtolus. extr. de cenſib. Ideo circa literarum Apoſtolicarum ſcripturas, regiſtrique Apoſtolici, necnon Abbreuiatorum Romanæ curiæ notas, illam in taxando Summus Pontifex vult moderationem apponi, qua perſonæ, quibus gratiæ huiuſmodi conceduntur, ſe gratias ipſas ab Apoſtolica Sede liberaliter ſentiant conſecutas; ac literarum ipſarũ Scriptoribus, Regiſtri etiam Apoſtolici, notarumque Abbreuiatoribus antedictis, qui interdum in eis etiam multo labore deſudant, de ſuo labore congruè ſatisfiat; vnde ad tollendos exceſſus, difficultates, circuitus, & anfractus, qui poſſent ex varijs literarum Apoſtolicarum taxationibus prouenire, ſancitur, vt modus ſubſcriptus in huiuſmodi taxationibus obſeruetur, videlicet, quod litera, & c. vt in tex. & in libro Prouinciali, vbi tractatur de Scriptoribus, & alijs Officialibus Cancellariæ Apoſtolicæ.

In Extrauag. comm. Cap. 1. Excommunicamus.

EXCOMMVNICATI ſunt, qui pactis, aut promiſſionibus iuſtitiam, vel gratiam à Sede Apoſtolica obtinent, & qui tales non reuelant, nec illis abſolutio facilè conceditur.

QVIA quatuor modis humanum iudicium peruertitur; timore; dum metu poteſtatis alicuius, veritatem loqui pertimeſcimus; cupiditate, dum præmio alicuius animum corrumpimus; odio, dum contra quemlibet aduerſarium molimur; amore, dum amico, vel propinquo contendimus præſtare auxilium. c. quatuor. 11. q. 3. Et quoniam præcipuè eſt curandum, vt apud Sedem Apoſtolicam iuſtitia, & gratia rectè diſpenſen-

tur.c.ad Romanam.2.q.6. & acceptio nummorum, præuaricatio veritatis est, vnde & pro iusto dicitur; Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. Isaiæ, cap.35. Et qui munera super innocentem non accepit, non monebitur in æternum. Psal. 14. Ideo Summus Pontifex Bonifacius VIII. per hanc suam constitutionem excommunicat, & anathematizat ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & sua, omnes clericos, religiosos, & laicos vtriusque sexus, siue sint familiares curiæ, siue alij vndecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod paruum, vel magnum promiserint; vel promissionem receperint; aut ex pacto, siue promissione occulta, vel manifesta, facta sub generalibus, & plenariè non expressis, siue sit sub specialibus, & expressis apertè verbis, quicquam dederint, aut receperint magnum, vel paruum, vel promissionem de quacunque re, aut vtilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua iustitia, siue gratia, pro se, aut pro alio, in causis, vel iudicijs, seu aliàs per literas Apostolicas, & quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda. Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duxit extendendam. Illos quoque, qui aliquem sciuerint culpabilem in prædictis, & Summo Pontifici intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad ipsum, verbum fideliter perferatur; simili decernit sententiæ subiacere. Decernit etiam, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam, pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato Summi Pontificis) absolutionis beneficium valeat obtinere; nisi forsan ad ipsum habere accessum non posset, in mortis articulo constitutus: Nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur. Iustitiam verò, siue gratiam sic obtentam, nullius prorsus vult esse momenti, omnique statuit carere effectu, & robore firmitatis. Sed & scienter vtentes ipsis, simili sententia excommunicationis adstringit, & reseruat Summo Pontifici absolutionem eorum, & cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligat. vt in tex. & constit. Greg. XIII. incip. Ab ipso: quæ hanc Bonifatij confirmat; Et ad hæc vide Nauar. super illa Gregor. qui præclarè vtramque glossat.

Cap. 2. Prouidè.

PRAEMISSIS damnis ex interdicto prouenientibus, statuit, quod propter dominum debita non soluentem, eius terra, vel ciuitas, sine speciali Papæ licentia, non interdicatur.

QVIA Summus Pontifex prouidè attendens, quòd, vt frequentius, quamuis non sine causa, sine culpa tamen multorum, interdicti sententiæ proferuntur; quòdque sunt nonnulli iudices nimis prompti ad proferendas easdem, etiam in negotijs, siue causis, quæ interdum plus ex cupidita-

ditatis, quàm charitatis radice, perſpicuis indicijs procedere arguuntur; quodque interdicti tempore diuina organa ſuſpenduntur, & laudes; nec eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrantur, vt ſolent; tolluntur mortuis, ſeu minuuntur ſuffragia, præſertim per oblationem frequentem hoſtiæ ſalutaris; adoleſcentes, & paruuli participantes rarius ſacramenta, minus inflammantur, & ſolidantur in fide; fidelium tepeſcit deuotio, hæreſes pullulant, & multiplicantur pericula animarum. vt in tex. & c. alma. ſupr. in 6. Et quoniam pœnæ ſunt inferendæ, ſecundum quod perſonæ, cauſæ, loca, & tẽpora requirunt. c. fin. extr. de tranſact. Et ſiue puniendo, ſiue ignoſcendo, hoc ſolum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. c. prodeſt. 23. q. 5. Et diuinus cultus, curandum eſt, vt augeatur. c. fin. de reſcr. in 6. Ideo præſentis conſtitutionis prouidetur edicto, vt nulla prouincia, ciuitas, caſtrum, villa, locus, territorium, vel diſtrictus, auctoritate ordinaria, vel delegata, ſupponatur eccleſiaſtico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cuiuſuis monetæ, & pecuniæ quantitate, quacunque occaſione, vel cauſa, ſeu quouis quæſito colore, pro eo maximè, quod ipſorum domini, rectores, ſeu officiales, quocunque nomine cenſeantur, aut incolæ, ſeu habitatores, aut ſingulares perſonæ, ipſorum ſtatutis, vel ſtatuendis, ordinatis, vel ordinandis terminis, huiuſmodi debitum, ſeu quantitatem non ſoluerunt hactenus, aut in antea non perſoluent. Ipſe enim Papa ex nunc decernit irritum, & inane, ſi ſecus hactenus extitit attentatum, vel contigerit attentari, illudque reuocat omnino. Non obſtantibus quibuſcunque contractibus, obligationibus, pactis, cõuentionibus, compoſitionibus, ſubmiſſionibus, fideiuſſionibus, conſenſibus, proceſsibus, & ſententijs ſuper hoc habitis, vel habendis, iuramentorum, pœnarum ſpiritualium, & temporalium, ſeu multarum appoſitione, vel quacunque alia firmitate vallatis: Niſi talis ſuppoſitio interdicti hactenus foret facta, vel in antea fieret de Apoſtolicæ Sedis ſpeciali licentia, & expreſſa, per ipſius Sedis patentes literas apparente. vt in tex. & c. quæſiuit. extr. de his. quæ fi. à ma. par. cap.

Cap. 3. Ad certitudinem.

ANDRONICVM Paliologum, ſe Imperatorem Græcorum nominantem, & hæreſis ipſorum fautorem, excommunicatum denuntiat, omneſque cum eo ſic manente, ſocietatem contrahentes, ipſo facto dixit excommunicatos; & eorum terras eccleſiaſtico ſupponendas interdicto. Suntque priuandi bonis, quæ ab eccleſia tenent; & talis ſocietas, ſeu confœderatio nulla eſt.

QVIA hæretici, receptatores, & fautores eorum, excommunicati ſunt, & decedentes in hoc peccato, in cœmiterio eccleſiæ ſepeliri non debent, nec pro eis orari. c. ſicut. extr. de hæret. Et quoniam iſte Andronicus erat talis. vt in tex. Ideo denuntiatur excommunicatus, & alijs pœnis

cum

cum suis adhærentibus declaratur suppositus. vt in tex. & fac.c. ad Apostolicæ.de re iud.in 6.

Cap. 4. Quia nonnulli.

EXCOMMVNICATI sunt, qui literas à Papa, ante suam coronationem concessas, impugnant.

QVIA electus in Romanum Pontificem à duabus partibus Cardinalium, nulla exceptione obstante, est Papa. c. licet. extr. de elect. Et quoniam Papa, dum eligitur, confirmatur, & statim habet plenam, & liberam administrationem. glos. fin. in d. c. licet. Ideo qui ausus fuerit impugnare literas Papæ, ex eo, quod tempore concessionis, non esset adhuc coronatus, tanquam temerarius, excommunicationis sententia innodatur. vt in tex. & not. in d. c. licet. de elect.

Liber Quintus. Titulus XL.

DE VERBORVM significatione.

In Decretal. Cap. 1. Innouate.

NOVALE est terra nouiter ad culturam redacta.

QVIA dicitur terra noualis ex eo, quod prius non colebatur, & nouiter est aptata ad colendum; vt illa, quæ erat pratum, & nouiter reducitur ad seminandum frumentum; & sylua nunc primum præcisa. S. Hieronym. super Oseam, cap. 10. & l. sylua. ff. de verb. sign.

Cap. 2. Nam & rex.

APPELLATIONE patris, veniunt in lata significatione omnes ascendentes.

QVIA sicut appellatione filij, in lata significatione veniunt etiam nepotes, & alij descendentes. l. liberorum. ff. de verb. sign. licet strictè ille solum dicatur filius, qui ex viro, & vxore eius nascitur. l. filium. ff. de his, qui sunt sui, vel al. iur. ita, licet de propria significatione huius verbi, pater; non sit, vt comprehendat, nisi ipsum genitorem. l. in lege. ff. de ritu nupt. de lata tamen significatione est, vt omnes ascendentes, patris nomine contineantur. S. Hieronym. super Danielem, cap. 5. & l. appellatione. ff. de verb. sign.

Cap.

Cap. 3. Nam & ego.

NON dicitur natus, qui statim decessit.

QVIA quo ad effectum non videtur fuisse, qui non durauit. S. Hieronym. in parabol. cap. 4. & c. ad nostram. de regular. sicut nec dicitur venisse, qui non stetit. l. si pro patre. ff. de in rem. vers.

Cap. 4. Quod dicitur.

DICTIO, antequam, non semper implicat.

QVIA ex facto negatiuo, non est necesse, vt sequatur aliqua affirmatio; sed de eius significatu est, vt quod factum non sit, ostendat. S. Hieronym. super Matth. cap. 1. & c. priusquam. 27. q. 2.

Cap. 5. Ioseph.

PRIMOGENITVS dicitur, qui primò nascitur, etiam si nullus sequatur.

QVIA sicut vltimus est, quem nemo sequitur, licet nullus præcedat; ita primus intelligitur non solum is, qui ante aliquem est; sed etiam is, ante quem nemo sit. S. Hieronym. super Matth. cap. 1. & l. ex duobus. ff. de vulg. & pupill. subst.

Cap. 6. Intelligentia.

VERBA sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis.

QVIA verba sunt instituta, vt per ea cogitationes suas vnusquisque in alterius notitiam proferat. c. is autem. 22. q. 2. vnde ea, quæ sunt in voce, sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ; & ea, quæ scribuntur, eorum, quæ sunt in voce. Arist. 1. de Interpret. cap. 1. Et quoniam propter vnumquodque tale, & illud magis. Auth. multo magis. C. de sacr. san. eccl. Ideo intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; cum non sermoni res, sed rei sit sermo subiectus. S. Hilarius, lib. 4. de Trinit. cap. 5. & c. humanæ. 22. q. 5. Et qui verba tantum sectatur, nihil habebit; qui autem possessor est mentis, diligit animam suam. Prouerb. cap. 19.

Cap. 7. Nihil.

NON vitiatur factum vario modo narratum, vbi idem in substantia concluditur.

QVIA cum non sermoni res, sed rei sit sermo subiectus. supr. c. prox. indignum esset, ob inanem obseruationem verborum, irritum fieri negotium, quod potest sustineri; & de quo narrantes in substantia conueniunt. S. August. de consensu Euangelist. lib. 2. cap. 12. & l. quoniam. C. de testam.

Cap.

Cap. 8. Præterea.

SENSVM, non verba, considerare debemus.

QVIA plerunque, dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur. S. Greg. Epist. lib. 1. epist. 28. Et quoniam plus mens dicentis, quàm vox, inspici debet. supr. c. intelligentia. Ideo ad interpretandum aliquam scripturam, non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu oportet transferri. vt in tex. & c. Marchion. 1. q. 1.

Cap. 9. Quamuis.

DICIT, quis propriè sit præpositus.

QVIA quamuis omnes, qui præsunt, præpositi ritè vocentur; vsus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt. S. Isidor. lib. 10. etymol. cap. 9. & c. saluator. 1. q. 3. & ad intelligentiam verborum, communis vsus loquendi, est maximè attendendus. l. non aliter. ff. de leg. 3. & Bart. in l. omnes. ff. de iust. & iur.

Cap. 10. Forus.

PLVRES iuris voces hic declarantur.

QVIA dicitur, quod forus est exercendarum litium locus, à fando dictus, siue à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit. Cõstat autem forus, causa, lege, & iudicio. Causa, à casu, quo venit, dicitur. Est enim materia, & origo negotij, ne dum discussionis examine patefacta; quæ dum proponitur, causa est; dum discutitur, iudicium; dum finitur, iustitia. Vocatur autem iudicium, quasi iurisdictio; & iustitia, quasi iuris status. Iudicium autem, prius inquisitio vocabatur; vnde & auctores iudiciorum, præpositos quæstores, vel quæsitores vocamus. Negotium multa significat, modo actum alicuius rei, cuius contrarium est otium; modo actionem causæ, quod est iurgium litis; & dictum est negotium, idest sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commercijs dicitur, vbi aliquid datur, vt maiora lucrentur. Iurgium dicitur, quasi iuris garrium; eo quod ij, qui causam dicunt, iure disceptant. Lis autem à contentione limitis, nomen sumpsit; de qua Virgilius Aeneid. lib. 12.

Limes erat positus, litem vt discerneret agris.

Causa, aut argumento, aut probatione constat. Argumentum nunquam tabulis dat probationem; sed sola inuestigatione inuenit veritatem; vnde dictum est argumentum, quasi argutè inuentum. Probatio autem, testibus, & fide tabularum constat. In omni quoque negotio hæ personæ quæruntur; iudex, accusator, reus, & tres testes, vel duo. Iudex dictus, quasi ius dicens populo, siue quod iure disceptet. Iure autem disceptare, est iustè iudicare. Non est ergo iudex, si non est in eo iustitia. Accusator vocatus est, quasi causator, quia ad causam vocat eum, quem appellat. Reus à re, quæ petitur, nuncupatur, quia quamuis conscius sceleris non sit, reus tamen

tamen dicitur, quamdiù in iudicium pro re aliqua petitur. Testes antiquitus, superstites dicebantur, eo quod super causæ statu proferebātur; nunc, parte ablata nominis, testes vocantur. Testes autem considerantur, conditione, natura, & vita. Conditione, si liber, non seruus; nam sæpe seruus, metu dominantis, testimonium supprimit veritatis. Natura, si vir, non fœmina; nam varium, & mutabile testimonium semper fœmina producit. Vita, si innocens, & integer actu; nam si vita bona defuerit, fide carebit; non enim potest iustitia cum scelerato homine habere commercium. vt in tex. & S. Isidor. lib. 18. etymolog. cap. 15.

Cap. 11. Pactum.

DICIT; Quid sit pactum, & vnde dicatur.

QVIA pactum dicitur, inter partes ex pace conueniens scriptura, legibus, ac moribus comprobata; dictum pactum, quasi ex pace factum. S. Isidor. lib. 5. etymolig. cap. 24. & l. conuentionum. ff. de pact. Et est duorum, pluriumuè, in idem placitum, & consensus. l. 1. ff. de pact. Dic tamen, quod etiam sine scriptura sit pactum; sed ideo hic dicitur de scriptura, quia sæpe interuenit scriptura, & ad pacti probationem interponitur. glos. hic. & l. pactum. C. de pact. Et intellige, quod valeret pactum etiam sine scriptura, nisi partes conuenerint, quod de eo fieret scriptura. l. contractus. C. de fid. instr. Dicitur autem legibus, ac moribus comprobatum; quia pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est. l. pacta. C. de pact. & l. iurisgentium. ff. eod.

Cap. 12. Ius.

HIC declaratur nomen iuris, prout habetur in re, non prout est generale nomen.

QVIA ius, prout habetur in re, dictum est à iure possidendo; hoc enim iure possidetur, quod iustè; hoc iustè, quod bene; quod autem male possidetur, alienum est; male autem possidet, qui vel suis male vtitur, vel aliena præsumit. S. Isidor. lib. 5. etymol. cap. 25. Et sic intelligitur ius applicatum ad certam rem, vt quando dicitur, habeo ius in tali re. glos. hic. Sed capiendo ius generaliter, dicitur à iustitia; & est ars boni, & æqui. l. 1. ff. de iust. & iur, & istud habet sub se plures species, scilicet, naturale, ciuile, & gentium. c. ius. dist. 1. & Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. §. 1. & 2.

Cap. 13. Causa.

QVICQVID fidelis offert ecclesiæ, oblationis nomine continetur; & à sæcularibus possideri non debet.

QVIA licet strictè loquendo, pro oblatione solum intelligatur, quod offertur sacerdoti in missa. c. vt dominicis. de paroch. & c. omnis. de cōsecr. dist. 1. large tamē, oblatio dicitur quicquid offertur ecclesiæ. infr. c. cum

cum inter. nec fit differentia, an offeratur in vita, vel in morte. c. de his. de de sepult. vel an consistat in rebus mobilibus, vel immobilibus. c. videntes. 12. q. 1. Et quoniam laicis, disponendi de rebus ecclesiæ, nulla est attributa potestas. c. fin. de reb. eccl. non ali. Ideo primitiæ, decimæ, & oblationes, in solis ecclesiarum bonis præcipue numerantur. Oblationes verò dicuntur, quæcunque de proprijs, & licitis rebus ecclesiæ à fidelibus offeruntur. Quicunq; igitur eas per potestatem sæcularem obtinet, proculdubio contra Deum, & sanctorum Patrum nititur sanctiones; quinimo, & qui accipit, & qui tradit, raptor, & sacrilegus iudicatur. vt in tex. & c. nulli. 12. q. 2.

Cap. 14. Quæsiuit.

SOLVS sacerdos potest sacramentum Extremæ Vnctionis infirmo conferre.

QVIA vt inquit diuus Iacobus; Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum; & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei. epist. cap. 5. Et quoniam in hoc sacramento fit remissio peccatorum; & alij, quàm sacerdotes, non habent potestatem dimittendi peccata. S. Thom. par. 3. q. 31. art. 1. in addit. Et inquantum diuus Iacobus dicit; *inducat presbyteros*; non per hoc est necesse, quod sint plures presbyteri ad conferendum hoc sacramentum; nam illa pluralitas est resoluenda in singularitatem, vt dicat *presbyteros*, idest, qualibet vice presbyterum. Host. hic. vt fit in c. vt priuilegia. de priuil. vel si sint plures, quod non prohibetur; imo melius est, cum facilius plures exaudiantur. c. oret. de pœnit. dist. 3. vnus tamen faceret vnctionem, & alij responderent. Abb. hic. Ideo sacerdos, vno præsente clerico, & etiam solus, potest infirmum vngere. vt in tex. & c. vnic. de sacr. vnct. & Conc. Trid. sess. 14. de sacram. extr. vnct. cap. 3.

§. Festum.

IN anno bissextili, seruari debet loci consuetudo, circa diem sancti Matthiæ festandum, dum tamen vigilia continuetur festo.

QVIA quod neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum; & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est. c. illa. dist. 12. Et quoniam parum interest, an prima die bissexti, an secunda, festum celebretur. c. consilium. de obseru. ieiun. Ideo festum beati Matthiæ, iuxta consuetudinem ecclesiasticam, vigilia eatenus præcedat, vt nec pro bissexto, nec pro quolibet alio modo, inter se, & solemnitatem, aliam diem admittat; in qua vtique vigilia (nisi venerit in Dominica) ieiunium celebretur; ipsum autem festum, siue fiat in præcedenti die, siue in sequenti (qui duo quasi pro vno reputantur) nullus error, sed consuetudo ecclesiæ teneatur. vt in tex. & l. cum bissextus. ff. de verb. sign.

Cap.

Cap. 15. In his.

PER verbum, statuo, & praecipio, diffinitiua sententia ferri potest.

QVIA hoc verbum, statuo, rem perfectam significat, & cum effectu, non verbotenus accipitur. c. haec autem. de poenit. dist. 1. & ff. quod quisque iur. l. 1. Et secundum sanctum Gregor. quod praecipitur, imperatur; & quod imperatur, necesse est fieri; & aliquando, si non fiat, poenam habet. c. quod praecipitur. 14. q. 1. Et non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deseruire. supr. c. intelligentia. Et quoniam aequipollentium, quod fiat, non refert. l. fideicommissa. §. si cui, & ibi Bart. ff. de leg. 3. Et in dubio, potius est interpretandum, vt res valeat, quàm pereat. l. quoties. ff. de reb. dub. Ideo, licet iudex in prolatione diffinitiuae sententiae non fuerit vsus his verbis, talem partem condemno, vel absoluo; vt regulariter fieri solet. vt per Bald. in l. praeses. C. de sent. & interl. omn. iud. Sed sententiam tulerit sub hac forma verborum; statuo, & praecipio, quod ita fiat; si procuratores vtriusq; partis, vel ipsae partes erant praesentes, vel contumaciter absentes, & aliud non obsistat, talis prolatio diffinitiuae sententiae obtinet firmitatem. vt in tex. & l. quid tamen. §. si arbitrer. ff. de arbitr.

Cap. 16. Olim.

BENEFICIVM Principis, latissimè interpretari debet.

QVIA hanc quodammodo nobilitas sibi legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet; & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se praestitisse putet. c. 1. de donat. Et quoniam vna, eademque res non debet diuerso iure censeri. c. quia. de priuil. Et verba debent intentioni deseruire. supr. c. intelligentia. Ideo sicut princeps praesumitur largus in benefaciendo, ita est praesumendum, quòd velit verba sua esse plenissimè interpretanda; poterat enim restringere dispositionem, si voluisset. vt in tex. & c. cum dilecti. de donat. Et vbi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. c. alligant. 26. q. 7.

Cap. 17. Cum in partibus.

GENERALE dicitur interdictum, quod fertur ne dum in prouinciam, sed in villam, vel castrum.

QVIA etiam villa, & castrum continent in se vniuersitatem; & licet in illis non esset nisi vna ecclesia, tamen apta sunt habere plures ecclesias. Abb. hic. Et genus potest saluari etiam in vnica specie. Porphir. de genere. Et quoniam generale interdictum est, quando vniuersitas vnius loci interdicitur; particulare verò est, quando vna ecclesia, vel plures ecclesiae specificè, & non sub nomine vniuersitatis, interdicuntur. Host. hic. Ideo siue locus sit magnus, siue paruus, si vniuersitas illius loci interdicitur, illud interdictũ est cẽsendũ generale. vt in tex. & c. quia circa. de priu.

Cap. 18. Cum tibi.

PRIVILEGIVM contra consuetudinem iuri communi obuiantem, largè est interpretandum.

QVIA huiusmodi priuilegium est fauorabile, cum disponat id, quod ius commune. Abb. hic. Et quoniam odia restringi, & fauores conuenit ampliari. c. odia. de reg. iur. in 6. Ideo licet priuilegium, quod contra ius commune disponit, sit, tanquam odiosum, strictè intelligendum. c. porrò. de priuil. illud tamen, quod est secundum ius commune, quamuis sit contra consuetudinem, tamquam fauorabile, est latè interpretandum. vt in tex. & supr. c. olim.

Cap. 19. Cum clerici.

IVRANS obedire Prælato, & Ecclesiæ, non Clero diœcesano; sed Capitulo Ecclesiæ cathedralis obedire tenetur.

QVIA iuramentum generaliter præstitum, debet restringi quantum potest, vt minus obliget iurantem. Abb. hic. arg. c. ad nostram, il 1. de iureiur. vbi enim tractatur de obligatione, est fienda stricta interpretatio. l. quicquid. ff. de verb. oblig. Et quoniam hoc nomen, ecclesiæ, habet varias significationes, & inter alias, vt quandoque designet ecclesiam cathedralem tantum, quandoque omnes ecclesias diœcesis. glos. hic. Et non est tanta communio inter Episcopum, & alias ecclesias, quanta est inter ipsum, & ecclesiam cathedralem. c. requisisti. de testam. cum qua efficitur vnum corpus, cuius ipse est caput, & canonici sunt membra. c. nouit. de his, quæ fi. à præl. Ideo per ecclesiæ vocabulum in forma huiusmodi præstiti iuramenti, non debet intelligi totius diœcesis clerus, etsi capitulum intelligatur ecclesiæ cathedralis; is tamen, qui præstat tale iuramentum, Episcopo, tanquam capiti, principaliter obligatur. vt in tex. & c. quanquam. dist. 23.

Cap 20. Quærenti.

APPELLATIONE ecclesiasticæ censuræ, comprehenditur excommunicatio, suspensio, & interdictum.

QVIA verba generaliter prolata, generaliter sunt intelligenda. c. solitæ. de maior. & obed. Et quoniam nomen censuræ ecclesiasticæ, est generale ad istas tres speciales censuras. c. statutum. de sent. excom. in 6. Ideo si alicui datur facultas ferrendi in aliquem ecclesiasticam censuram, poterit illum excommunicare, vel suspendere, aut interdicere, prout melius viderit expedire. vt in tex. & c. is, cui. de sent. excom. in 6. Non tamen poterit illum per hoc deponere, seu degradare; quia istæ sunt aliæ p . næ multum odiosæ, & non comprehenduntur sub nomine censuræ. Host. hic. istæ autem censuræ sunt fauorabiles. Abb. hic. cum sint in animarum medicinam inductæ. c. 1. de sent. excom. in 6.

Cap.

Cap. 21. Quid per nouale.

IN priuilegijs de decimis noualium non soluendis, illud appellatur nouale, de cuius cultura non est memoria; & quod prius modicum, vel nullum fructum afferebat.

QVIA intentio concedentis hoc priuilegium, est, vt ita consulatur taliter priuilegiatis; vt tamen magnum damnum ecclesiæ parochiali non afferatur. c. commissum. de decim. Et quoniam si verbum, nouale, caperetur in huiusmodi priuilegio, secundum quod capitur de iure ciuili, ferè omnes agri essent nouales, cum communiter cessent per annum, vt postmodum producant vberiores fructus; & sic multum præiudicaretur ecclesiæ parochiali. Host. hic. Ideo licet quidam dixerint, quod nouale sit terra præcisa, quæ anno cessat; alijs asserentibus, quod ex sylua, quæ, arboribus extirpatis, ad cultum redigitur, fieri nouale dicatur; quarum vtraque interpretatio ex ciuilibus legibus colligitur. vt ex l. sylua. ff. de verb. sign. & l. fin. ff. de term. mot. Summorum tamen Pontificum ea est cẽsenda intentio, cum pijs locis indulgentiam de noualibus concedunt, vt nouale intelligant agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuisset. Sed nec de quolibet tali nouali est intelligendum, eis indulgentiam esse concessam, nisi de illo duntaxat, cuius decimã religiosus potest cõuentus absq; graui detrimento parochialis ecclesię detinere; cũ talis sit sępe locus incultus, de quo parochialis ecclesia magnos percipit decimarũ ratione prouẽtus. vt in tex. & c. fin. de priuil.

Cap 22. Venerabili.

SI ecclesia subiecta Episcopo vnitur alteri, vel gubernanda committitur, saluo iure matricis ecclesiæ; per matricem ecclesiam intelligitur cathedralis, & non Romana.

QVIA verba, quæ habent plura significata, sunt intelligenda secundum subiectam materiam. l. si vno. ff. locat. & Bart. in l. 1. C. de neg. gest. Et quoniam ecclesia matrix, non solum dicitur Romana, sed etiam cathedralis, & baptismalis. glos. in Clem. 1. de sent. excom. Ideo in priuilegijs, vbi conceditur aliquid ecclesiæ inferiori, saluo iure matricis ecclesiæ, tunc intelligitur de cathedrali, de cuius particulari interesse in tali casu tractatur. vt in tex. & c. dilectus. de capell. monach.

Cap. 23. Ex parte.

EXCOMMVNICATVS, vel interdictus pro contumacia, vel offensa dubia, absoluitur, cautione præstita de stando iuri. Si verò fuit excommunicatus, vel interdictus pro manifesta offensa, tunc prius debet satisfacere, antequam absoluatur.

QVIA quando quis est excommunicatus, vel interdictus pro cōtumacia, vel dubiâ offensa; adhuc non apparet euidenter, an debeat, & quid debeat satisfacere; secus, quando est pro manifesta offensa. c. venerabilibus. §. porrò. de sent. excom. in 6. Et quoniā pœna debet esse cōmensurabilis delicto. c. disciplina. dist. 45. Ideo in primo casu sufficit cautio de stãdo iuri, vt excōmunicatus possit absolui; in secūdo verò, nō est danda ei absolutio, nisi priùs satisfaciat offenso. vt in tex. & c. solet. de sent. exc. in 6.

Cap. 24. Cum olim.

MANIFESTVM dicitur, quod per confessionem, vel probationem legitimam, vel euidentiam rei, constat.

QVIA nulla est maior probatio, quàm propria confessio. c. 2. de confess. & l. inde. ff. ad leg. Aquil. Et in ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum. Matth. cap. 18. resque iudicata facit ius inter partes, quæ intra decem dies non appellarunt. c. cum inter. de re iudic. Et in notorio nullæ sunt partes iudicis, nisi in condemnando. c. vestra. de cohab. cler. & mul. In manifestis enim, calliditate accusantium non opprimitur reus; nec tergiuersatione proprium crimē celatur; cū culpa sua oculis omniū spontè se ingerat; atq; ideo in talibus iudiciarius ordo nō requiritur; qui ideo tantū institutus est, vt nec innocētia insidijs pateret aduersantiū, nec culpa delinquentiū sententiam effugeret iusti examinis. c. quæ Lotharius. 2. q. 1.

Cap. 25. Abbate.

VERBA priuilegiorum debent intelligi, vt aliquid afferant, & non remaneat ambiguitas; & ideo verba, secundum, & iuxta, videntur apposita causatiuè, non conditionaliter.

QVIA priuilegium est lex priuata. c. priuilegia. dist. 3. & lex non debet esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta. c. erit autem. dist. 4. Et quoniam priuilegium non esset lex priuata, nisi aliquid specialiter indulgeret. vt in tex. Et nihil indulgeret, si verbum, secundum, vel iuxta, in eo appositum, acciperetur conditionaliter, pro si; & non causatiuè, pro quia glos. ver. causalis. Ideo illa verba sic sunt intelligenda, vt res, de qua agitur, valere possit potius, quàm perire. vt in tex. & c. in ijs. de priuil. Regulariter autem, verbum, quia, est redditiuum rationis, & causæ. glos. 1. in c. quia. de sent. excom. in 6. vnde, & Dantes dixit, Purgat. cant. 3.

Stati contenta humana gente al quia.

Cap. 26. Quibusdam.

DICIT, qui dicuntur hæretici manifesti. Secundò, quæ sint pedagia, guidagia, & salinaria interdicta. Tertiò dicitur, quomodo intelligitur præceptum factum laico, quòd de se conquerentibus, in ecclesiastico foro respondeat.

QVIA

QVIA illi intelligendi sunt manifesti hæretici, qui contra fidem Catholicam publicè prædicant, aut profitentur, seu defendunt errorẽ, vel qui coram Prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate; quorum bona propria confiscantur, & ipsi (iuxta sanctiones legitimas) puniuntur. vt in tex. & Auth. Gazaros. C. de hæret. Istis enim modis, qui hic enumerantur, manifestum, quod probari debet, redditur notorium. supr. c. cum olim. & de cohab. cler. & mul. c. fin. Et illa sunt intelligenda esse pedagia, salinaria, & guidagia interdicta, quæ non apparent, Imperatorum, vel Regum, vel Lateran. Concilij largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, à tempore cuius non extat memoria, introducta. vt in tex. & c. innouamus. de cens. Et cum à Legato quis receperit in mandatis, vt de se conquerentibus, secundum suum, vel alterius Legati, vel Iudicis ordinarij, vel delegati arbitrium iustitiam exhibeat; hoc taliter est intelligendum, vt in omni causa, quæ ratione personarum, vel rerum, ad ecclesiasticum forum pertinet, ac super vniuersis capitulis, quæ pro pace seruanda, sunt per dictum Legatum statuta, vel auctoritate Apostolica statuenda; item viduis, pupillis, orphanis & personis miserabilibus, teneatur in iudicio Ecclesiastico respondere. vt in tex. & c. nouit. de iudic.

Cap. 27. Nouimus.

CLERICVS traditur curiæ sæculari, quia degradatur, sæculari potestate præsente, cum denuntiatur, vt in suum forum illum recipiat.

QVIA expedit, vt verbum illud, quod in antiquis canonibus, & præsertim in c. ad falsariorum. de crim. fals. contra falsarios edito, continetur, videlicet, vt clericus per ecclesiasticũ iudicem degradatus, sæculari tradatur curiæ puniendus; apertius exponatur. Cum enim quidam Summi Pontifices, super hoc consulti, diuersa responderint; & quorundam fuerit opinio à pluribus approbata, vt clericus, qui propter vitium falsitatis, vel aliud flagitium graue, non solum damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, tanquã exutus priuilegio clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur; cum ab ecclesiastico foro fuerit proiectus, eius est degradatio celebranda, sæculari potestate præsente, ad pronuntiandum eidem, cum fuerit celebrata, vt in suum forum recipiat degradatum; Et sic intelligitur tradi curiæ sæculari, pro quo tamen debet ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum, circa eum sentẽtia moderetur. vt in tex. & c. degradatio. de pœn. in 6. Et pro enormi crimine, potest etiam quis in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includi, pane doloris, & aqua angustiæ sustentandus, vt commissa defleat, & flenda vlterius non committat. vt in tex. & c. penult. de hæret. Et degradatio qualiter fit hodie facienda, vide Conc. Trid. sess. 13. de refor. cap. 4.

Cap. 28. Dilecto.

S I Papa indulget reo, qui propter absentiam actoris, possessionem recuperare non potest, quod ei lapsus anni non noceat, intelligitur hæc indulgentia secundum ius commune.

QVIA Papa non intendit iuri alterius, per suam indulgentiam derogare. c. ex tuarum. de vsu pal. nemini enim est consulendum cum alterius iniuria. l. nam hoc. de cond. ind. Et quoniam si talis concessio daret reo aliud tempus ad recuperandam possessionem, quàm illud, quod sibi per ius commune competit, hoc esset in præiudicium actoris. vt in tex. Ideo cum ius commune subueniat reo, vt lapsus anni ei non noceat ad recuperandam possessionem, quando propter absentiam actoris, illam intra illud tempus recuperare non potuit. c. contingit. de dol. & cont. istud priuilegium est intelligendum de illo tempore, quod ius commune concedit, non autem, vt aliud tempus vltra illud indulgeat. vt in tex. & c. cum venisset. de eo, qui mitt. in poss. caus. rei ser. Sed dices, quid ergò operatur talis indulgentia, si de iure communi idem competebat? Respond. quod parum, vel nihil; nisi quod solet plus timeri, quod specialiter iniungitur, quàm quod generaliter imperatur. glos. hic. arg. c. si aduersus. de hæret. Vel dic, quòd talis indulgentia operabitur; quia sine oblatione cautionis impediebatur cursus anni; nam si indulgentia hic non intercessisset, debuisset iste præstare cautionem iudici, & satisfacere de expensis. vt in c. pastoralis. de offic. ord. sed propter hanc indulgentiã iste seruatur indemnis. Abb. hic.

Cap. 29. Cum inter.

OBLATIONIS nomine, intelligitur quicquid offertur ecclesiæ, quocunque modo, in missa, vel extra, & in ecclesia, vel extra.

QVIA verba generaliter prolata, generaliter sunt intelligenda. c. solitæ. de maior. & obed. Et quoniam nomen oblationis, est generale ad omnes istas species oblationum, licet strictè loquendo, & principaliter intelligatur de oblationibus, quæ fiunt in missa. supr. c. causa. & c. omnis. de consecr. dist. 1. Ideo quicquid offertur ecclesiæ, regulariter oblationis nomine continetur. vt in tex. & c. de his. 10. q. 1.

Cap. 30. Ex parte, il 2.

L I S dicitur mota, cum fuerit contestata.

QVIA litis contestatio est fundamentum, & initium substantiale iudicij. c. vnic. de lit. contest. & Bart. in l. prolatam. C. de sent. & interl. omn. iud. vnde ante litem contestatã, non potest dici mota lis, sed tantum, quod moueri proponitur. Host. hic. Et intellige, quod antea non dicitur lis mota cum effectu; tamen propter hoc non remouetur, quin dicatur lis pendens, nam per solam citationem pendere intelligitur. c. 1. vt lit. pend.

& quan-

& quantum ad perpetuandam iurisdictionem sufficit citatio. c.gratum. de offic. deleg. per litis tamen contestationem dicitur cœptum iudicium. c. relatum.de offic.deleg.post quam contestationē iudex recusari non potest. c.inter.de re iudic. Et sic aliud est mota lis, & aliud mota discordia, siue mota contentio,vel lis pendens.Host.hic.& supr. c.forus. litis autem contestatio fit per petitionem in iudicio propositam, & responsionem subsecutam.d.c.vnic.de lit.cont.& l.2.C.de iuram.calumn.

Cap. 31. Ex parte,il 3.

CONSTITVTIO Legati de soluenda tertia mortuariorum Episcopo, intelligi debet de his mortuarijs, in quibus de iure communi debetur.

QVIA si talis constitutio intelligeretur generaliter etiam de illa tertia,quæ de iure communi non debetur,priuasset indebitè ecclesiam iure suo.c.fin.de testam.Et quoniam nulla constitutio,etiam si sit Principis, est ita intelligenda, vt resultet talis obsonus, & iniquus intellectus. supr. dilecto. & Bart. in l.omnes. ff.de iust. & iur. Ideo statutum generaliter loquens,recipit interpretationem restrictiuam, ne tertius indebitè priuetur iure suo.vt in tex.& l.2. C.de noxal.act. Sed dices, verba statuti, & constitutionis, vel priuilegij, ita sunt intelligenda,vt aliquid operentur.c.si Papa.de priuil.in 6. & Bart.in l.4.§.prætor.ff.de damn.infect. si ergo ista verba disponunt idem, quod ius commune, videntur nihil operari. Respond. quod statutum,etiam secundum istam interpretationem, aliquid addit ad ius commune,nam de iure communi quota, quæ debetur Episcopo,est incerta, & relicta consuetudini. c.certificari.de sepult. Sed constitutio ista taxat illam quotam, reducendo eam ad tertiam. vt in tex. Ex quo ergo operatur istud; non est in reliquis ita latè intelligenda,vt præiudicet tertio,vel magis deroget iuri communi. vt in tex. & d. c.fin.de testam. Si autem statutum per omnia loquitur secundum ius commune, ita quod non potest intelligi, vt aliquid addat; tunc si quæras,quid operetur tale statutum,videtur,quod nihil, sed ius cōmune;quod sentit glos. in c.1.de constit. in 6. Sed tamen dic,quod etiam tunc operatur, quia dat nouam actionem, nam poterit agi etiam vigore statuti. Abb.hic.& Bart.in l.1.ff.ad leg Falc. sicut quandoq; prætor decernit id, quod ius ciuile,& non per hoc est inutile,nam tunc potest agi de iure ciuili,vel prætorio.vt not.in c.1.de rescr.

Cap. 32. Tua nobis.

IN priuilegio de percipiendis fructibus beneficiorum,appellatio beneficiorum,etiam maiora beneficia comprehendit,quando priuilegium est concessum Episcopo pro honesta,& fauorabili causa.

QVIA licet verbum, beneficium, strictè sumptum, non comprehendat beneficia maiora, nisi illa specificentur. c.fin.de præb. & c. cum in illis.eod.tit.in 6. verbum tamen, beneficium, late sumptum, comprehendit etiam beneficia maiora.c.1.de reg.iur.in 6.& c. si tibi.de præb.in 6. Et quoniam hæc concessio facta Episcopo est fauorabilis, si sit ex honesta causa. Abb. hic. cum decens sit, vt filij subueniant parenti. c. requisisti. de testam. Ideo in materia ista fauorabili, nomen, beneficium, non debet restringi, sed ampliari. vt in tex.& c.odia.de reg.iur.in 6.

Cap. 33. Transmissæ.

VERBVM, moderationis, diminutionem continet, non augumentum.

QVIA moderari est diminuere id, quod inducit grauamen, & reducere ad æquitatem. glos. hic. Et quoniam forma mandati, est diligenter obseruanda. c. com dilecta. de rescr. Iden cui datur potestas minuendi canonicatus, in causa diminutionis reddituum, non est per hoc censenda illi data potestas, eos augumentandi in causa augumentationis fructuum. vt in tex.& c.ad audientiam.de decim.

In Sexto. Cap. 1. Veniens.

DECLARAT hic Innoc. quid significet verbum priuilegij; recepimus vos in proprios filios Romanæ ecclesiæ; & quis locus dicatur esse desertus.

QVIA eius est ius declarare, cuius illud est condere; intelligēdo de declaratione generali, & necessaria. l. vnic. in fin. C.de vet.iur.enucl. Et quoniam circa intelligentiam istorum verborum, variæ opiniones insurgebant. vt in tex. Ideo vt certè sciatur illorum sensus; Summus Pontifex ipsa declarat. vt in tex.& c.si Papa.supr.de priuil.

Cap. 2. Constitutionem.

DECLARAT, manifestum, & euidens, esse synonima, & idem significare quo ad casum decret.de elect. si fortè.

QVIA manifestum idem est, quod apertum, clarum, & certum. c.1. extr.de pœnit.& remiss.& c.vestra.de cohab.cler.& mul. Et quoniam illud, quod apertum, & clarum est, dicitur euidens. c. euidentia. extr.de accusat. Ideo declaratur, quod c. si fortè. supr. de elect. vbi determinatur quid sit faciendum, quando electo opponitur euidens defectus; habet locum etiam vbi eius aliquis defectus dicitur manifestus. vt in tex. & glos. ver. manifestum. Et licet manifestum aliqua probatione egeat. glos. in c. manifest.2.q.1. tamen potest dici euidens. c. quæ Lotharius. 2.q.1. quia paria

paria sunt, aliqua esse certa, & leuiter posse fieri certa.c.1.extr.deposit.& l.quamuis.C.ad leg.Iul.de adult.

§. Cæterum. & §. Statutum.

DECLARAT conspiratores, & coniuratores, qui iurauerunt, & statuerunt de non recipiendo aliquem in canonicum ad mandatum Papæ, donec possent resistere; & tale statutum multis ex causis est detestabile, & illicitum.

QVIA si conspirare, & coniurare in casu illicito contra proprium Episcopum, & Prælatum, est crimen multum damnabile. c.coniurationum.11.q.1.multo perniciosus est conspirare, & coniurare contra obedientiam, quæ debetur Summo Pontifici, qui est Christi Vicarius, caput ecclesiæ Catholicæ, & Pastor vniuersalis.vt in tex.& c.vnam sanctam.de maior.& obed.in extrau.com.

Cap.3. Exijt.

CONSTITVTIO amplissima penè cunctas declarans hæsitationes, quæ circa diui Francisci regulam contingere possunt; præsertim, an fratres Minores (quos cordigeros vocant) illius regulæ professores, sint ad omnia Euangelij consilia obligati. Et vtrum aliquid proprium habere, & pecuniam recipere, legataque sibi relicta agnoscere valeant; cum multis alijs ambiguitatibus, hic luculentissimè resolutis.

HAEC constitutio prohibetur sub pœna excommunicationis glossari, & solum eius litera mandatur legi; ne ipsius intellectus per legentem deprauetur in aliquo, seu distorqueatur ad aliud, quàm litera ipsa sonat. Sed si quid penès aliquem, in his ambiguitatis emerserit, ad culmen Apostolicæ Sedis deducatur; vt ex auctoritate Apostolica, sua in hoc manifestetur intentio; cui soli concessum est, in his statuta condere, & edita declarare. vt in tex. Istam tamen prohibitionem; & eius pœnas Ioannes XXII. suspendit ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, per constitutionem suam; Quia nonnunquam.infr.in Extrauag.

Cap.4. Priuilegium.

EXEMPTIS cellis alicuius monasterij, quid appellatio cellæ significet, hic ostendit.

QVIA priuilegia præiudicantia ordinariæ potestati, sunt strictè interpretanda.l.1.in fin.ff.de iur.immunit. Et quoniam in stricta significatione, nomine cellæ, non comprehenduntur prioratus ecclesiæ, vel capellæ.glos.hic. Ideo priuilegium monasterio concessum, vt monachi, siue fratres, in cellis ad monasterium ipsum spectantibus habitantes, ab alio,

quàm à Papa, vel eius Legato excommunicari, aut suspendi, vel ipsæ cellæ interdicto supponi non possint; non fratres in prioratibus, ecclesijs, seu capellis eiusdem monasterij commorantes, aut ipsos prioratus, ecclesias, vel capellas, ab ordinariorum iurisdictione in aliquo; sed residentes tantum in cellis, & cellas ipsas (hoc est loca secreta, & solitaria, quæ ab hominum separata conuictu, sunt ad contemplandum, & Deo vacandum specialiter deputata) defendat. vt in tex. & c. placuit. 16. q. 1.

Cap. 5. Sicut.

PRIVILEGIATO aliquo, vt possit conferre beneficia clericorum suorum; quid appellatio clericorum suorum designet, ostēdit.

QVIA huiusmodi priuilegium est odiosum, cum tollat ius conferendi ei, ad quem ordinario iure spectabat. glos. ver. similibus. Et quoniam in odiosis est facienda stricta interpretatio. c. odia. infr. de reg. iur. Ideo si alicui fuerit concessum, vt beneficia clericorum suorum cedentium, vel decedentium possit conferre; quodque ijdem clerici præbendarum suarum fructus percipiant, ac si in suis ecclesijs personaliter residerent; illi in his, & similibus casibus sui sunt intelligendi clerici, qui per ipsum non quæsiti propterea, vel recepti, sine fraude, & fictione qualibet, verè sui clerici familiares existunt, & in suis expensis continuè domestici commensales; etiam si quos ex illis aliquando pro suis gerendis negotijs abesse contingat. vt in tex. & c. ad audientiam. extr. de cler. non residen.

In Clement. Cap. 1. Exiui.

DECLARATVR in aliquibus, cap. exijt. eod. tit. in 6. præsertim, an fratres Minores teneantur ad obseruationem eorum omnium, quæ in regula sub verbis imperatiui modi ponuntur, deinde multa inseruntur, ad quæ fratres ipsi obligantur. Et consequenter eorum nouem excessibus prolixè discussis, de electione Ministri ipsorum loculentissimè tractatur.

QVIA sub pœna excommunicationis fuit inhibitum, ne aliquis præter Romanum Pontificem, auderet glossare d. cap. exijt. vt ibi in tex. Et quoniam circa illius intelligentiam diuersa dubia oriebantur, & alia etiam insurgebant spectantia ad ipsam regulam fratrum Minorum, vt hic in tex. Ideo Summus Pontifex Clemens V. in Concilio Viennensi super omnibus istis determinat, quid sit obseruandum. vt in tex. & infr. c. 1. in Extrau. Ioan. XXII. & ad hæc vide Conc. Trid. sess. 25. de regular. cap. 1.

Cap.

Cap. 2. Sæpe.

DETERMINAT, & declarat, quid significent hæc verba, inserta in iudicialibus commissionibus, quæ fiunt à principe, vel à iure; scilicet, quòd procedatur simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij.

QVIA sæpe contingit, quod Summus Pontifex causas committit, & in earum aliquibus simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, ac figura iudicij procedi mandat. vt in tex. Et quoniam de istorum significatione verborum, à multis contendebatur, & qualiter procedi deberet, dubitabatur. vt in tex. Ideo Summus Pontifex dubitationem huiusmodi (quantum ei est possibile) decidere cupiens, hac in perpetuum valitura constitutione sancit, vt iudex, cui taliter causam committit, necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum, ob necessitates hominum indultarum à iure, procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breuiorem, exceptiones, appellationes, dilatorias, & frustratorias repellendo, partium aduocatorum, & procuratorum contentiones, & iurgia, testiumque superfluam multitudinem refrænando. Non sic tamen iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur. Citatio verò, ac præstatio iuramenti de calumnia, vel malitia, siue de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi non intelliguntur excludi. Verùm quia iuxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet pro parte agentis, & etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda, siue scriptis, siue verbo; actis tamen continuò (vt super quibus positiones, & articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, & vt fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium, propter partium confessiones, & articulos ad clariorem probationem vsus longæuus in causis admisit; Summus Pontifex vsum huiusmodi obseruari volens, statuit, vt iudex sic deputatus ab eo (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul vtrosq; terminum dare possit, & ad exhibendum omnia acta, & munimenta, quibus partes vti volunt in causa, post dationem articulorum, diem certam, quandocunque sibi videbitur, valeant assignare, eo saluo, quod vbi remissionem fieri contingeret pro testibus producendis, possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes, siue ad earum instantiam, siue ex officio, vbicunque hoc æquitas suadebit. Sententiam verò definitiuam (citatis ad id, licet non peremptoriè, partibus) in scriptis, & (prout magis sibi placuerit) stans, vel sedens proferat, etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, & probatione, & alijs actitatis in causa fuerit faciendum. Quæ omnia, etiam in illis casibus, in quibus per c. dispendiosam. supr. de iudic. vel aliàs

pro-

procedi poteſt ſimpliciter,& de plano,ac ſine ſtrepitu,& figura iudicij,Papa vult obſeruari. Si tamen in præmiſſis caſibus ſolemnis ordo iudiciarius, in toto, vel in parte, non contradicentibus partibus, obſeruetur, non erit proceſſus propter hoc irritus, nec etiam irritandus; cum per hoc Papa id non intendat. vt in tex.& d.Clem.diſpendioſam.de iudic.

In Extrauag. Ioan.XXII. Cap. 1. Quorundam.

CVM fratres Minores indumentis vilibus, ſecundum regulam debeant indui, de qua vilitate ſit intelligendum, hoc relinquit iudicio ſuperiorum; præcipiens ſub pœna excommunicationis, illis obediri, & reprehendens fratres, qui pro arbitrio ſuo habitus curtos, & ſtrictos, & nouitiatis plenos portabant; qui tranſgreſſores regulæ non dicuntur, ſi in hoc ſuperioribus obſequuntur. Superiores etiam arbitrari poterunt, an habenda ſint granaria, & cellaria pro neceſſarijs ad victum colligendis.

QVIA præter ea, quæ determinata ſunt circa regulam fratrum Minorum. ſupr. in c.exiji.in 6. & in c.exiui. in Clem. alia dubia quotidie inſurgebant.vt in tex. Et quoniam particularium omnium non poteſt certa dari ſcientia, neque eorum (cum infinita ſint) contingit fieri diſciplinam; non ars, non regula circumſtantias ſingulas, accidentiaq; cuncta complectitur. vt in tex. & l.non poſſunt.ff.de legib. Ideo talia, quæ non ſunt in iure particulariter terminata, relinquuntur ſuperiorum arbitrio definienda.vt in tex.& d.Clem.exiui.ſupr.eod.

TANDEM fratres ipſos hortatur ad obedientiam, quam dicit paupertati, & caſtitati eſſe præferendam.

QVIA religio perimitur, ſi à meritoria ſubditi obedientia ſubtrahantur; magna quidem paupertas, ſed maius bonum eſt integritas; obedientia, maximum, ſi cuſtodiatur illæſa; nam prima rebus, ſecunda carni, tertia verò menti dominatur, & animo, quos velut effrenes, & liberos, ditioni alterius, humilis iugo propriæ voluntatis adſtringit.vt in tex. nam ſicut peccatum conſiſtit in hoc, quod homo, contempto Deo, commutabilibus bonis inhæret; ita meritum virtuoſi actus conſiſtit econtrario in hoc, quòd homo, contemptis bonis creatis, Deo inhæret, ſicut fini. Finis autem potior eſt his, quæ ſunt ad finem. Si ergo bona creata propter hoc contemnantur, vt Deo inhæreatur, maior eſt laus virtutis ex hoc, quod Deo inhæret, quàm ex hoc, quod bona terrena contemnit; & ideo virtutes, quibus Deo ſecundum ſe inhæretur, ſcilicet theologicæ, ſunt potiores virtutibus moralibus, quibus aliquid terrenum contemnitur, vt Deo

Deo inhæreatur. Inter virtutes autem morales tantò aliqua potior est, quantò aliquis magis aliquid contemnit, vt Deo inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum, quorum infimum sunt exteriora bona; medium autem sunt bona corporis; supremum autem sunt bona animæ; inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, in quantum scilicet, per voluntatem homo omnibus alijs bonis vtitur. Et ideo per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Vnde S.Gregor.dicit in vlt. Moral. cap. 12. quod obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Vnde etiam quæcunque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiunt, vt obediatur voluntati diuinæ; nam si quis etiam martirium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis, quòd rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent; sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur enim primæ Ioan. cap. 2. quòd qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est; qui autem seruat verba eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Et hoc ideo est, quia amicitia facit idem velle, & nolle. S.Thom.2.2. q. 104. art. 3.

Cap. 2. Quia nonnunquam.

PRAEMISSO, qualiter glossantes decretalem; exijt, qui seminat. eod. tit. lib. 6. excommunicationem ipso facto (non obstantibus quibuscunque priuilegijs) incurrunt; illam excommunicationem, vsque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, suspendit. Et per istam suspensionem, contra fratres Minores obloquendi non intendit tribuere occasionem.

QVIA nonnunquam quod coniectura profuturum credidit, subsequens experientia nociuum ostendit; vnde non debet reprehensibile iudicari, si canonum conditor, canones à se, vel suis prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem contenta canonibus, reuocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit, quàm prodesse. vt in tex. & c. non debet. extr. de cons. & aff. Et quoniam siue ignoscendo, siue puniendo, hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. c. prodest. 23. q. 5. Ideo Summus Pontifex Ioan. XXII. attendens, quod argumentis frequenter, & collationibus latens veritas aperitur, quodque sub eadem litera sæpè latet multiplex intellectus, necnon esse difficile volentibus constitutionem illam; exijt. supr. in 6. perfectè legere, ac intelligere, pœnas adiectas in ea deuitare; viam veritatis ipse Summus Pontifex aperire volens, & periculis (quæ ex prædictis possent literatæ personæ, præcipuè scholasticæ, incurre-

currere) salubriter obuiare; præsertim cum de nouo suborta essent aliqua dubia,circa quæ posset periclitari veritas,& erroribus via pandi,nisi liceret conferre super contentis in constitutione huiusmodi,& disputare;prohibitiones, & pœnas prædictas,tam latas, quàm comminatas,& earum effectus, auctoritate Apostolica duxit vsque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendendas. Per suspensionem autem huiusmodi, nequaquam licentiam cuiquam intendit impartiri, quòd contra fratrum regulam prædictorum,dogmatizare,scribere, seu determinare,prædicare,seu praue loqui liceat publicè,vel occultè; quinimo hæc omnibus, & singulis,auctoritate prædicta districtius inhibet.vt in tex.& infr.c.prox.

Cap 3. Ad conditorem.

DOMINIVM rerum, quæ perueniebant ad fratres Minores, retentum ab ecclesia Romana, simplici vsu facti fratribus ipsis reseruato in cap. exijt, qui seminat. eod. tit. lib. 6. Summus Pontifex refutat; multiplici ratione probans, eos non posse habere in re aliqua simplicem vsum facti. Et statuit, quòd de cæterò nullum ius,nullumque dominium habeat ecclesia Romana in huiusmodi rebus,quæ in posterum conferentur,vel offerentur ipsis fratribus.

QVIA ad conditorem canonum, non est dubium,pertinere,cum statuta à se,vel prædecessoribus suis edita,obesse percipit potius,quàm prodesse,ne vlterius obesse valeant,prouidere. vt in tex.& supr.c.prox. Et quoniam multi abusus sequebantur ex retentione huiusmodi dominij per Sedem Apostolicam, & concessione vsus facta ipsis fratribus Minoribus. vt in tex. Ideo Summus Pontifex Ioan. XXII. reuocat quo ad hoc illam Nicolai Quarti decretalem,scilicet,c.exijt.supr.in 6.vt in tex.

Cap.4. Cum inter.

OPINIO, quæ asserit Christum, & eius discipulos nihil habuisse, & in ijs, quæ habuerunt, nullum ius eis fuisse, erronea est, & hæretica.

QVIA hæresis græcè, ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisque eligat disciplinam,quam putat esse meliorem.Quicunque igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat,à quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest,& de carnis operibus est, eligens,quæ peiora sunt.c. hæresis. 24.q.3. Et quoniam ex plerisque sacræ Scripturæ locis constat,Christum Dominum nostrum, & eius discipulos nonnulla habuisse,illisque vsos fuisse.vt in tex. & glos. hic ver.asserit, quæ illa sacræ Scripturæ loca refert. & c.habebat.12.q.1. Ideo cum inter nonnullos viros scholasticos sæpe contingeret in dubium reuocari,vtrum pertinaciter affirmare Redemptorem

no-

noſtrum, ac Dominũ Ieſum Chriſtum, eiuſque Apoſtolos in ſpeciali nõ habuiſſe aliqua, nec in communi etiam, hæreticum eſſet cenſendum, diuerſa, & aduerſa etiam ſentientibus circa illud; Summus Pontifex Ioan. XXII. huic concertationi finem imponere cupiens, aſſertionem huiuſmodi pertinacem, cum Scripturæ ſacræ, quæ in pleriſque locis, ipſos nonnulla habuiſſe, aſſerit, contradicat expreſsè, ipſamque Scripturam ſacram, per quam vtique fidei orthodoxæ probantur articuli; quo ad præmiſſa fermentum apertè ſupponat continere mendacij, ac per conſequens, quantũ in ea eſt, eius in totum fidem euacuans, fidem Catholicam reddat, eius probationẽ adimens, dubiam, & incertam, deinceps erroneam fore cenſendam, & hæreticam, de S. R. E. Cardinalium conſilio, hoc perpetuo declarat edicto. Rurſus, in poſterum pertinaciter affirmare, quòd Redemptori noſtro prædicto, eiuſq; Apoſtolis, ijs, quæ ipſos habuiſſe, Scriptura ſacra teſtatur, nequaquam ius ipſis vtendi competierit, nec illa vendendi, ſeu donandi, ius habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſsis feciſſe Scriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere, ſupponit expreſsè; cum talis aſſertio ipſorum, vſum, & geſta euidenter includat, in præmiſsis non iuſta; quod vtique de vſu, geſtis, ſeu factis Redemptoris noſtri Dei Filij ſentire nefas eſt, ſacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum, aſſertionem ipſam pertinacem, de S.R.E. Cardinalium conſilio, deinceps erroneam fore cenſendam meritò, ac hæreticam declarat. vt in tex. & infr. c. prox.

Cap. 5. Quia quorundam.

REPROBATVR opinio illorum detractorum, qui præſumunt impugnare conſtitutiones Ioan. XXII. Ad conditorẽ canonum; &, Cum inter nonnullos, ſupr. immediatè præcedentes. Et præmiſſis reſponſionibus ad omnes eorum obiectiones, tandem declarantur, tanquam hæretici, & Romanæ eccleſiæ rebelles, ab omnibus euitandi, ſi deinceps ſcienter verbo, vel ſcripto, aliquid defendere, vel approbare contra illas præſumpſerint.

QVIA illæ conſtitutiones ſunt de re graui, & ab ipſo Summo Pontifice cum multa maturitate digeſtæ, & promulgatæ. vt in tex. & ſupr. cum inter. Et quoniam non eſt dignus, vt eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, qui eius ſalubria præcepta temerè contempſit. c. fin. de immun. eccl. in 6. Ideo talium detractorum reprobatur peruerſa opinio, & ipſi, & eorum defenſores, grauibus pœnis ſubijciuntur. vt in tex. & d. c. ad conditorem ſupr. eod.

Liber

DE REGVLIS IVRIS.

In Decretal. Cap. 1. Omnis res.

OMNIS res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.

QVIA contrariorum est eadem disciplina. c. hospitiolum. dist. 32. & Arist. 2. physic. tex. 30. & cessante causa, cessat effectus. c. cum cessante. de appell. Et quoniam soluere, & ligare sunt contraria. Magist. sent. lib. 4. dist. 18. Ideo nihil tam naturale est, quàm eo genere quodque dissoluere, quo colligatum est; vnde verborum obligatio verbis tollitur; nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur. vt in tex. & l. nihil tam naturale. ff. eod.

Cap. 2. Estote.

DVBIA, in meliorem partem interpretari debemus.

QVIA ille, qui habet malam opinionem de aliquo absque sufficienti causa, ei iniuriatur, & ipsum indebitè contemnit. S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. Et quoniam nemo debet alium contemnere, vel ei nocumentum quodcunque inferre, absque causa cogente. S. Thom. d. q. 60. art. 4. Et melius est de misericordia argui, quàm de seueritate. c. alligant. 26. q. 7. Ideo ea facta, qu r, dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem sunt interpretanda. Quod enim scriptum est; Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Matth. cap. 7. de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, vt stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia; de quibus nobis permittitur iudicare. vt in tex. & Beda in Luc. lib. 2, cap. 14. Nec obstat, quod contingere potest, vt ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur; nam Respond. quod melius est, quod aliquis frequẽtius fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo. S. Thom. d. art. 4.

Cap. 3. Qui scandalizauerit.

PROPTER scandalum euitandum, veritas non est omittenda.

QVIA non sunt facienda mala, vt eueniant bona. c. faciat. 22. q. 2. Et quoniam omittere veritatem, vt eius contrarium doceatur, est malum. S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. Ideo vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. vt in tex. & S. Greg. super Ezech. cap. 7. Et de duplici scandalo, vide S. Thom. in d. art. 7. & c. 2. de oper. nou. nunt.

Cap.4. Quod non est.

PROPTER necessitatem, illicitum efficitur licitum.

QVIA necessitas non subiacet legi.c.2.de obser.ieiun. Omnis enim lex ordinatur ad communem hominum salutem, & in tantum obtinet vim, & rationem legis; secundum verò, quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet. S.Thom. 1.2.q.96.art.6.& c. erit autem. dist.4. & l. nulla.ff.de legib. Et quoniam quod non fit contra aliquam legem, est licitum.c.2.& 4.de constit. Ideo quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; nam & sabbatum custodiri, præceptum est; Machabæi tamen sine culpa sua in sabbato pugnabant; sic & hodie, si quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.vt in tex.& Beda super Marc.cap.2. Et hoc intellige de necessitate absoluta, & de eo, quod contra legem non est de se malum, vt præclarè notat Siluest.in Summa.ver.necessitas.

Cap.5. Quod latenter.

ILLICITE factum, obligationem non inducit.

QVIA illicitè factum dicitur illud, quod est contra aliquam legem. sup.c.prox. Et quoniam ea, quæ fiunt contra legem, vel in fraudem legis, ipso iure non valent, nec confirmantur iuramento, nec etiam valet quicquid sequitur ex illis. l.non dubium.C.de legib. Ideo quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.vt in tex.& l.1.ff.quod vi, aut clam.

Cap.6. Cum in contemplatione.

TORMENTA, indicijs non præcedentibus, inferenda non sunt.

QVIA illatio tormentorum est pœna. l. decuriones. C. de quæst. Et quoniam in pœna inferenda, est cautè procedendum. c.necesse. dist. 29. Ideo in ipso causæ initio, non est à quæstionibus inchoandum.vt in tex. & l.1.ff.de quæst. Vnde ad hoc, vt per iudicem procedatur ad tormenta, duo requiruntur; Primum, quòd veritas aliter haberi non possit, nam tormentum infertur, causa inuestigandi veritatem, & in subsidium.l. diuus.ff. de quæst. Secundum, quòd præcedant aliqua indicia, siue præsumptiones, vel semiplenæ probationes.vt in tex.& l.ex libero. ff.de quæst. Quæ autem indicia sufficiant, non potest dari certa doctrina, sed relinquendum est iudicis arbitrio. Abb.hic, & glos.in l.3. C.ad leg.Iul.ma. Sed & confessio facta in tortura non præiudicat, nisi fuerit ratificata extra locum torturæ, nam illa videtur facta metu tormentorum.l.1.ff.de quæst.

Cap 7. Quæ multoties.

SACRILEGVS est, offendens rem, vel personam ecclesiasticam.

QVIA sacrilegium dicitur, quasi sacrum lædens. c.quisquis.17.q.4. Et quoniam non solum persona ecclesiastica dicitur sacra. c. si quis sua-

suadente.17.q.4. Sed & omnia bona ecclesiarum, largo modo possunt dici sacrata, quia oblata sunt ecclesiæ pro sacris. Abb.hic Ideo quicquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniustè agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt,& à quoquam violari non debent.vt in tex.& c.nulli.12.q. 2. Quæ autem sit pœna sacrilegi, habetur in c.sacrilegium.17.q.4.

Cap.8. Qui ex timore.

QVI facit aliter, quàm debet, facere non dicitur.

QVIA talis non facit secundum legem,& legitimè,sed contra legem. c.ad nostram.de regular.& c.faciat.22.q.2.Et quoniam ea,quæ contra ius fiunt,debent pro infectis haberi.l.non dubium.C.de legib. Ideo qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debeat,facit, & ideo iam non facit. vt in tex.& S.August.in libr.de vera, & falsa pœnit.cap.14. Et hoc intellige de timore seruili,secus de filiali, qui bonus est,& potest introducere charitatem. c.sicut scta.de pœnit.dist.2. & glos.hic. Et de multiplici timore dic, vt per S.Thom.2.2.q.3.art.2. Vnde non est considerandum solum factum, sed animus facientis,& maximè quo ad Deum,qui cor interrogat, non manum.c.si quid.14.q.5.

Cap.9. Defleat.

COMMITTENS vnum peccatum, reus est omnium quo ad vitam æternam.

QVIA per quodlibet mortale peccatum quis efficitur filius iræ, & Dei inimicus. Apost.ad Ephes.cap.2.& c.firmissimè. de consecr.dist. 4. Et quoniam qui ex hac vita egreditur sine gratia Dei, non potest æternam vitam possidere. S. Athanas. in symb. & c. sunt.de pœnit.dist.3. Ideo defleat peccator, quia offendens in vno, factus est omnium reus. vt in tex. & S.Iacob.in epist.cap.2.Et hoc intellige de pœna damni,quæ est carentia diuinæ visionis, quam incurrit homo per vnam transgressionem legis diuinæ; sed pœnam sensus incurrit grauiorem,qui plures transgressiones facit. Lyra in d.cap.2. S.Iacob.Et ad hæc Conc.Trid. sess.14. de confessione. cap.5.& sess.6.de iustificat.can.11.

Cap.10. Quamuis.

IGNORANTIA non excusat Prælatum,in peccatis subditorum.

QVIA Pastor,seu Prælatus debet inquirere,& corrigere excessus subditorum, aliàs eorum sanguis de suis manibus requiretur. c. irrefragabili.de offic.ord. Tres enim personas Dominus dixit in Euangelio, pastoris, mercenarij, & furis. Pastorem,dixit animam suam ponere pro ouibus suis, & intrare per ianuam. Furem dixit, & latronem, ascendere per aliam partem. Mercenarium dixit,lupum, vel etiam furem,si videat,fugere, quia non est illi cura de ouibus, mercenarius enim est, & non pastor. Ioan. cap. 10. Et quoniam,vbi quis tenetur de custodia, pro qua accipit mer-

mercedem,si contingat propter custodiam non adhibitam,rem illam periclitari,negligentia, & ignorantia ei imputantur. l.qui mercedem.ff.locat. Ideo non potest esse pastoris excusatio,si lupus oues comedit,& pastor nescit.vt in tex.& c.sit rector.dist.43.

Cap. 11. Indignum.

PRO spiritualibus,homagium non præstatur.

QVIA iuramentum fidelitatis,quod dicitur homagium,propriè concernit temporalia; & per hoc iuramentum,iurans quasi efficitur homo illius, cui iurat, & eius vasallus; vnde dicitur homagium,quasi hominis ligium, quia ligatur, & obligatur illi, cui iurat. glos. in Clem.2. de re. iud.& Specul.in tit. de feud.§.2. Et quoniam istud est munus ab obsequio, quod pro spiritualibus non potest impendi, cum sit dare temporale pro spirituali. S.Thom.2.2.q.c. art.5. & sic esset simonia.c. Iacobus. de simon. Ideo indignum est, & à Romanæ ecclesiæ consuetudine alienum, vt pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.vt in tex.& c.ex diligenti. de simon. Iuramentum verò obedientiæ, quod præstatur ecclesiastico superiori, post adeptum beneficium, bene est licitum; cum concernat tantum spiritualia,& pertinentia ad officium Prælati,ac per hoc non est in eo aliqua simonia.c.ego N. de iureiur.& c.antiqua.de priuil.

In Sexto. Cap. 1. Beneficium.

BENEFICIVM ecclesiasticum non potest licitè, sine institutione canonica obtineri.

QVIA in ecclesia Dei non debet esse ingressus,nisi per ostium; nam qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde;ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Ioan.cap.10. Et quoniam hoc ostium habet claues,quæ committuntur Prælato, qui habet,mediantibus clauibus, id est,canonicis regulis, instituendos in ecclesia Dei introducere. Ioan.Mon. hic. Ideo sine canonica institutione,beneficium ecclesiasticum non potest licitè obtineri. vt in tex. & c.fin.extr. de instit. Consideratur igitur in beneficijs canonica institutio, non antiqua possessio; & sic nota casum, in quo non currit præscriptio. glos. hic. & idem est in carnali matrimonio.c non debet. extr.de cons.& aff. Et alios casus, in quibus non currit præscriptio. not.glos.in c. cum non liceat. extr. de præscr.

Cap. 2. Possessor.

POSSESOR malæ fidei,vllo tempore non præscribit.

QVIA qui mala fide possidet, iniustus possessor est, & in continuo peccato manet. c. si virgo. 34. q. 2. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. Apost. ad Rom. cap. 14. Et qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. c. omnes. 28. q. 1. Et quoniam temporis diuturnitas non minuit peccatum, sed auget. c. fin. extr. de consuet. Et in eo, in quo quis peccat, pœnam meretur, non præmium. c. inter. extr. de transl. episc. Ideo ex possessione malæ fidei, non debet quis præmium acquisitionis per præscriptionem obtinere. vt in tex. & c. vigilanti. extr. de præscr.

Cap. 3. Sine possessione.

SINE possessione, præscriptio non procedit.

QVIA præscriptio est fundata super possessione, vt ex eo quis præscribat, & censeatur dominus, ex quo diu possessor fuit. l. 3. ff. de vsucap. Et quoniam, vbi non est fundamentum, super ædificari non potest. c. veniens. extr. de presb. non bapt. Et finem tollit, qui remouet media ad illum. l. 1. ff. de mort. infer. Ideo si possessio non præcedit, præscriptio subsequi non potest, vt in tex. & c. causam. extr. de præscr. Et quod hic dicitur de possessione, intellige etiam de quasi possessione. glos. hic. nam incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur. l. sequitur. §. si viam. ff. de vsucap. & tamen præscribuntur. c. cum ecclesia. extr. de caus. poss. Debet autem quis possidere de facto, & de iure. glos. 2. hic. De facto planum est, quod qui taliter non possidet, non præscribit. l. qui in seruitute. ff. hoc tit. Et debet possidere nomine proprio, non alieno; alias ille præscriberet, cuius nomine possideret. c. si diligenti. extr. de præscr. & l. quod meo ff. de acquir. poss. Debet etiam possidere de iure, quia ad præscriptionem requiritur ciuilis possessio, id est, quod talis sit persona, in quam cadere possit huiusmodi possessio. glos. 1. hic. Vnde laici ius decimandi, & alia iura spiritualia, quorũ possessione sunt incapaces, per quodcunque longum tempus non præscribunt. c. ad hæc. extr. de decim.

Cap. 4. Peccatum.

PECCATVM non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

QVIA peccati venia non datur, nisi correctio. infr. c. prox. & c. legatur. 24. q. 2. Et est iuris præceptum, vt vnicuique tribuatur, quod suũ est. Instit. de iust. & iur. §. fin. Et quoniam si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. S. Aug. ad Macedon. epist. 54. Et ex inde proximus indebitè læditur. c. cũ tu. extr. de vsur. Ideo nisi restituatur ablatum, non dimittitur peccatũ. vt in tex. & c. præterea. extr. de vsur. Et hoc intelligas, si illud ablatum restitui potest. c. si res. 14. q. 6. si autem restitui non potest, restituetur eius æstimatio, etiam si res illa casu perierit sine culpa sua c. vnic. ex de cõmod. quia in ipso instanti, quo talis debebat restituere, & nõ restituit, fuit in mora. c. decimæ. 16. q. 1. Si autẽ nec æstimationẽ potest soluere, quia euidenter

ter est inops, tunc bene dimittitur peccatum. d. c. cum tu. remanet tamen obligatio. glos. hic. & si postea ad pinguiorem fortunam perueniret, tenetur. c. Odoardus. extr. de solut. & c. si quis. 26. q. 6. Nota tamen, quod inops, qui debet ex contractu, sufficit, si bonis cedat. l. fin. C. qui bon. ced. pos. Inops verò, qui debet ex maleficio, castigatur verberibus. c. fraternitas. 12. q. 2. Vnde quod dictum est, quod tenetur, si peruenerit ad pinguiorem fortunam; dic esse verum, si pœnas corporales non fuerit passus, aliàs secus. glos. hic. & c. sicut. §. eos. extr. de homic.

Cap. 5. Peccati.

PECCATI venia non datur, nisi correcto.

QVIA in abolitione peccati, inter cætera, duo sunt necessaria; Primum, culpæ remissio; & hoc facit solus Deus, qui peccata dimittit, & qui per peccata offenditur. Secundum, est peccantis dispositio, cum actus actiuorum, secundum Philosophum. 2. de Anima. tex. 24. fiant in patiente bene disposito. Io. Mon. hic. vnde S. August. ait: Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. serm. 15. de verbis Apostoli ad Ephes. 5. Et quoniã pœnitẽtia est, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. c. 2. de pœnit. dist. 3. Et Deus quem sanat, totum sanum reddit. c. sunt. d. dist. 3. ideo vt quis peccati veniam impetret, debet esse correctus. vt in tex. & allegatur. 24. q. 2. iuxta quod S. August. inquit: Quomodo gaudebis, te esse correctum, nisi te primo doleas fuisse peruersum? epist. 50. ad Bonifac. Et Dantes poeta Etruscus præclare dixit, in Inferno. cant. 27.

Ch'assoluer non si può, chi non si pente;
Ne pentire, e volere insieme puossi,
Per la contradittion, che nol consente.

Correctus autem, dum talis permanet, vlterius peccator non est censendus. c. ferrum. dist. 50. nam omnipotens Deus, dum libenter nostram pœnitentiã suscipit, ipso suo indicio, hoc, quod errauimus, abscondit. c. apud. 32. q. 1. Sed & quantumuis quis sit contritus, si habeat copiam sacerdotis, tenetur debito tempore ei confiteri. c. omnis. extr. de pœnit. & remiss. & Conc. Trid. sess. 14. de confess. cap. 5.

Cap 6. Nemo.

NEMO potest ad impossibile obligari.

QVIA omnis obligatio, aut in dando, aut in faciendo consistit. l. 2. ff. de verb. obl. Et quoniam quod impossibile est, nec dari, nec fieri potest. Instit. de inutil. stipul. §. 1. Ideo in impossibili nequit constitui obligatio. vt in tex. & l. impossibilium. ff. eod. Vnde hæc regula habet locum in matrimonio, vltimis voluntatibus, singulis contractibus, sententiis, præceptis, confessionibus, legibus, & constitutionibus. glos. hic. Sed in hoc est differentia, quod impossibilis conditio apposita in contractu, vitiat contractum. l. non solum. ff. de act. & obl. & Instit. de inu-

til.ſtip. §. impoſsibilis. Sed in teſtamento, & matrimonio, ob ipſorum fauorem, habetur pro non adiecta; quod intellige in matrimonio, niſi ſit contra eius ſubſtantiam, quia tunc vitiat contractum. c. fin. extr. de cond. appoſ. & l. reprehendenda. C. de inſtit. & ſubſtit.

Cap. 7. Priuilegium.

PRIVILEGIVM perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

QVIA fines mandati, iuxta concedentis intentionem, diligenter ſunt ſeruandi. c. cum dilecta. extr. de reſcr. Et de priuilegijs, ſecundum eorum tenorem, eſt iudicandum. c. porrò. extr. de priuil. Et quoniam intentio concedentis priuilegium perſonale eſt, vt illud ſit acceſſorium ad perſonam. l. priuilegia. ff. hoc tit. Ideo tanquam acceſſorium ſequitur perſonam, & extinguitur cum ea. vt in tex. & l. in omnibus. ff. eod. Et nota, quod dicit priuilegium; quia ius commune ad vnam perſonam directum, ad omnes extenditur. c. in cauſis. extr. de re iudic. & l. regula. §. fin. ff. de iur. & fact. ignoran. Et idē in reſcriptis directis ad perſonas, quia cum perſonis extinguuntur. c. quoniam. extr. de offic. deleg. ſic & pacta perſonalia, perſonas non tranſgrediuntur. c. de cætero. extr. de tranſact. & l. iuriſgentium. §. pactorum. ff. de pact. & compromiſſum non extenditur ad hæredes, niſi de ipſis caueatur. c. fin. extr. de arbitr. Si autem priuilegium ſimpliciter concedatur, an ſit cenſendum perſonale, vel reale, dic, vt not. gloſ. in c. cum veniſſent. extr. de inſtit. & 25. q. 2. in ſumma. Et licet hic dicatur, priuilegium tunc extingui, cum extinguitur perſona; interdum etiam antea extinguitur, vt cum quis abutitur priuilegio, quia tunc meretur illud amittere. c. priuilegium. 11. q. 3. & in caſibus ibi per gloſ. notatis, & in c. accedentibus. extr. de priuil. & c. ſuggeſtum. de decim.

Cap. 8. Semel.

SEMEL malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

QVIA natura humana de facili labitur ad delicta. c. omnis. 12. q. 1. & Authent. de monach. §. ſi verò. coll. 1. Et quoniam ex præteritis præſumitur circa futura. c. mandata. extr. de præſum. Ideo ſicut ſemel bonus præſumitur in poſterum bonus. c. vnic. extr. de ſcrut. in ord. fac. & c. fin. de præſum. ita qui ſemel fuit malus repertus, niſi probetur mutatus, præſumitur in illa malitia perdurare. vt in tex. & l. non omnes. § à Barbaris. ff. de re milit. Hæc tamen iuris præſumptio, non eſt ita iuris, & de iure, vt non admittat probationem in contrarium; vnde probato, quod pœnituerit, vlterius malus non dicetur. gloſ. hic. & c. ferrum. diſt. 50.

Cap.

Cap. 9. Ratum.

RATVM quis habere nõ potest, quod ipsius nomine non est gestũ.

QVIA duæ fictiones non cadunt circa idem. Bart. in l. si is, qui. ff. de vsucap. est enim fictio contra veritatem. l. in rebus. C. de iure dot. tamen tantum operatur, quantum veritas. l. si filius. ff. si cert. pet. & ob id non est nimium dilatãda, ne sub specie veritatis, ipsa nimium operaretur. Bart. in l. sub conditione. ff. de solut. Et quoniam si quis posset ratum habere, quod ipsius nomine non est gestum, duæ fictiones in hoc interuenirent; vna, vt censeretur fecisse per seipsum, quod per aliũ talis fecisset; altera, vt censeretur mandasse, quod non mandauit. c. cum quis. supr. de sent. excom. Ideo ius prohibet, ne quis possit ratum habere, quod ipsius nomine non est gestum. vt in tex. & l. si pupilli. §. sed si ergo. ff. de negot. gest.

Cap. 10. Ratihabitionem.

RATIHABITIONEM retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.

QVIA in ratihabitione requiritur, quod actus sit gestus nomine illius, qui ratum habet. supr. c. prox. Et quoniam qui per alium facit, per seipsum facere videtur. infr. c. qui facit. Ideo ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. vt in tex. & l. hoc iure. ff. eod. Nota tamen, quod si intra certũ tempus teneor aliquid facere, & alius id fecit nomine meo; intra tempus, quo id facere debebam, debeo illud ratum habere; aliàs ratihabitio non prodesset. c. non solent. 2. q. 6. & l. penult. ff. rem rat. hab. Imputatur enim tunc culpa tacitę renuntiationis. l. de die. §. fin. ff. qui satisd. cog.

Cap. 11. Cum sunt.

CVM sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quàm actori.

QVIA actor impetit, reus se defendit, & secundum est fauorabilius, quàm primum. Instit. de interdict. §. commodum. & l. si quando. C. de dilat. Item nemo præsumitur ligatus, siue obnoxius, nisi probetur, cum omnes homines sint natura liberi. Authen. quib. mod. nat. effic. sui. §. nunc. coll. 7. Item reus pugnat in iudicio pro libertate sua, actor pro seruitute, nam omnis debitor est cliens creditoris. l. 3. C. de nouat. Et qui mutuum recipit, est seruus fœnerantis. Prouerb. cap. 13. Et quoniam sanctius est, nocentem absoluere, quàm innocentem condemnare. l. absentem. ff. de pœnis. Ideo in dubio potius est quis absoluendus, quàm condemnandus, vt in tex. & l. fauorabiliores. ff. eod. Hæc autem regula vera est, nisi actor foueat causam fauorabilem; puta, matrimonij, libertatis, testamenti, vel dotis; tunc enim fallit regula. glos. hic. nam fauor causæ est talis in his casibus, vt debeat præualere fauori rei; & sic fit potius fauendum actori. c. fin. extr. de re iudic. & l. inter pares. ff. de re iudic. Et ex his euenit, quòd cum semiple-

nè probauit actor, & talis est causa, in qua non est deferendum iuramentum, puta, criminalis, vel famosa, vel ardua. l.sciant. C.de probat. & l.dolum. C.de dolo. & l. metum. C.quod met.caus.quod absoluitur reus. Si autem talis est causa, in qua sit deferendum iuramentum, debet deferri reo; nisi ex circunstantijs personarum, & causæ, videatur iudici illud deferendum actori. c.fin.extr.de iureiur. Nec intelligas hanc regulam in obscuris probationibus inductis à reo, quia illas contra eum interpretamur. c.licet. extr.de probat. Sed regula procedit, vbi agitur de decisione causæ, quia tunc in dubio absoluitur reus, per iura supradicta. Secus autem est in præparatorijs iudiciorum, in quibus magis fauetur actori, quàm reo. vt not Bart. per illum tex. in l.de die. ff. qui satisd.cog. & in l.si quis. ff. de iudic. Et in medio causæ à pari procedunt actor, & reus, secundum glos. in c.cum ad sedem. extr. de restit. spol. & in l.inter stipulantem. ff. de verb.oblig.

Cap. 12. In iudicijs.

IN iudicijs non est acceptio personarum habenda.

QVIA iudicium est actus iustitiæ, prout iudex ad æqualitatem iustitię reducit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt. S. Thom. 2.2.q.63. art.4. Et quoniam personarum acceptio inæqualitatem quandam habet, in quantum attribuitur alicui personæ præter proportionem suam, in qua consistit æqualitas iustitiæ. S. Thom. ibidem. Ideo cum per personarum acceptionem iudicium corrumpatur, illa in iudicijs non est habenda. vt in tex. & Apost. ad Ephes. cap. 6. & Deuteron. cap. 1. & l. in sacris. C.de prox. sacr. scrin. lib. 12. In pœnis tamen deferendum est dignitati, & personæ. c.fin.extr.de transf. & idem in sedendo, vel assurgendo. c. non oportet. dist. 93. Sed hæc regula est intelligenda in cognoscendo, & definiendo, tunc enim æqualitas est seruanda. l.vnicuique. C.d.tit.de prox. sacr. scrin. & S.Thom. d.q.63. art.1.

Cap. 13. Ignorantia.

IGNORANTIA facti, non iuris excusat.

QVIA quilibet præsumitur scire iura per se, vel consulendo peritiores. Io.Mon.hic. & Alex.cons. 165. volum. 6. vbi disputat, an excusentur mulieres, vel rustici. Ea verò, quæ sunt facti, & in facto consistunt, possunt probabiliter ignorari. c.1. supr. de constit. Et quoniam lex debet esse rationabilis, & manifesta, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat; nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. c.erit autem. dist. 4. Et lex non habet vim coactiuam, nisi ex principis potestate. S. Thom. 1.2.q.96. art. 5. princeps autem vult, vt lex non obliget ante promulgationem. c. in istis. dist. 4. Ideo ignorantia facti excusat, non autem ignorantia iuris. vt in tex. & l.regula. ff. de iur. & fact. ignor. De hoc tamen distingue, vt latè per glos. in c.turbatur. §.notandum. 1.q.4. Et vnum nota, quòd cum quæritur de condemnatione expensarum, dici-

dicimus, quod in principali causa, probabilis error excusat ab expensarum condemnatione.c.1.in fin.supr.de elect.& c.Paulum.2.q.3.Sed in causa appellationis, indistinctè victus condemnatur victori in expensis. c.sæpe.extr.de appell.& l.eos.§.ne temerè.C.de appell. Ratio autem huius diuersitatis colligitur per hanc regulam; in principali enim causa est error facti, quia in ea ex probationibus, quæ in facto consistunt, proceditur; sed in appellationis causa proceditur ex actis prioris causæ; vnde ibi est error iuris; & ideo non excusat à condemnatione; quod intellige, quando in causa appellationis proceditur per sola antiqua iura; sed si inducerentur probationes nouæ, per quas pronuntiaretur, tunc probabilis error bene excusaret victum à condemnatione expensarum etiam in ea. glos.hic. & Innoc.in c.finem.extr.de dol.& cont.

Cap. 14. Cum quis.

CVM quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiæ causam censetur habere.

QVIA talis ignorantia est de facto alieno. l.qui in alterius.ff.eod.Et quoniam in facto alieno ignorantia est probabilis. l.fin. ff.pro suo. & probabilis facti ignorantia excusat. supr. c. prox. Ideo qui in alterius locum succedunt, iustam habent ignorantiæ causam, an id, quod peteretur, deberetur.vt in tex.& l.quod te. ff.si cert. pet. Et hæc regula est intelligenda in defendendo, non in agendo, nam debuit esse certus de facto suo, qui ad iudicium prouocat. d. l.qui in alterius. Successor tamen, qui in locum, & ius alterius succedit, partibus sui prædecessoris fungi debet. l. quædam. §.nihil.ff.de edend.licet in mora non constituatur ita cito, vt prædecessor. d.l.quod te.

Cap. 15. Odia.

ODIA restringi, & fauores conuenit ampliari.

QVIA misericordia est præferenda rigori; vbi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid sacerdos eius austerus vult apparere? c.alligant.26.q.7. Et quoniam circa odia versantur pœnæ, & seueritas, circa fauores verò venia, & benignitas. c.ponderet. dist.50. Ideo si ius, vel priuilegium est odiosum, est restringendum, & strictè interpretandum, si verò est fauorabile, est ampliandum, & latè intelligendum.vt in tex.& c.quamuis.supr.de præb.

Cap. 16. Decet.

DECET concessum à principe beneficium, esse mansurum.

QVIA beneficijs nos adiuuari oportet, non decipi.c.vnic.extr.de commod. Et quoniam præsertim beneficia principum sunt largissimè interpretanda.c.olim.extr.de verb.sign.Ideo priuilegia principis sunt perpetua.vt in tex. & c.si cui nulla. supr.de præb. Et hoc est verum in rea-

libus. gloſ.hic. perſonalia enim extinguuntur cum perſonis. ſupr. c.priuilegium. Sed licet priuilegium debeat eſſe perpetuum, vt hic. Extinguitur tamen propter abuſum, delictum, negligentiam, contrarium factum, & ſuperueniens enorme præiudicium; quod dic, vt not. in c. renouantes. diſt. 22. & c. priuilegium. 11. q. 3. & c. ſuggeſtum. extr. de decim.

Cap. 17. Indultum.

INDVLTVM à iure beneficium non eſt alicui auferendum.

QVIA qui vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam. c. cum eccleſia. extr. de elect. Et quoniam vbi non eſt culpa, non debet eſſe pœna. c. 2. extr. de conſtit. Ideo beneficium, quod ius indulget, non debet alicui auferri. vt in tex. & c. commiſſa. ſupr. de elect. Quod intelligas, non eſſe auferendum ab homine, & ſine cauſæ cognitione; alio enim iure interdum tollitur alterius iuris beneficium; & etiam ex cauſa aufertur ab homine, cauſa cognita. Sed iſta quæ fiunt permittente lege, per hominem fieri non videntur, ſed potius per legẽ permittentẽ, vt in caſibus poſitis hic per gloſ.

Cap. 18. Non firmatur.

NON firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit.

QVIA tempus non eſt modus inducendæ, vel tollendæ obligationis. l. obligationum ferè. ff. de act. & obl. Et quoniam ſi ſolo tractu temporis aliquid, quod erat nullum, conualeſceret; tempus induceret, vel tolleret obligationem. l. penult. ff. eod. Et intellige de eo, quod à principio eſt nullum ipſo iure, ſecus autem ſi non eſſet nullum, ſed annullandum. gloſ. 2. hic. & c. quod ſicut. extr. de elect. Item intellige, quod ſolo tractu temporis non conualeſcit, ſed nouo ſubſequẽti conſenſu, interdum tacito, interdum expreſſo, ſublata cauſa impedimenti, bene conualeſcit; quod tamen incipit valere ex ſubſequenti conſenſu, vt ex nunc; non autem vt ex tunc, quo erat nullum. gloſ. & Dyn. hic.

Cap. 19. Non eſt ſine.

NON eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.

QVIA qui ſe immiſcet actui ſibi non conuenienti, illicitè facit. c. tua. extr. de homic. Et quoniam qui illicitè facit, eſt in culpa. c. continebatur. extr. de homic. Ideo culpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. vt in tex. & l. culpa. ff. eod.

Cap. 20. Nullus.

NVLLVS pluribus vti defenſionibus prohibetur.

QVIA defenſio eſt de iure naturali. l. vt vim. ff. de iuſt. & iur. Et quoniam ius naturale eſt fauorabile. Inſtit. de iur. nat. §. penult. Ideo licet actor non poſſit plures actiones ſimul proponere, ſed vnam de pluribus debeat eligere. l. quod in hæredem. §. eligere. ff. de tribut. act. reus tamen po-

potest etiam in vna, & eadem instantia iudicij, vti diuersis, & etiam aduersis exceptionibus. vt in tex. & l. nemo, & ibi glos. ff. de except.

Cap. 21. Quod semel.

QVOD semel placuit, amplius displicere non potest.

QVIA alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. l. si quis. C. de inoffic. test. Et quoniam si quis posset recedere à conuentione, esset in alterius præiudicium. l. 1. ff. de verb. oblig. Ideo quis non potest mutare consilium, nec recedere à consensu præstito, si exinde sequatur alterius detrimentum. vt in tex. & l. quod semel. ff. eod. Sunt tamen multi casus, in quibus fallit hæc regula, vt hic per glos. quæ enumerat viginti tres; Et subiungit quatuor requisita ad regulam, scilicet, quod placitum non sit improbatum; quod scienter placeat; quod non sola mente, sed verbo, vel facto; & quod alterius intersit, glos. hic.

Cap. 22. Non debet.

NON debet aliquis alterius odio prægrauari.

QVIA rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. c. 2. extr. de constit. Et quoniam voluntate, ac proposito, maleficia distinguuntur. c. cum voluntate. extr. de sent. excom. Ideo delictum vnius non debet alteri imputari. vt in tex. & l. 2. C. ne fil. pro patr. Vnde filius non portabit iniquitatem patris; sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Ezech. cap. 18. & l. crimen. ff. de pœnis. Dic tamen, quod triplex est pœna, scilicet, æterna, corporalis, & spiritualis. Aeterna pœna nunquam punitur vnus pro alio. c. iam itaque. 1. q. 4. Corporalis pœna duplex est; quædam circa corpus ipsũ, & illa quandoq; punitur vnus pro alio. c. ecclesia. §. item peccato. d. q. 4. Quædam circa statum rei, vt est seruitus, vel infamia, & illa etiam punitur filius pro patre. vt 6. q. 1. c. sunt plurimi. §. verum. & 15. q. fin. c. cum multæ. Spiritualis quadruplex est; nam quædam est excommunicationis, & illa nunquam punitur vnus pro alio. vt 24. q. 3. c. si habes. Alia interdicti, & illa punitur vnus pro alio. vt extr. de spons. c. non est vobis. Alia est remotio ab oblatione, & illa similiter punitur vnus pro alio. 17. q. 4. c. miror. Alia est ordinis, & illa similiter punitur vnus pro alio, nam propter delictum vxoris, vir remouetur à promotione. vt 34. dist. c. si cuius. Item si pater, nesciente filio, emerit ei ecclesiam, ille pro peccato non remouetur à promotione, sed tamen perdit ecclesiam. vt 1. q. 5. c. 1. Pœna ergo æterna nunquam vnus punitur pro alio; sed corporali, vel spirituali, alia ab excõmunicatione, aliquando vnus punitur pro alio, & tunc speciale est; & hoc, vel in odium criminis, puta, læsæ maiestatis, hæresis, vel schismaticis. c. vnic. supr. de schism. vel quia incontinentia paterna timetur in filio. c. 1. extr. de fil. presb. & c. si quis. 6. q. 1. Et sic delictum vnius potest causare defectum in alio; esse enim minus legitimè natum, non est nota reatus, sed defectus. c. accedens. extr. de purg. can. Et delictum vnius non de-

bet

bet impingi alteri in toto, licet quandoq; impingatur in tanto. Ioan. Mon. hic. Qui enim alieno vitio laborant, misericordia sunt digni. l. legem. C. de natur. lib. & glos. in summa. 1. q. 4.

Cap. 23. Sine culpa.

SINE culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

QVIA pœna est mensura culpæ. Deuter. cap. 25. & c. disciplina. dist. 45. Et ius naturale dictat, quod pœna sit pro culpa infligenda, & quod nullus sine culpa puniri debeat; licet determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ, sit iuris positiui. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. in addit. Et quoniam vbi non extat mensurandum, non habet locum mensura; cum sint correlatiua. glos. hic. Ideo vbi non est culpa, regulariter non debet esse pœna. vt in tex. & l. sancimus. C. de pœnis. Sed quoniam vtilitas publica est præferenda priuatæ. l. 1. §. fin. C. de cad. toll. & aliquando ex causa, publicè interest, vt aliqualiter quis puniatur ex delicto alterius, licet ipse nō sit in culpa. vt not. sup. in c. prox. & Dyn. hic. Ideo ex causa aliquādo quis punitur sine culpa. vt in tex. & c. quoniā. §. si verò. extr. vt lit. nō cont.

Cap. 24. Quod quis.

QVOD quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

QVIA culpa non necessitate, sed voluntate reum constringit. c. aliquos. 15. q. 1. Et quoniam iudicis mandato necesse est parere. vt in tex. & c. 1. extr. de iudic. Ideo ille, qui aliquid facit iudicis mandato, non videtur esse in dolo. vt in tex. & l. non videntur. §. qui iussu. ff. eod. Et hoc intellige, cum præceptum iudicis est iustum, vel in dubio, quo casu præsumendum est, esse iustum; secus si constaret de iniustitia, quia tunc illi non esset parendum, sed resisti posset. glos. in d. §. qui iussu. & Bart. in l. prohibitum. C. de iure fisci. lib. 10. Et etiam hæc regula, quod mandato iudicis sit necesse parere, intelligitur, cum iudex aliquid mandat, officiū suū exercendo. l. seruo. §. cum prætor. ff. ad Trebell. si verò non exercet officiū suū, non est parendum, nisi ex reuerentiæ exhibitione. l generaliter. ff. de in ius voc. In ijs autem, quæ sine dolo committuntur, etiam extra officium parens excusatur. ff. ad leg. Aquil. l. liber homo, la 2. Et nota, quod sicut in dubio, dolo caret, qui iudicis obtemperat præcepto; ita econuerso, dolo non caret, qui tunc iudicis non obtemperat præcepto. l. non potest dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat. ff. hoc tit.

Cap. 25. Mora.

MORA sua cuilibet est nociua.

QVIA ad hoc, quod quis dicatur morosus, requiritur, quod sciat se debere, vel quod scire debeat; quod interpellatus fuerit à die, vel ab homine; & quod habuerit possibilitatem dandi. l. quod te. ff. de reb. cred. Et

quo-

quoniam qui in tali casu non soluit, quod debet, est in culpa. l. mora. ff. de vsur. & c. decimæ. 16. q. 1. Ideo sibi imputet si ex tali mora damnum sentit. vt in tex. & l. in condemnatione. §. vnicuique. ff. hoc tit. Et tunc tenetur morosus de casu fortuito, etiam si eodem modo fuisset res apud dominum peritura. glos. in d. l. quod te; nam fortasse dominus rem vendidisset, & apud alium perijsset. glos. hic. & c. vnic. extr. de commod.

Cap. 26. Ea, quæ.

EA, quæ fiunt à iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.

QVIA quando iudex officium eius excedit, videtur vt priuatus, & illi non est parendũ. glos. in l. non videntur. §. qui iussu. ff. eod. Et quoniam ex defectu iurisdictionis, actus est nullus. c. ecclesia. extr. de constit. Ideo paria sunt, quòd quis non sit iudex, vel sit, sed non ad illud, de quo agitur; & sicut primo casu nihil efficaciter agitur, ita nec secundo. vt in tex. & l. factum. ff. eod. Sed dices; opponitur, & videtur, quòd etiam si faciat illud, quod non pertinet ad eius officium, valeat; nam si citet aliquem suæ iurisdictioni non subiectum, necesse habet comparere, & si non comparet, potest puniri vt contumax. l. 2. ff. si quis in ius voc. non ier. & l. si quis ex aliena. ff. de iudic. Respond. distinguendo, quod aut constat, actum spectare ad officium facientis, aut constat non spectare, aut dubitatur; Primo casu factum valet, etiam si iniquè decernat. vt ff. de iust. & iur. l. penult. & de re iud. l. præses. & l. comprobatis. Secundo casu factum, ipso iure non valet. vt hic. & d. l. factum. & l. contumacia. §. contumax. ff. de re iudic. Tertio casu valet, ratione dubitationis. vt d. l. 2. & d. l. si quis ex aliena. & ad municipal. l. de iure. Debet ergo intelligi hæc regula, quando constat, ea, quæ facta sunt, non spectare ad officium facientis. Dyn. hic. vnde vbi dubitatur, tenetur quis ire allegaturus priuilegium. c. si duobus. extr. de appel. & glos. fin. in c. veniens. de accusat. Nec habet locum hæc regula in spiritualibus, quæ potius dependent ex potestate ordinis, quàm iurisdictionis. glos. hic. Hinc est, quòd si Episcopus, qui hoc potest ex ordine, consecret aliquam ecclesiam, vel altare, vel ordinet alienum subditum, quod non potest ex iurisdictione, consecratio tamen, & ordinatio bene tenet, licet ordinatus executione careat. c. quod. extr. de tem. ord. & c. Episcopus. 7. q. 1.

Cap. 27. Scienti.

SCIENTI, & consentienti non fit iniuria, neq; dolus.

QVIA actio iniuriarum non nascitur, nisi ab initio iniuriatus in animo suo iniuriam reuocauerit. Instit. de iniur. §. fin. Et dolus malus est omnis caliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. l. 1. §. 2. ff. de dol. mal. Et quoniam remittẽtibus actiones suas, non est dandus regressus ad eas. l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædil. edict. & c. quàm periculosum. 7. q. 1. Et sciens non circunue-

conuenitur, fallitur, vel decipitur. glos. hic. Ideo scienti, & consentienti nō infertur iniuria, neque dolus. vt in tex. & l. nemo fraudare. ff. eod. Et nota, quòd hæc regula formata est copulatiuè, non disiunctiuè; vnde hæc duo coniunctim requiruntur, scilicet, quod sciat, & consentiat. glos. hic. scienti enim, & nō consentienti, bene infertur iniuria, & dolus. c. illud. 15. q. 1. Ad hanc regulam signatur contra. extr. de sent. excom. c. contingit, il 1. ibi, *huius manus iniectio, & si non violenta, tamen iniuriosa noscitur*. Solutio, nō est iniuriosa, quia iniuria non fit ipsi clerico volenti. vt hic; sed est iniuriosa, quia fit iniuria toti ordini clericali; & ideo ibi sequitur; *cum canon ille*, & c. vt in d. c. contingit. Item contra. C. de raptor. virg. l. vnic. vbi, *si rapio virginem etiam volentem, teneor*. Respond. quod hoc ideo est, quia id voluit persuasione dolosa, quod plus est, quàm violenta. ff. de seru. corrup. l. 1. §. persuadere.

Cap. 28. Quæ à iure.

QVAE à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

QVIA quæ à ire cōmuni exorbitant, sunt odiosa. c. sanè. extr. de priuil. Et talia non sunt ius commune, sed ius priuatorum; & exempla. c. priuilegia. dist. 3. Et quoniam odia restringi, & fauores conuenit ampliari. c. odia. supr. eod. Et legibus generalibus, non autem exemplis, & iuribus priuatorum, est de vno ad alium inferendum. c. 1. extr. de constit. & l. quod verò. ff. de legib. Ideo quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentiam. vt in tex. & l. quod contra. ff. eod.

Cap 29. Quod omnes.

QVOD omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

QVIA alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. l. si quis. C. de inoffic. test. Et quoniam si ex vnius consensu posset de iure alterius disponi, id, quod meum est, sine facto meo mihi indebitè subtraheretur c. cum omnes. extr. de constit. Ideo ea, quæ pertinent pluribus vt singulis, debent ab omnibus approbari, vt de eis valeat disponi. vt in tex & l. si per fundum. ff. de seru rust. præd. Fallit tamen in pluribus casibus. Primò, fauore liberationis. l. maiorem. ff. de pact. Item in arbitris, fauore litium dirimendarum; si fuit compromissum in plures arbitros, valet sententia facta à maiori parte c. 2. supr. de arbitr. Item si pluribus patronis competat iuspatronatus, præsentatio facta à maiori parte valet, propter fauorem ecclesiæ; ne ecclesia patiatur detrimentum propter longam moram, & vacationem. c. 3. extr. de iurepatr. Quod autem competit pluribus, non vt singulis, sed vt collegio, valet quod fit à maiori parte, nisi contradicatur ex aliqua rationabili causa. c. 1. extr. de his, quæ fi. à ma. par & l. quod maior. ff. ad municip.

Cap.

Cap. 30. In obscuris.

IN obscuris, minimum est sequendum.

QVIA non est dubium, de minimo quem sensisse; nam si intellexit de maximo, ergo & de minimo; cum plus includat sub se minus, sed non econuerso.glos.hic.& infr.c.plus semper. Et quoniam semper in stipulationibus,& in cæteris contractibus,id sequimur, quod actum est. l. semper in stipulationibus. ff.eod. Ideò in obscuris,cum constet actum esse de minimo, & non de maiori; minimum, & non maius est intelligendum esse comprehensum. vt in tex.& l.semper in obscuris. ff.eod. Et ista regula habet locum in subsidium;quia prius inspicitur,quod actum est. Secundò, quod verisimilius est. Tertiò,quod fieri solet.infr.c.inspicimus.& d.l.semper in stipulationibus.

Cap. 31. Eum, qui certus.

EVM, qui certus est, certiorari vlterius non oportet.

QVIA denunciationes ad hoc fieri solent,vt qui erat incertus, certificetur.l.item veniunt. §.petitam. ff.de petit. hæred. Et quoniam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. l. ampliorem. §.in refutatorijs. C. de appell. Ideò qui certus est, non est necessarium,vt rursus certificetur.vt in tex.& c.si duobus.extr.de appell. Et subaudi,qui certus est, vel esse debet. glos. hic; nam non est necessarium,singulorum auribus intimari,quod est publicè promulgatum. c.quod dicitis. dist.16. & l. sed etsi pupillus. ff.de instit. Dic tamen, quod quando denunciatio fit solùm ad finem scienti e, & ad certificandum aliquem, tunc procedit regula hæc; sed quando denunciatio fit ob aliud, tunc etiam scienti debet fieri denunciatio.l.denunciasse.ff.de adulter.vnde venditori etiã scienti litem motam,debet fieri denunciatio, quia ei non fit solùm,vt certificetur, sed vt veniat ad defendendum,de quo in l.emptor. C.de euict.& Bart.in l.2.§.fin.ff.solut.matr. Et quo ad hoc,vt ex scientia augeatur effectus,bene requiritur denunciatio,vt quando requiritur mora l.quod te.ff.si cert. pet. & Francus hic. In dubio autem præsumendum est, potius scientiam, quàm denũciationem,esse de substantia. Dyn.hic;cum regulariter denunciatio solùm fieri soleat, vt incertus certificetur. d. l. item veniunt. & ff. quod vi,aut clam l.aut qui aliter. §.si fortè.

Cap. 32. Non licet.

NON licet actori, quod reo licitum non existit.

QVIA fauorabiliores sunt rei,quàm actores.supr.c.cum sunt. Et quoniam si id,quod minus videtur inesse,inest; & id,quod magis videtur inesse,inerit. c.cũ in cunctis, & ibi glos.ver.multo.extr.de elect. Ideò in iudicio, si quid actori licet,multò magis reo licebit. vt in tex.& l. non debet actori.ff.eod. Sed ea ratione,qua parilitas est seruanda in iudicijs.

cijs.S.Thom.2.2.q.63.art.4. intellige idem iuris, & è conuerso, vt non liceat reo, quod non licet actori. supr.c.in iudicijs. Sunt tamen aliqui casus particulares, in quibus licet vni, quod non licet alteri. vt hic per glof. & Decius in l.fauorabiliores. ff.eod.

Cap. 33. Mutare.

MVTARE consilium quis non potest in alterius detrimentum.

QVIA alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. l.si quis. C.de inoffic. testam. Et quoniam si quis posset in alterius præiudicium recedere ab eo, quod semel placuit, alter sine propria culpa læderetur. l.1.ff.de verb.oblig. Ideò quod semel placuit, amplius in alterius detrimentũ displicere non potest. vt in tex. & l.nemo potest.ff.eod. Sunt tamẽ plures casus, in quibus fallit hęc regula. vt not.glos. supr.in c.quod semel.

Cap. 34. Generi.

GENERI per speciem derogatur.

QVIA species sub genere continetur potentia, seu habitu.c.pastoralis.extr. de rescr. Et quoniam habitus, seu potentia ad speciem referri non potest iam alij concessam. Io.Mon. hic. Ideò in toto iure generi per speciem derogatur; & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. vt in tex.& l.in toto iure.ff.eod. Et qua ratione species derogat generi, eo, quia est specialior; eadem pari ratione illa species, quæ reperitur specialior debet derogare alteri speciei, quæ sit generalior, & indiuidua debent derogare speciei. Decius in d. l.in toto. Si autem duo habent se tanquam excedentia, & excessa; illud loco speciei habetur, quod minus excedit. vt not. Corneus in cons. 73. & Arist.in prædicam. c.1.

Cap. 35. Plus.

PLVS semper in se continet, quod est minus.

QVIA omne totum est maius sua parte. l.in toto. ff.eod. & Arist.in Topicis. Et quoniam minus se habet, vt pars, plus autem se habet, vt totum. glos.infr. in c.cui licet. Ideo in eo, quod plus sit, semper inest, & minus, vt in tex. & l.in eo, quod plus. ff.eod. Et nota, quod hæc regula habet locum in eo, quod est plus quantitate; quod enim plus est, vtique tanti est; sed plus qualitate non includit minus qualitate. glos.hic; nam plus, & minus qualitate, non se habent, vt pars, & totum, de quibus loquitur hæc regula; sed se habent, vt species distinctæ, & adinuicem separatæ. Dyn.hic. Vnde si alicui concedatur merum imperium contra latrones, nõ per hoc infertur, quod ei sit concessa iurisdictio cognoscendi de causis ciuilibus, & pecuniarijs. l.solemus. §.latrunculator. ff. de indic. cum merum imperium, & iurisdictio sint species distinctæ, & adinuicem separatæ. l. imperium. ff.de iurisd.omn.iud. sed vna earum concessa nominatim, potius videtur altera denegata. l maritus. C.de procur. & l.fin. de pact. conuen.

Cap. 36. Pro possessore.

PRO possessore habetur, qui dolo desijt possidere.

QVIA fraus, & dolus nemini patrocinari debent. c. sedes. extr. de rescript. Et quoniã, nisi haberetur pro possessore, qui dolo desijt possidere, sępe in sui cõmodum, & in alterius detrimentũ, frauduleter quis possessionem à se abdicaret. l. qui dolo. ff. eod. Ideò dolo desinens possidere, ex iuris dispositione pro possessore habetur. vt in tex. & l. parem. ff. eod. Quod intellige quo ad sui damnum; non autem quo ad commodum. Francus hic. vnde ei non cauetur, licèt caueatur possessori. l. hæc si res, & l. is, qui dolo. ff. de rei vend.

Cap. 37. Vtile.

VTILE non debet per inutile vitiari.

QVIA curandum est, vt potius res valeat, quàm pereat. l. sancimus. C. de donat. Et quoniam si inutile posset vitiare vtile, sæpe actus qui per se potest subsistere, ex aliqua leui causa annullaretur. l. 1. §. sed si mihi. ff. de verb. obl. Ideò regulariter vtile non vitiatur per inutile. vt in tex. & l. si duobus. §. hæres. ff. de legat. 1. Et hoc generale est intelligendum in his, quæ diuisionem patiuntur; secus in his, quæ diuidi non possunt. Io. Mon. hic: vnde si habeo seruitutem ducendi ad aquam certum numerum pecorum, si plus ducam, superflua poterit dominus remouere. ff. de aqua quot. & æst. l. 1. §. Trebatius. Si verò habeo seruitutem ducendi certam aquam per fundum tuum, & ego aliam aquam illi immiscro, à toto potero prohiberi. d. l. 1. §. item quæritur. Ratio ergo diuersitatis est, quia pecora separabilia sunt; aqua mixta est inseparabilis; ideò in primo prohibeor solùm à superfluo, in secundo à toto. gloss. hic. Sed ex quo regula hic ponitur negatiua, scilicet, quod vtile per inutile non vitiatur; habemus stare huic regulæ, nisi specialitatis ratio, vel casus specialis contra regulam appareat; & casus speciales plures enumerantur hic per glos.

Cap. 38. Ex eo.

EX eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

QVIA qui aliquid impugnat, videtur illud pro iniusto habere; & si aliquod ius sibi in illo competebat, censetur per talem impugnationẽ ei renunciasse. c. cum olim. extr. de censib. Et quoniam sapientis dicit auctoritas; Patere legem, quam tu ipse tuleris. c. cum omnes. extr. de constit. Et absurdum est, quem redire ad id, quod semel renunciandum putauit. l. si quis iusiurandũ. C. de reb cred. & supr. c. quod semel. Ideò qui nititur aliquid impugnare, etiam si nisus suus non consequatur effectum, perdit commodum, quod approbanti conceditur. vt in tex. & c. præsentium. extr. de testib. Et intellige hanc regulam procedere, tribus concurrentibus, scilicet, quod impugnans perseueret, quantum in eo fuit, cum effectu.

effectu in impugnatione: Secundo, quod non ratione officij id faciat, sed suo nomine,& voluntariè.Tertiò,quod idē sit capitulum,quod impugnat, ex quo nititur nunc fructum consequi. glos. hic. Et sicut non debet quis fructum consequi ex eo,quod impugnat. vt hic. ita è conuerso, non debet quis impugnare id,ex quo fructum consequitur.c.vnic.3.q.8.& l.cum in fundo.ff.de iur.dot. quod intellige cum requisitis, quæ dicta sunt in superiori casu.glos.hic.

Cap. 39. Cum quid.

CVM quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

QVIA de connexis idem est iudicium. c. translato. extr. de constit. & accessorium sequitur suum principale.infr. c. accessorium. Et quoniā ea,quę procedunt ex prohibito,sunt illi connexa,& sunt eius accessoria.c.denique.§.par.dist.4. Ideò aliquo prohibito,intelliguntur prohibita omnia,quæ sequuntur ex illo.vt in tex.& c.nam concupiscentiam. extr.de constit.Similiter prohibito aliquo,& ea,per quæ peruenitur ad illud,prohibentur.l.oratio.ff de sponsal.Sicut concesso aliquo,concessa sunt omnia,sine quibus concessum explicari non potest.c.præterea.extr.de offic.deleg.& l.2.ff.de iurisd.omn iud. Et sic prohibito antecedenti,videtur prohibitum & consequens,ex quadam interpretatione extensiua; & prohibito consequenti,videtur prohibitum antecedens,per quod peruenitur ad illud,ex eadem interpretatione.Francus hic.quod procedit,causa prohibitionis durante,secus illa cessante.Dyn hic.

Cap. 40. Pluralis.

PLVRALIS locutio, duorum numero est contenta.

QVIA exclusio vnius,est inclusio alterius,& è contra. l. cum prætor. ff. de iudic. Et quoniam numerus singularis non dicitur, nisi de vno. glos. hic. & c. sufficit. de consecr. dist. 1. Ideò cum sunt plures vno, comprehenduntur in numero plurali. vt in tex. & c. hoc quoque. de consecr.dist.1. Et dic hanc regulam etiam procedere in testibus. l. vbi numerus. ff.de testib. nisi alius certus numerus in iure sit adiectus,& expressus, vt in casibus 16.hic in glos.enumeratis,in quibus plures,quàm duo testes requiruntur;de quibus casibus plenius vide Specul. in tit. de teste. §. restant. Et ad l.1.ff.de opt.leg. dic, vt per glos.hic.

Cap. 41. Imputari.

IMPVTARI non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

QVIA ad impossibile nemo tenetur.supr.c.nemo potest Et quoniā vbi quis obligatus est ad factum aliquod, si quantum in se est, paratus est id facere, sed ex aliqua causa, quam superare non potest, impeditur, id ei dicitur impossibile factu. glos. in d. c. nemo. Ideò ex quo per

ipsum

ipsum non stat,ei non imputatur, si non adimpleat. vt in tex.& l.in iure.ff. eod. Si autem intra certum tempus,quis aliquid facere tenetur; & non stat per eum,quominus id faciat,tunc licet non imputetur sibi,vt hic;nihilominus post lapsum temporis tenetur. c. cum dilecti. extr.de dol. & cont.& l. Celsus.ff.de arbitr.Et etiam intellige regulam,nisi quis sua culpa incidisset in casum,propter quem postea facere non potuit, quod fuit faciendum; tunc enim illud esset sibi imputandum. glos. hic; nam regulariter casus sequens culpam, imputatur. c.1.extr. de ætat. & qual.ord.quam glosam singulariter limita, vt habeat locum, quando talis culpa erat verisimiliter ordinata ad illum casum;aliàs si culpa non esset verisimiliter ordinata ad casum,nunquam teneretur quis de casu, licet culpa præcedat casum; sed tantũ illa culpa ei imputatur.Francus hic.arg.l.non omne.ff.de statu liber.

Cap.42. Accessorium.

ACCESSORIVM, naturam sequi congruit principalis.

QVIA vbi est eadem ratio, idem debet esse iudicium. l. illud. ff.ad leg.Aquil. Et magis dignum trahit ad se minus dignum. c. quod in dubijs. extr. de consecr. eccl.vel alt. Et quoniam de principali, & accessorio,regulariter est eadem ratio. c.translato. extr.de constit.Et principale est plerunque magis dignum, quàm accessorium. Instit. de rer. diuis. §. si quis in aliena. Ideo quod de principali disponitur, & de accessorio regulariter intelligitur esse statutum.vt in tex.& l. cũ principalis.ff.eod. Quod procedit,siue loquamur de principali inducendo,siue tollendo,siue confirmando,vt & accessorium inducatur,tollatur,& confirmetur.Dyn.hic.arg. c.inter dilectos.extr. de fid. instr. Quod tamen limita procedere, quando est tale accessorium,quod non potest consistere sine principali;aliàs si cõsistere posset sine principali,tũc licet,cõcesso principali, & accessoriũ videatur concessum;tamen illo subleuato,non per hoc erit sublatũ.Francus hic. Secundo limita,nisi accessorium esset pretiosius,& nobilius ipso principali; quia extincto principali, tunc non extinguitur accessorium, iuxta glos. in l. 2. ff. de pecul. leg. Licet in hoc contrarium communiter teneatur per scribentes in l.cum aurum.ff.de aur. & arg.leg.vbi est casus de directo in oppositum. & Bald. in l. cum te. C. de donat. ante nupt.& ad hoc vide Innoc.in c.ex literis.extr.de iurepatr.

Cap.43. Qui tacet.

QVI tacet,consentire videtur.

QVIA qui potest prohibere, non prohibendo,videtur approbare.c.si seruus,il 2.dist.54. Et quoniam vbi quis est præsens, & tractatur de eius interesse,si nollet consentire,posset expressè negare. c.nonne. extr.de præsumpt. Ideo ex quo non negat,videtur consentire.vt in tex.& l.sempe qui. ff. eodem. Et differt hæc regula à sequenti, quia hæc loquitur de consensu;sequens de confessione, & negatione, vt ibi per glos.

Cap. 44. Is, qui tacet.

IS, qui tacet, non fatetur; sed nec vtique negare videtur.

QVIA tacere est quoddam medium inter affirmare, & negare. Dyn. hic. & Bart. in l. quæ dotis. ff. solut. matr. Et quoniam in contrarijs, quæ habent medium, ad exclusionem vnius, necessariò non sequitur inclusio alterius, sicut est in contrarijs immediatis; vt ægritudo, & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri, & necesse est, alterum ipsorum inesse animalis corpori, vel ægritudinem, vel sanitatem; & par quidem, & impar de numero prædicantur, & necesse est, alterum horum numero inesse, vel par, vel impar; nam non est horum aliquod medium, neq; ægritudinis, & sanitatis, neq; imparis, atque paris. Quorum autem non est necessarium, alterum inesse, eorum est aliquod medium, vt nigrum, & albū in corpore animalis nata sunt fieri, & non est necessarium, alterū eorū inesse corpori; nō enim omne corpus, vel album, vel nigrū est. Sed & prauū, & studiosum prędicantur quidem de homine, & de alijs compluribus; non est autem necessarium alterum eorum inesse ijs, de quibus prædicantur; non enim omnia, aut praua, aut studiosa sunt, sed est aliquid eorum mediū, vt albi, & nigri, fuscum, & pallidum, & quicunq; alij colores; praui verò, & studiosi, quod neq; prauum, neq; studiosum est. Arist. in prædicam. cap. de oppositis. Ideo qui tacet, non vtique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare. vt in tex. & l. qui tacet. ff. eod. Sunt tamen plures casus, in quibus tacens habetur pro consentiente, & affirmante, vt hic per glos. Et generaliter dic, quod in facto appetibili, vel honorabili, taciturnitas habetur pro cōsensu; secus in facto non appetibili, vel oneroso; nam in tali est necessarius expressus consensus, alias quis censetur inuitus. glos. hic. & Io. Mon. supr. in c. prox.

Cap. 45. Inspicimus.

INSPICIMVS in obscuris, quod verisimilius est, vel quod plerunque fieri consueuit.

QVIA semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est. l. semper in stipulationibus. ff. cod. Iustum est enim, voluntates contrahentium adimpleri. c. 1. extr. de pact. & l. 1. ff. d. tit. Et quoniam vbi ex verbis, vel alijs indicijs clare non apparet, quid actum sit; id censetur esse actum, quod verisimilius est, vel quod plerunque fieri consueuit. d. l. semper, & ibi latè per Decium. Ideo si non apparet, quid actum sit, inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerunque fieri solet. vt in tex. & l. in obscuris. ff. eod. Quod si nec verisimilius potest conijci; nec de more regionis potest apparere, quia fortè varius sit, tunc ad id, quod minimum est, redigenda summa est. d. l. semper; cum de minimo non sit dubium, partes consensisse. vt notaui supr. in c. in obscuris.

Cap. 46. Is, qui in ius.

IS, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, vti debebit.

QVIA plus iuris habere non potest; cum nemo possit plus iuris in alium transferre, quàm sibi competere dignoscatur. infr. c. nemo potest. Et quoniam nec minus iuris debet habere; cum hæres censeatur eadem persona cum defuncto, & successor cum prædecessore. Auth de iureiur. à mor. præst. §. 1 coll. 5. & l. dolia. §. eum. ff. de contrah. empt. Ideo qui in ius, dominiumuè alterius succedit, iure eius vti debet. vt in tex. & l. qui in ius. ff. eod. Et procedit hæc regula in successore vniuersali, actiuè, & passiuè. Actiuè, quia ius, quod competebat defuncto, competit hæredi. Passiuè, quia ius competens contra defunctum, competit contra hæredem. Instit. de perpet. & temp. act. §. 2. & idem dic in singulari successore. vt hic latius per Dyn. Et nota, quod dicit eo iure, quia non eo priuilegio ex sui persona, si personale fuerat prædecessoris priuilegium. supr. c. priuilegium. Et idem dic de peccato personali. c. de cæterò. extr. de transact.

Cap. 47. Præsumitur.

PRAESVMITVR ignorantia, vbi scientia non probatur.

QVIA ea, quæ in facto consistunt, possunt probabiliter ignorari. c. 1. supr. de constit. licet secus sit de his, quæ consistunt in iure. l. regula est. ff. de iur. & fact. ignor. vnde ignorantia facti, non iuris excusat. supr. c. ignorantia. Et quoniam vbi quis non habet præsumptionem contra se, dicenti incumbit onus probandi. l. ei, qui dicit ff. de probat. Ideo in dubio præsumitur facti ignorantia. vt in tex. & l. hoc autem. ff. de administr. & peric. tut. Licet enim hæc regula generaliter loquatur, tamen restringenda est ad ignorantiam facti. Dyn. hic. Et hoc verum, dummodo illud factum sit occultum; nam circa ea, quæ publicè fiunt, præsumitur scientia, nisi probetur ignorantia. Francus hic. Item cessat hæc regula in his, quæ quis scire, vel indagare tenetur, in quibus præsumitur scientia, nisi probetur ignorantia. c. innotuit. extr. de elect. vnde fallit in factis proprijs, quæ quilibet scire præsumitur. l. fin. ff. pro suo; quod est verum, nisi essent multum intricata. vt l. emptor. §. Lucius. ff. de pact. vel nisi essent multum antiquata. vt l. peregrè, in princ. ff. de acquir. poss. vel nisi tractetur de damno vitando. l. sed si me. ff. de cond. indeb. & glos. in l. cum de indebito. ff. de probat. vel nisi persuasio aduersarij in contrarium procedat. vt l. 1. ff. de eo, per quem fact. erit, vbi de hoc per Bart. & Francus hic. Ignorantia autem potest probari tribus modis; vno per iuramentum, vt si iurē in veritate me ignorasse. c. si verò, il 2. extr. de sent. excom. & c. pastoralis. de except. Et tunc demū admittitur probatio hæc, cū ignorantia est probabilis. vt not. in c. proposuisti, in fin. dist. 82. Secundò quando probatur id, ex quo necessario sequitur me ignorasse, puta me tunc anniculum, vel furiosum. vt in c. cum dilectus. extr. de success. ab intest. & c. indicas. 3. q. 9. Tertiò, quando proba-

tur id, ex quo non necessariò, sed verisimiliter sequitur, me ignorasse, puta, me tunc absentem fuisse. c. si qui à simoniacis. 1. q. 1. & glos. hic.

Cap. 48. Locupletari.

LOCVPLETARI non debet aliquis, cum alterius iniuria, vel iactura.

QVIA dominiorum distinctio est de iure gentium, vsu exigente, & humanis necessitatibus sic requirentibus. Instit. de iur. nat. §. ius autem. Et quoniam iustitia exigit, ne alter lædatur, iuxta illud; quod tibi non uis fieri, alij ne feceris. vt in prooemio Decretal. & quod suum cuique tribuatur. l. iustitia. ff. de iust. & iur. cum non sufficiat abstinere à malo, nisi fiat etiam bonum. S. Gregor. in homilia in Luc. cap. 12. Ideo iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem. vt in tex. & l. iure naturæ. ff. eod. vnde & Franciscus Petrarca eleganter dixit;

Che natura non vuol, ne si conuiene,
Per far ricc' vn, por gl'altri in pouertate.

Et pro hac regula facit tex. in l. naturaliter. ff. de cond. indeb. vbi dicitur, quod dolo malo facere dicitur, qui ex aliena iactura lucrum quærit. Et ista ratione etiam pupillus obligatur in eo, in quo factus sit locupletior. l. 1. ff. de auct. tut. & l. fin. C. de vsucap. pro empt. Et pari ratione etiam obligatur ecclesia, si facta sit locupletior. Abb. in c. si quis presbyter. extr. de reb. eccl. non ali. & Bart. in Auth. qui res. C. de sacr. san. eccl. Et hac ratione, si statutum tollit exceptionem, non habet locum, si contingat alium lucrari cum iactura alterius, nam tali casu officium iudicis potest implorari. Bart. in l. planè. ff. de petit. hæred. Et hac ratione iudex, ne quis lucretur cum alterius iactura, mouetur etiam ad priuatam vtilitatem. Abb. in c. ad nostram. de iureiur. Et eadem ratione, de æquitate canonica exceptio nonnumeratæ pecuniæ potest opponi etiam post biennium. Bald. in l. in contractibus. C. de non num. pec. & hoc, si ipse debitor probet se pecuniam non recepisse, quod potest probare etiam post biennium. vt not. glos. in d. l. in contractibus, & Alex. cons. 158. lib. 2. Regula autem hæc limitatur, non procedere ex causa, prout in vsucapione, & præscriptione. glos. hic. & hoc, ne dominia rerum sint in incerto. l. 1. ff. de vsucap. vt sit litium finis. c. vigilanti. extr. de præscr. & l. fin. ff. pro suo. Et similiter non procedit in casibus, in quibus quis priuatur iure suo propter vtilitatem publicam. vt in l. item si verberatum. ff. de rei vend. & l. Lucius. ff. de euict. Et quod dicit hæc regula, *iactura*, intelligas, enormi. glos. hic; nam priuilegium bene affert iacturam, licet enormem inferre non debeat. c. rescripta. 25. q. 1. & l. quoties. C. de prec. imp. offer. Damnum autem, quod quis sua culpa sentit, sentire non videtur, cum illud sibi, non alijs debeat imputare. infr. c. damnum.

Cap.

Cap. 49. In pœnis.

IN pœnis benignior est interpretatio facienda.

QVIA odia restringi, & fauores conuenit ampliari. supr. c. odia. Et quoniam pœnæ sunt odiosæ. l. respiciendum ff. de pœnis. Ideo in pœnalibus causis, benignius est interpretandum. vt in tex. & l. factum cuique. §. in pœnalibus. ff. eod. vnde si præceptum sit, quod aliquid fiat sub pœna, non intelligitur, quòd ipso iure pœna incurratur, sed videtur quædam comminatio. glos. in c. sicut tuis. extr. de simon. & Alex. cons. 124. lib. 1. Et in pœnis liquida debet esse probatio, vt pœna incurratur. Bald. in l. cũ proponas. C de hæred. instit. & ob id in pœnis nunquam defertur iuramentum in defectum probationis. Bald. in l. 1. C. de his, quæ pœnæ nomin. Et pœna si in vno capitulo apponitur, non videtur in alio repetita. Bart. in l. ex testamento, la 1. ff. de cond & dem. Et in pœnis, vt pœna euitetur, attenditur initium. l. quod ait. ff. de adult. & pœna non habet locum, nisi sit statuta. l. & si quis. §. diuus. ff. de relig. Regula autem ista limitatur non procedere quantum ad vim verborum, quia qnatenus verborum proprietas significat, fit extensio etiam in pœnis. vt not. Aret. in l. cum sæpè, per illum tex. ff. de testib. & idem not. Cal. in cons. 1. in tit. de consang. & aff. Secus si ageretur de lata significatione, quia tunc illa in materia pœnali non attenditur. Decius in l. semper in obscuris. ff. hoc tit. Secundo etiam regula ista limitatur, non habere locum in pœna excommunicationis. per c. penult. extr. de sent. excom. Tertio fallit, quando agitur de remouenda fraudem, quia tunc etiam in pœnalibus fit extensio, ne dispositio elusoria redderetur. c. si ciuitas, & ibi Gemin. de sent. excom. in 6. Quarto fallit, vbi agitur de vtilitate publica, quia tunc etiam in materia pœnali extensio fieri debet, ne delictum sit impunitum. l. 2. §. exercitum. ff. de his, qui not. infam. & Bart. in l. quemadmodum. C. de agric. lib. 11. Quinto fallit, quando duo sunt æquiparata de iure antiquo, quia pœna statuta in vno, habebit locum etiam in alio, & ista extensio est facta à lege. vt not. Bart. in l. si quis seruo. C. de furt. Sexto fallit, vbi agitur de fauore ecclesiæ, quia tunc constitutio pœnalis extenditur. vt not glos. & Gem. in c. sciant de elect. in 6. Et eodem modo, si agatur de fauore fidei. Abb. in c. 2. extr. de diuort. similiter si agatur de fauore animarum. Io. And. in c. ex tenore. extr. qui fil. sint leg. Septimo fallit, si ratio sit expressa, quia tunc etiam in pœnalibus extensio fieri potest. vt not. Alex. in l. cum mulier. ff. solut. matr. Octauo generaliter dici potest, quod etiam vbi agitur de pœna, fiat extensio de similibus ad similia, ab identitate rationis. vt not. Bald. si quis id. ff. de iurisd. omn. iud. & Decius in l. factum cuique. ff hoc tit.

Cap. 50. Actus.

ACTVS legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

QVIA in huiusmodi actibus est datum à lege pro forma, quod in eis conditio, & determinatum tempus non exprimantur, sed purè, & indeterminatè fiant. Bart. in l. in diem. ff. de acceptil. Et quoniam formæ defectus reddit actum nullum. l. cum hi. §. prætor. ff. de transact. Et quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi. l. non dubium. C. de legib. Ideò actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adiectionem. vt in tex. & l. actus. ff. eod. Et nota, quod sicut hi actus non recipiunt conditionem, vel diem, sic nec disiunctionē. vt in c. in electionibus. & c. vt quis duas. supr. de elect. Itē nota, quod regula ista indistinctè loquitur de actibus legitimis, quòd cōditionem non recipiunt, neque diem; lex autem strictius dixit; *Actus legitimi, qui non recipiunt*, & c. quasi dicat, aliqui sunt, qui recipiunt, & aliqui non; & loquitur ipsa lex in actibus, qui non sunt contractus, sed quasi. glos. hic. & Decius in d. l. actus, vbi enumerantur, qui sint isti actus. Contractus enim bene recipiunt conditionem. l. hæc conditio. ff. de contrahē. empt.

Cap. 51. Semel.

SEMEL Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlterius transferendum.

QVIA curandum est, vt cultus diuinus augeatur, non autem quod diminuatur. c. fin. supr. de rescr. Et quoniā si ea, quæ sunt Deo dicata, ad humanos vsus transferrētur, viderētur posse, & diuinus cultus minui. c. iniustum. extr. de rer. perm. & c. ligna. de consecr. dist. 1. Ideò quod semel Deo dedicatum est, ad humanos vsus transferri non decet. vt in tex. & c. mancipia. extr. de rer. per. Et hoc, quod hic dicitur, intelligas in eadem forma. glos. hic; quia ob redemptionem captiuorum, vel vrgentia debita, calices, & vasa alia ecclesiastica, vendi possunt etiam laicis, sacris tamen abdicata, conflata, & minuta. c. hoc ius. 10. q. 2. & c. aurum. 12. q. 2. Item nota, quod dicit, *ad vsus*, quia non solum in dominium laicorum, sed nec etiam in vsum transire debent res Deo dicatæ. c. vestimenta. de consecr. dist. 1. ne vltio, quę Balthasar regem percussit, super hoc transgredientes veniat, & corruere eos faciat ad ima. Daniel cap. 5.

Cap. 52. Non præstat.

NON præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.

QVIA quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi. infr. c. quæ contra. & l. non dubium. C. de legib. Et quoniam non entis nullæ sunt qualitates. l. eis, qui. ff. si cert. pet. & ex nihilo naturaliter nihil fit. Arist. 1. physic. tex. 34 Ideò actus à iure damnatus nō impedit alium actum validum faciendum vt in tex. & l. si dari stipuler. ff. de verb. oblig. Et intellige hanc regulam procedere, præterquam in maleficijs, quæ licet non sortiantur effectum à iure, præstant tamen impedimentum promouendis,

Acolis, quia in pœnam delicti tales prohibentur promoueri.c.1.& 2.dist. 50. Vnde maleficia habentur pro infectis quo ad commodum facientis; sed habentur pro factis quo ad eius incommodum, & pœnam. c. vt famæ, extr. de sent.excom. & Iac.But. in d.l.non dubium.

Cap. 53. Cui licet.

CVI licet, quod est plus, licet vtique quod est minus.

QVIA si quod minus videtur inesse, inest; & quod magis videtur inesse, inerit.c.cum in cunctis,& ibi glos. ver.multo.extr.de elect. Et si vinco vincentem te, multò fortius vincam te. l. de accessionibus. ff. de diuer.& temp.præscr. Et quoniam est maior ratio de eo, quod est plus, quã fit de eo,quod est minus. supr.c.plus.Ideò non debet ei,cui quod plus est,licet,quod minus est,nõ licere.vt in tex.& l.non debet.ff.eod.Et procedit hęc regula,vbi id,quod est minus,cõtinetur sub maiore,tanquã quãtitas,aut species sub genere;secus si minus non cõtineretur sub maiori, sed esset species diuersa,vt notaui in d.c.plus. Item fallit regula,cũ minus repugnat dignitati maioris.vt l.penult.C.de procur.Item vbi ratio diuersitatis dari potest, quare non liceat minus, cui licet maius. vt in c.2. extr. de rapt. & c.1. de cornatam.

Cap. 54. Qui prior.

QVI prior est tempore, potior est iure.

QVIA principium cuiusque rei est potentissima pars.l.1.ff.de orig.iur. Et quoniam nemo re sua est sine culpa priuãdus.c.satis peruersum. dist.56. Ideò ex quo aliquis habet ius in re,non debet in eius præiudicium,sine causa, postea illud alteri acquiri. vt in tex.& l.quoties. ff.eod. Et dic,hanc regulam procedere in his, quæ pendent à voluntate duorum, vt in contractibus; sed in legibus, & testamentis,quæ pendent à voluntate vnius,posterior reuocat priorem.glos hic.Item intelligitur,cæteris paribus.Decius in d.l.quoties;nã priuilegia cõsiderantur non solùm ex tẽpore,sed ex causa. l.priuilegia.ff.de priuil.cred.hinc est,quod receptus auctoritate apostolica, præfertur omnibus, etiam ante receptis aliorum auctoritate.c.hi,qui.supr.de præb. Et creditrix dotalis præfertur etiã quibusdã anterioribus creditoribus, non tamen filijs ex priori matrimonio, qui agunt de dote materna.l.fin. C.qui pot.in pign.hab.Et ex duobus emptoribus, vel donatarijs, præponitur in rei vendicatione ille, cui res prius tradita fuit, & non ille, cui primò fuit vendita, vel donata. l. quoties. C. de rei vend. nam venditor, antequam tradat, remanet dominus, & ideò alteri vendendo,& tradendo,transfert dominium,& sic secundus emptor in eo erit potior,quàm primus,sed quia alteri vendendo, prioris contractus fidem fregit, ex empto actione conuentus, quanti sua interest, cogetur præstare priori.l.qui tibi. C.de hæred.vel act.vend. In assecutione verò præbendæ præfertur,qui primò impetrauit,& in eis attenditur data,

quia per literas Papæ quis statim est canonicus; cum gratia dependeat ex parte concedentis.c.eum,qui.supr.de præb.

Cap.55. Qui sentit.

QVI sentit onus, sentire debet commodum, & è contra.

QVIA curandum est, vt homines retrahantur à malo, & incitentur ad bonum. vt in proœmio Decretal. Et quoniam nisi ille, qui sentit onus, haberet commodum, & è contra; videretur esse melior conditio negligentis, quàm laborantis; & iniqui, quàm iustè operantis.c.1.extr.de sepult. & S.Thom.par.3.q.52.art.1. ad tertium in addit. Ideo secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.vt in tex.& l.secundum naturam. ff.eod. Et qui socij sunt passionum, decens est, vt sint & consolationum. Apost. 1. ad Corinth.cap.1.Et Ecclesiasticis vtilitatibus desudantes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. S. Gregor. epist. 18.lib.2.ad Theodorum. Nec est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat.l.vnic. C.de caduc.tol.Et os bouis triturantis non est alligandum.Deuter.cap.25.

Cap 56. In re communi.

IN re communi potior est conditio prohibentis.

QVIA in tali re non solum ille, qui vult, dominus est, sed etiam prohibens.l.parietem.ff.de seru. vrb. præd. Et quoniam nemo est re sua sine culpa priuandus. l. si putator. ff. ad l.Aquil. Ideo si habeo fundum tecum communem,& tu velis ædificare domum in eo, & ego prohibeo, melior est conditio mei prohibentis,quàm tui ædificare volentis.vt in tex.& l. Sabinus.ff.com.diuid. Sed dices, videtur,quod melior sit conditio facientis,quàm prohibentis.vt l.cum duobus.§.item Mela.ff.pro socio.Respond. quod,aut socius vult facere, vel reficere in loco communi ad eum vsum, ad quem res parata est,& potest etiam inuito socio. vt d. l.cum duobus.& ff. comm.diuid.l.si ædes. Aut ad eum suum, ad quem res parata non est; & tunc si interest prohibentis non fieri, melior est conditio prohibentis. d.l. Sabinus.& ff. de seru. vrb. præd.l.quidam. §. cum parietem. Et hoc casu intelligitur hæc regula. Dyn. hic. Aut nihil interest prohibentis, & potest fieri,etiã eo inuito.l.fistulã.§.penult.ff.de seru.vrb.præd.habita tamẽ distinctione,vtrum iure seruitutis facere,vel reficere velit,quia tunc non potest. vt d. l. parietem.Aut iure communionis, & potest. vt d. l. cum duobus. §. idem respondit. Item contra regulam videtur illud generale, quo cauetur,quod in re,vel causa pari,melior est conditio occupantis.vt ff.de legat. 1.l.pluribus. & ff. de verb. obl. l. si Titius.& de procur.l.pluribus. Sed respond. quod hæc regula loquitur in ea re, quæ pro parte sua indiuisa ad plures pertinet. Leges verò contrariæ loquuntur in eo iure, quod distinctum est in vnius executionem.Dyn. hic.

Cap.

Cap. 57. Contra eum.

CONTRA eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.

QVIA fuit in potestate ipsius dicentis, animum suum per quæ verba volebat propalare.c.sedulo.dist.38.Et quoniam damnum,quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare. infr. c. damnum. Ideo sibi imputet,si clarius non est locutus, & si in dubio verba contra eum intelliguntur.vt in tex.& l.in contrahenda. ff.eod. Et septem contraria,quæ format hic glos. solue, vt in ea. Item qualiter verba dubia sint interpretanda in testamentis, conuentionibus in iudicio factis, confessionibus, contractibus, sententijs, & legibus, plene distingue, vt in eadem glosa. & supr. c. inspicimus.

Cap.58. Non est.

NON est obligatorium, contra bonos mores præstitum iuramentũ.

QVIA rebus debemus vti eo modo,ad quem sunt institutæ. c. is autem.22.q.2. Et quoniam iuramentum non est institutum, vt sit vinculum iniquitatis.c.inter cætera.22.q. 4. Ideo qui aliquod illicitum iurauit adimplere, non tenetur iuramentum illud obseruare. vt in tex. & c. quanto.extr.de iureiur. Sed dices, videtur, quod iuramentum confirmet ea, quæ sunt de iure prohibita; nam de iure prohibitum est, rem minoris alienari. vt ff. de reb.cor.l. 1. Et tamen talis alienatio per iuramentum confirmatur.vt C.si aduers.vend.l.1.& Auth.sacramenta.C.d.tit.Itẽ prohibita est de iure,fundi dotalis alienatio. vt C. de rei vxor.act.l.vnic.§.& cũ lex. Et tamen confirmatur per iuramentum mulieris.c. licet.supr.de iureiur. Item prohibetur valere pactum, per quod filia dotata renuntiat futuræ successioni paternæ. vt C.de pact.l.pactum, quod dotali.& ff.de suis, & leg.l.fin. Et tamen confirmatur per iuramentum. c. quamuis.supr.de pact. Respond. distinguendo, quod,aut sunt prohibita propter turpitudinem sui; & tunc iuramentum nihil operatur. vt hic, & d.c.quanto, cum similibus. Aut in priuilegium, vel fauorem personæ; & tunc iuramentum illius personæ, in cuius fauorem inducitur prohibitio, est obligatorium,& confirmat rem, de qua agitur. vt in d. Auth. sacramenta puberum. & d. c. licet. & d.c. quamuis. Dyn.hic.

Cap. 59. Dolo.

DOLO facit,qui petit,quod restituere oportet eundem.

QVIA frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora.l.fin.C.de emanc.lib.Et quoniam non dimittitur peccatum,nisi restituatur ablatum. supr.c.peccatum. Ideo qui petit, quod restituturus est,irrationabiliter petit,& censetur esse in dolo. vt in tex. & l.in condemnatione. §.dolo. ff.eod. Et regula procedit, si restitutio debet fieri ei, à quo petitur,secus si alij.

alij. l.si socer. §.Lucius,& ibi Bart.ff.solut.matr. Et hoc intelligitur, nisi ille alius deberet restituere petenti, quia tunc etiam regula procedit. l.si donaturus, & ibi Bart. ff.de cond. ob caus. Item regula intelligitur, quando restitutio debet fieri incontinenti; secus, si ex interuallo l.fin.& ibi Bart. ff. vt legat.nom. cau. Item regula hæc non procedit in possessorio recuperandæ. Dyn. hic; cum spoliatus debeat restitui, antequam de proprietate quæratur. l.1.C.si per vim, vel al.mod. Vnde regula procedit in petitorio, & in possessorio adipiscendæ, vel retinendæ. glos.& Dyn.hic.

Cap.60. Non est.

NON est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

QVIA ad hoc, quod quis dicatur morosus, requiritur, quod sciat se debere, vel scire debeat; quod interpellatus fuerit à die, vel ab homine;& quod habuerit possibilitatem dandi. l.quod te. ff.de reb. cred.& glos. supr.in c.mora. Et quoniam ille, qui tutus est exceptione legitima, nescit se debere, vel nescire debet. glos.hic. Ideo qui potest se legitima exceptione tueri, non est dicendus in mora. vt in tex. & l.nulla intelligitur. ff.eod. Exceptio autem legitima debet intelligi illa, quæ non potest ope replicationis elidi; nam si exceptioni obstaret replicatio, haberetur pro non legitima. Dyn. hic; quia qua ratione nihil interest, vtrum quis non habeat ipso iure actionem, vel habeat eam, quæ possit per exceptionem excludi. l. nihil interest.ff.eod.eadem nihil interest, vtrum quis non habeat exceptionem, vel habeat eam, quæ possit ope replicationis excludi; cum ita se habeat replicatio ad exclusionem exceptionis, sicut exceptio ad exclusionem actionis. vt l.2.ff.de except.

Cap 61. Quod ob gratiam.

QVOD ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

QVIA rescriptum accipit vires ab intentione principis rescribentis. c.ad aures.extr. de rescr. Et quoniam intentio concedentis gratiam, est, vt illa conuertatur in beneficium, & præmium; non autem in damnum,& pœnam. c. olim. extr. de verb. sign. Ideo quod fauore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum non est retorquendum. vt in tex.& l.quod fauore.C.de legib. Et intellige hanc regulam in eo, quod conceditur per priuilegium proprio motu principis; non autem petitione impetrantis. glos.hic; per ea, quæ habentur in toto titulo.ff. quod quisque iur. & in c. 2. extr. de mut. petit. Et septem contraria format glos.hic; de quibus dic, vt in ea. Et è conuerso intellige, quod pœna, vel odium, non debet conuerti in præmium. c.si verè.extr. de sent.excom. & l.si seruus. §.qui autem.ff.de legat.1. Et intellige, quod idem actus non potest esse causa immediata, & per se, pœnæ,& præmij; sed causa mediata, siue remota,& per accidens, bene esse potest, vt latius hic per Dyn.

Cap.

Cap. 62. Nullus ex consilio.

NVLLVS ex consilio (dummodo fraudulentum non fuerit) obligatur.

QVIA nullus tenetur consilium sequi, cum illud non necessitet. c. quisquis. 14. q. 1. imò quisque explorare, & deliberare debet apud seipsum, an sibi expediat, necne. l. 2. ff. mand. Sed quoniam de fraude, & dolo quis est puniendus. c. sedes. extr. de rescr. Ideò si consilium sit fraudulentum, quis obligatur ratione fraudis. vt in tex. & l. consilij. ff. eod. Nota igitur circa hoc, quod, aut consilium datur circa contractum, vel quasi; aut circa maleficium, vel quasi. Primo casu subdistingue, aut tale consilium nõ est fraudulentum; & tunc non tenetur. vt hic. & l. eleganter. ff. de dolo. aut est fraudulentum, & tunc tenetur actione de dolo, ipsi, cui consilium dedit. d. l. consilij. & ff. de dolo. l. quod si cum scires. In secundo casu, scilicet, cum datur circa maleficium, tunc tenetur consulens; non tamen illi, cui; sed illi, contra quem consilium dedit; nec tunc tenetur actione de dolo; sed eius maleficij nomine, nam si consuluit occidi, homicida est hic. sicut. extr. de homic. Si consuluit seruo, vt fugeret, vel furtum faceret, tenetur furti, vel serui corrupti. l. 1. ff. de seru. cor. Si consuluit Titio, mihi iniuriam facere, tenetur mihi iniuriarum. l. non solùm. ff. de iniur. Idem vbicunque cadit in nomen maleficij; ipsi autem, cui dedit consilium, non tenetur; tum quia scire debebat, id sibi non expedire. Instit. de oblig. quæ ex delict. §. interdum; tum quia ex improbitate sua nullus consequitur actionem. l. itaque. ff. de furt. Differentia est ergo inter mandatum, & consilium; nam mandator obligatur, mandando; sed non, consulens, consulendo. d. l. 2. ff. mand. & Instit. mand. §. tria genera. Loquitur ergo hæc regula, quod de consilio non fraudulento quis non tenetur in contractibus. Secus in consilio, quod præstatur ratione officij, puta in assessore, quia ipse de malo consilio tenetur; & idem est in aduocato, saltem quando consilium dedit ei, qui aliàs facturus non fuisset. Decius in d. l. consilij. ff. hoc tit.

Cap. 63. Exceptionem.

EXCEPTIONEM obijciens, non videtur de intentione aduersarij confiteri.

QVIA excipiens negat se debere id, quod excipit. l. exceptio. ff. de except. Et quoniam si per ipsam exceptionem diceretur confiteri de intentione actoris, eadem exceptio duos contrarios effectus pareret. glos. hic; quod esset inconueniens. l. qui hominem. §. fin. ff. de solut. Ideò cum per exceptionem negem intentionem aduersarij, non est congruum, me per ipsam dici fateri. vt in tex. & l. non vtique. ff. de except. Et quod dicit hæc regula in exceptione; intelligas & in replicatione; vt sicut excipiens non confitetur actionem; ita nec replicans exceptionem, eadem de causa. glos. hic; nam sicut se habet exceptio ad actionem, ita replicatio ad exce-

ptio-

ptionem,& triplicatio ad replicationem. l.2. ff.de except. Per quæ autem verba debeat fieri exceptio, vt remoueatur omnis apparentia confitendi pro aduersario, notaui in c.cum venerabilis.extr.de except.

Cap. 64. Quæ contra.

QVAE contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.

QVIA inferior non potest tollere legem superioris. c. cum inferior. extr.de maior. & obed. Sed quicunque potestati subiecti sunt, subduntur legi, quam fert illa potestas. S.Thom.1.2.q.96.art.5. Et quoniam lex annullat omnem actum, qui fit contra legem illum prohibentem. l.nō dubium.C.de legib. Ideò ea, quæ lege fieri prohibētur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam debent haberi; licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. vt in tex.& d.l.non dubium. Sed dices, multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. l.patre. ff de his, qui sunt sui, vel al.iur. vt matrimonium contractum contra votum simplex, quod tenet, licèt ille contrahere non deberet. c.vnic.supr. de vot.& similiter matrimonium cōtractum contra interdictum ecclesiæ. c.1.extr.de matr.contr.con int.eccl. & sententia lata sub conditione, tenet, licèt fieri sic, secundum ius non debeat. c.biduum.2. q.6. Respond.quod hæc regula habet locum in ijs, quæ habent perpetuam prohibitionis causam; Contraria autem habēt locum, in ijs, quæ habent prohibitionem temporalem; Vel dic, hanc regulam esse veram, nisi eodem, vel alio iure tolleretur; & sic intelliguntur contraria. Vel dic, quod illa non sunt directè contra ius, quia licèt ius non assistat, non tamen plenè resistit. glos. hic. Quidam tamen distinguere voluerunt, dicentes, quod, aut ius prohibet, & addit, quod si contra prohibitionem fiat, non valeat, aut simpliciter prohibet. In primo casu habeat locum hæc regula. In secundo habeant locum contraria; & facit ad hoc c.ad apostolicam.extr.de regular. Sed hęc distinctio reprobatur per d.l.non dubium, vbi habetur expresśè; quod sufficit legislatorem aliquid prohibuisse, licèt non adiecerit, si contra factum fuerit, non valere. Item obijcitur de maleficijs, quæ contra ius fiunt, nec tamen habentur pro infectis, cum puniantur. Respond.quod hæc regula habet locum, in ijs, quæ de iure possent aliàs sortiri effectum.glos.hic.id est, quæ sunt aliàs de iure permissa, vt pacta, & similia; sed quando non fiunt secundum iuris formam, intelliguntur prohibita, & propter hoc non sortiuntur effectum de iure; maleficia verò semper intelliguntur prohibita, & nunquam approbantur, licèt puniantur. Dyn.hic.

Cap. 65. In pari.

IN pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.

QVIA duo vincula magis ligant, quàm vnum. c.1 extr. de treug & pac. & l.1. ff. de vsufr.accr. Et quoniam in acquisitione posse ..o est actus

actus multæ confiderationis. Inftit.de interdict. §.retinendæ. Ideò in pari delicto,vel causa,possessor potior haberi debet.vt in tex.& l.in pari.ff.eod.

Cap. 66. Cum non stat.

CVM non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde,ac si impleta fuisset.

QVIA ad impossibile nemo tenetur. supr. c. nemo. Et quoniam vbi quis paratus est, quantum in se est, conditionem adimplere, sed ille, pro quo erat adimplenda, aliquo modo impedit, quin illa adimpleri possit; id ei, qui adimplere debebat, dicitur impossibile factu. glos. in d.c. nemo. Ideò sibi imputet ille,pro quo erat adimplēda,si alter,qui adimplere debebat, non adimplet. vt in tex. & l. in iure. ff.eod. Differt autem hæc regula à c. imputari. supr. eod. quia illa regula propriè loquitur, quando quis impeditur adimplere per alicuius casus euentum; ista verò loquitur, quando quis impeditur per illum,cuius fauore conditio erat adimplenda; & ideò ille tenetur postea adimplere, si possit; non autem tenetur iste, qui censetur adimpleuisse. Dyn. hic.

Cap. 67. Quod alicui.

QVOD alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

QVIA indecens est, crimen suum commodis alienis impendere, & exercere. c. sicut non suo. dist.46. Et quod vna via prohibetur alicui,ad id alia non debet admitti. infr.c.cum quid. Et quoniam si quis posset nomine alieno, quod non potest proprio, videretur inesse id, quod minus debet inesse.glos.& Francus hic. Ideò prohibitus suo nomine propter incapacitatem personæ, prohibetur eadem ratione, & fortius nomine alieno hoc facere. vt in tex.& l. 1. ff.de postul.

Cap. 68. Potest.

POTEST quis per alium, quod potest facere per seipsum.

QVIA effectus magis est inspiciendus, quàm modus. l. 3. & ibi Bald. C. de instit.& subst.Et quoniam facilius negotia expediuntur, si illa non solùm per se ipsum,sed etiam per alium exerceantur. l. 1. ff.de procur. Ideò cum quis rebus suis superesse non potest, vel non vult, ad negotiorum expeditionem fuit introductum, vt quis possit facere per alium, quod posset per se ipsum.vt in tex.& l. 2. ff.de administr.rer.ad ciuit. Et intellige hanc regulam in his, quæ possunt per alium explicari; secus in his, in quibus est electa industria personæ; vel ob alium respectum non possunt explicari,nisi à seipso, vt in casibus hic per glos.enumeratis,& l.inter artifices. ff. de solut.

Cap. 69. In malis.

IN malis promissis fidem non expedit obseruari.

Quia

QVIA quod est licitum, debet firmari, & quod est illicitum, rescindi. c. dilectus, il 1. extr. de præb. Et quoniam fides data non debet esse vinculum iniquitatis. c. quanto. extr. de iureiur. Ideò in malis promissis rescinde fidem. In turpi voto, muta decretum. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. vt in tex. & c. in malis. 22. q. 4. Sed dices; videtur, quod etiam in malis promissis fidem conueniat obseruari, licèt de æquitate detur exceptio; nam si induco te per dolum, vel metum, vt mihi decem promittas, promissio valet, licèt agenti ex promissione obstet exceptio doli, vel metus. vt C. de inutil. stip. l. dolo. & ff. de verb. obl. l. si quis cum aliter. Respond. quod malum promissum dupliciter sumitur; nam vno modo dicitur malum, id est, super re mala, vel turpi, seu turpitudinem continenti interpositum, & istud non expedit obseruari. vt in tex. quia ipso iure non tenet. Instit. de inutil. stip. §. quod ex turpi. Secundo modo dicitur malum promissum, id est, male conceptum, quia interueniente dolo, vel metu; & tunc licèt promissio teneat de iuris rigore; tamen promissori datur exceptio. d. l. dolo. Et nihil interest, vtrum quis non habeat ipso iure actionem; vel habeat, sed possit per exceptionem excludi. l. nihil. ff. eod. Si tamen interuenit iuramentum, & istud male promissum potest seruari sine dispendio saluti æternæ, tunc est seruandum. c. si verò. extr. de iureiur.

Cap 70. In alternatiuis.

IN alternatiuis, debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

QVIA solutio est debitoris, quæ est facienda creditori. l. 1. ff. de solut. Et quoniam qui in vno grauatur, in alio releuari debet. l. secundum naturam. ff. hoc tit. Ideò quod positum est ad soluendum in alternatiuis, est in fauorem debitoris, vt possit eligere, quod vult. vt in tex. & l. in eo, quod plus. §. vbi. ff. eod. Et sicut in copulatiuis, ad verificationem copulæ requiritur concursus copulatorum. l. si hæredi plures. ff. de cond. instit. ita in alternatiuis fit verificatio in vno eorum. Decius in d. §. vbi. Et intellige, quod in alternatiuis est electio debitoris, scilicet, in alternatiua dandi, cum verba diriguntur ad debitorem, vt det vnum, vel alterum; nã in alternatiua accipiendi, cum verba, scilicet, diriguntur ad creditorem, vt accipiat vnum, vel alterum, electio est accipientis, & creditoris. l. si ita. ff. de contr. empt. Et hoc in contractibus. Francus hic. In pœnis verò alternatiuis electio est rei, nisi iudex aliter haberet arbitrium. Bald. in l. quicunque. C. de seru. fug. In alternatiua verò remediorum, semper est electio habentis plura remedia. vt l. rescriptum. §. si pacto. ff. de pact. & vide not. per Bald. in l. cum proponas. C. de transact.

Cap. 71. Qui ad agendum.

QVI ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

Quia

QVIA cui licet, quod est plus, licet vtique quod est minus. supr. c. cui licet. Et quoniam plus est agere, quàm excipere; nam in exceptione quis est reus. c. cum inter. extr. de except. & rei fauorabiliores potius, quàm actores, habentur. l. fauorabiliores. ff. hoc tit. Et in exceptione agitur de retentione, quæ facilius conceditur, quam acquisitio. l. per retentionē. C. de vsur. Ideo cui datur actio, multo magis competit exceptio. vt in tex. & l. inuitus. §. cui. ff. eod. Et ista regula procedit, quando de eodem, & ad idem agitur, & excipitur; & sic quando actio, & exceptio tendunt ad idem, secus si ad diuersa. Decius in d. §. cui. Secundo limita, hanc regulam procedere, quando nihil subest magis repellere exceptionem, quàm actionem; aliàs secus. vt in c. debitores.. extr. de iureiur. vbi datur actio, & tamen denegatur exceptio; quod ideo est, quia ibi subest iuramentū, quod obstat exceptioni, & non repetitioni. vt Butr. ibidem, & Francus hic.

Cap. 72. Qui facit.

QVI facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.

QVIA effectus est magis inspiciendus, quàm modus. l. 3. & ibi Bald. C. de instit. & subst. Et quoniam idem effectus potest contingere per vnum, qui potest per alium, in ijs, in quibus tam vnus, quàm alius, habet eandem habilitatem. glos. supr. in c. potest. secus in ijs, in quibus est electa industria personæ. l. inter artifices. ff. de solut. Ideo qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum; & is damnum dat, qui iubet damnum dare. vt in tex. & c. is damnum. ff. eod. Et hoc procedit de quadam iuris interpretatione, nam verè loquendo, factum etiam ab eodem diuersis temporibus, non repræsentat identitatem eiusdem facti. glos. hic. & l. si non sortem. §. libertus. ff. de condit. indeb. Sed dices, videtur, quod hæc regula sit superflua, cum idem habeatur, supr. in c. potest. Respod. quod non est in omnibus eadem, quia illa loquitur de potestate explicandi per alium, & de ijs, quæ de iure sortiuntur, vel sortiri possunt effectum; ista verò loquitur de effectu explicati, & generaliter, vt etiam maleficia comprehendat. glos. in fin. in d. c. potest. & Dyn. hic.

Cap. 73 Factum.

FACTVM legitimè, retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari.

QVIA quælibet dispositio intelligitur, rebus sic stantibus. l. cum quis. ff. de solut. Et quoniam factum, infectum reddi non potest. c. si Paulus. 33. q. 5. Et facilius quis repellitur ab obtinendo, quam ab obtento. c. super his. extr. de accus. Ideo ea, quæ semel vtiliter, & legitimè constituta sunt, durant, licet superueniat casus, à quo initium habere non possunt. vt in tex. & l. in ambiguis. §. non est. ff. eod. Et ista regula procedit, quando actus fuit perfectus, & consummatus; secus est, si actus non esset consummatus, quia tunc destruitur, quando deuenit ad casum, à quo inchoari

non

non potest.l.pluribus. §.etsi placeat.ff.de verb.obl.& hoc vltimum verum est,nisi casus superueniens tenderet ad eundem finem, quia tunc actus, quamuis non fuerit consumatus, non vitiatur, licet ad eum casum deueniret, à quo incipere non potest. Decius in d.§.non est.arg. in §.è contrario, vers. quod si viuo. Instit. de legat. Secundo regula limitatur, non habere locum,quando res deuenit ad talem casum,quod causa finalis deficeret.vt not.Bart.per illum tex.in l.Vranius. §. sed cum duo. ff.de fideiuss.Et nota,quod dicit,*retractari*.q. d. propter causam superuenientem non retractatur, ac si legitimè non fuisset factum. Interdum tamen propter superuenientem causam impeditur eius effectus, quod legitimè factum erat.glos.hic.arg.c.presbyterum.extr.de cler.ęgrot.& c.communiter.dist. 33. Nota etiam, quod habuisti aliam regulam, per contrarium.supr.in c. non firmatur, vt licet casus superueniat,à quo potuit inchoari,non firmatur, quod ab initio non valebat. In actibus enim præcipuè spectatur initium.vt per glos.in d.c.non firmatur.& l.cum filius.§.hæres.ff.de legat. 2.

Cap.74. Quod alicui.

QVOD alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.

QVIA gratia recipit vires ab intentione concedentis.c. 2. extr.de rescr. Et quoniam intentio concedentis alicui priuilegium personale,est,vt personam sequatur, & extinguatur cum persona. supr.c.priuilegium. Ideo,quæ à iure communi exorbitant, & alicui gratiosè conceduntur, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.vt in tex. & supr.c.quæ à iure.& ad hæc vide,quæ latius notaui in d.c.priuilegium.

Cap.75. Frustra.

FRVSTRA sibi fidem quis postulat ab eo seruari;cui fidem à se præstitam seruare recusat.

QVIA qui sub conditione promisit, non tenetur alteri, nisi conditio impleatur. Instit.de verb.obl. §. ex conditionali. Et ex eo non debet quis fructum consequi,quod nisus extitit impugnare.supr.c ex eo.Et quoniam ille,qui recusat seruare fidem, quam circa idem factum promisit, videtur recedere à conditione, sub qua alter sibi promisisse censetur.l.cum proponas.C.de pact. Ideo qui non seruat legem conuentionis, in ea commodum sentire non debet.vt in tex.& c.peruenit,il 2.extr.de iureiur. Vnde oportet illum prius implere,si vult petere;aliàs nulla est petitio, cum nulla sit alterius mora.l.pupillus. ff.de verb.obl. Et hoc verum est circa idem factum,non circa diuersa. arg.l.cum pater.§. libertus.ff.de legat.2. Item verum est, quando contrahentium eadem est conditio; aliàs locum non haberet regula, vt si vnus esset maior,alter pupillus, quia claudicat contractus factus cum minore.vt ff de act.empt.l.Iulianus.§.si quis.Quod ideo est, quia ibi fuit in culpa contrahens cum pupillo sine tutore, aliàs aliud

aliud esset, vt si contraxisset cum pupillo, tutoris auctoritate. vt l.1.& 2.C. si aduers.vend. Et sic quando partes sibi adinuicem aliquid sub pœna promittunt, & vna pars primò frangit fidem; aut expedit magis alteri parti pœnam prosequi, & stare pacto, vel contractui; aut magis expedit sibi fidem rumpere. In primo casu, licèt sibi fides sit fracta, ipse tamen pro sua parte seruet eandem; & sic pœnam petere poterit cum effectu. l. cum par. ff. hoc tit. In secundo casu securè frangit fidem, & fiet hinc inde pœnarum mutua compensatio. c.constitutus. extr. de pœnis.

Cap. 76. Delictum.

DELICTVM personæ, non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

QVIA Ecclesia iure minoris debet semper illæsa seruari. c.1. extr. de in integr. rest. Et prælatus rerum ecclesiasticarum dicitur procurator, non dominus. c.2. extr. de donat. Et quoniam pupillus non tenetur ex delicto tutoris, nisi quatenus ad eum peruenit. l.fin. ff. de auct. tut. Et alteri per alterum non debet iniqua conditio afferri. supr. c. non debet. Ideò ex delicto prælati, Ecclesia non tenetur; cum Prælatus delinquendo, non repræsentet Ecclesiam; & cum eius conditionem possit meliorare, nô autem facere deteriorem. vt in tex. & c. si episcopum. 16. q. 6. Et intellige hanc regulam de delicto in faciendo, secus in omittendo, per quod Prælatus potest præiudicare Ecclesiæ. vt in c.1. extr. de præscr. & c. placuit, il 2. 16. q.3. Et etiam intellige, nisi delictum sit perpetratum à Prælato cum consensu Capituli, quia tunc, cum tota Ecclesia censeatur deliquisse, etiam in faciendo, præiudicat Ecclesiæ. glos. hic. & c.2. & ibi glos. ver. ipsius. extr. de ord. cogn. Et hoc limita procedere, scilicet, vt delictum Prælati, & Capituli noceat Ecclesiæ in rebus particularibus, quando remanent tot bona Ecclesiæ, quod ei potest deseruiri in diuinis, & eius ministri possunt congruè sustentari; & hoc casu donatio facta Ecclesiæ posset reuocari ex causa ingratitudinis Prælati, & Capituli; sed vbi propter delictum Prælati, & Capituli, Ecclesia veniret priuanda omnibus suis bonis, vel maiori parte, ita, quòd non posset Ecclesiæ seruiri in diuinis, vel veniret destruenda ipsa Ecclesia in totum; tunc delictum Prælati, & Capituli non nocet Ecclesiæ. Francus hic, & Specul. in tit. de donat. ver. si aliquis baro.

Cap. 77. Rationi.

RATIONI congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore.

QVIA iniquissimum genus societatis est, in quo vnus damnum, & non lucrum haberet, & è contra. supr. c. qui sentit. & l. si non fuerint. §. fin. ff. pro soc. Et quoniam successor censetur eadem persona cum prædecessore. Auth. de iureiur. à mor. præst. §. 1. coll. 5. Ideò non est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus verò subire recusat. vt in tex. & l. secundum

habet verè, vel interpretatiuè secundum iuris dispositionem. Abb. in c. cura. extr. de iurepatr. vnde illud, quod quis non habet nec in actu, nec in potentia, transferri non potest. Sed illud, quod quis habet in potentia, licet non in actu, potest in alium transferre, vt patet in Canonicis, qui eligunt Episcopum, & in Cardinalibus, qui eligunt Summum Pontificem. Decius in d. l. nemo plus. ff. hoc tit.

Cap. 80. In toto.

IN toto partem, non est dubium, contineri.

QVIA totum nihil aliud est, quàm congregatio partium. Arist. 1. physic. tex. 17. Totum enim, omne, & perfectum, idem significant; sed differunt secundum materiam; nam in quantitate continua est totum; in discreta est omne; in forma, & qualitate est perfectum. Arist. 1. cæli. tex. 3. Et quoniam plus, semper in se continet, quod est minus. supr. c. plus. Et si quod minus videtur inesse, inest; & quod magis videtur inesse, inerit. c. cum in cunctis, & ibi glos. ver. multo. extr. de elect. Ideo in toto, & pars continetur. vt in tex. & l. in toto. ff. eod. Vnde qui absolu tur à petitione totius fundi, intelligitur absolutus à qualibet eius parte. l. si quis cum totum. ff. de except. rei iud.

Cap. 81. In generali.

IN generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

QVIA ea, quæ speciali nota sunt digna, nisi specialiter notentur, ex industria censentur omissa. l. item apud. §. hoc edictum. ff. de iniur. Et quoniam in obscuris inspicimus, quod verisimilius est. supr. c. inspicimus. Ideo ea, quæ verisimiliter non esset quis in specie concessurus, sub generali concessione non intelliguntur comprehensa. vt in tex. & c. si Episcopus. supr. de pœnit. & remiss. Et sic præsumptio contraria facit cessare, quod dicimus; Tantũ valere genus quoad omnia, quantum species quoad specialissima. vt ff. de administr. l. si duo, & l. si chorus. de legat. 3. Dyn. hic. Sed dices, quomodo scietur, quæ sint illa, quæ verisimiliter in specie nõ diceretur, ab aliquo concessa? Respond. quòd hoc potest cognosci ex impossibili, vel inhumana, vel dura separatione, vt puta, ministeria artis suæ, vel quæ ad affectionem pertinent. glos. hic. talia enim in generali obligatione non veniunt. l. 1. C. quæ res pign. obl. poss. vbi in generali obligatione pignoris, non veniunt vxor, & alumni, & quæ quis verisimiliter non est credendus specialiter obligasse. & c. cum in generali. supr. de offic. vic. vbi generalis vicarius Episcopi non potest conferre beneficia, nisi super hoc habeat mandatum speciale. Et quinquaginta modos, quibus verbum generale restringitur, latè hic ponit Io. Mon.

Cap. 82. Qui contra.

QVI contra iura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

QVIA talis emptor, aut sciebat prohibitionem iuris, aut ignorabat; Si sciebat planum est, quod mala fides apertè concluditur in ipso. l. non dubium. C. de legib. Si ignorabat, tunc mala fides præsumitur in ipso, propter iuris ignorantiam, quæ non excusat. l. si fur. ff. de vsucap. & supr. c. ignorantia. Et quoniam malæ fidei possessor nunquam præscribit. c. fin. extr. de præscr. Ideo qui contra iura mercatur, non præscribit. vt in tex. & l. quemadmodum. C. de agric. & cens. lib. 11. Sed dices, videtur, quod semper præsumatur bona fides, si abesse non probetur. c. si diligenti. extr. de præscr. & l. penult. C. de præscr. long. temp. Respond. quod, aut allegatur ignorantia facti, aut iuris. Si facti, tunc præsumitur bona fides, quia iuris præsumptio allegationi non resistit. supr. c. præsumitur. Si allegatur ignorantia iuris, tunc præsumitur mala fides, vt hic; quia præsumptio iuris allegationi resistit. supr. c. ignorantia. & l. 2. §. si à pupillo. ff. pro empt.

Cap 83. Bona fides.

BONA fides non patitur, vt semel exactum, iterum exigatur.

QVIA solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio. Instit. quib. mod. tol. obl. §. 1. Et quoniam obligatio semel extincta, non reuiuiscit. l. qui res. §. aream. ff. de solut. nec aliquis sine actione experitur. l. si pupilli. §. fin. ff. de negot. gest. Et exigere, propriè est ab inuito extorquere. l. vt debitor. ff. de verb. sign. & obligatio dicitur mater actionis, vt vbi non est obligatio, ibi non competat actio. Instit. de action. §. 1. Ideo bona fides non patitur, vt bis idem exigatur. vt in tex. & l. bona. ff. eod Et ista regula procedit etiam in obligatione ex maleficio, vel quasi. glos. in d. §. Instit. quib. mod. tol. obl. nam sæpius de eiusdem hominis facto non quæritur. l. licet. §. fin. ff. naut. caup. & stab. Bene verum est, quod delicta præterita, etiã de quibus facta fuit remissio, aggrauant aliud delictum postea cõmissum. vt not. Bald. per illũ tex. in Authen. qui semel. C. quomod. & quãd. iud.

Cap. 84. Cum quid.

CVM quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

QVIA committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. infr. c. fin. Et quoniam intentio legis est, quando aliquid prohibet, habito principaliter respectu ad rem prohibitam, vt nullo modo perueniatur ad illud. supr. c. cum quid. Ideo cum aliquid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo, & per quæ posset perueniri ad illud. vt in tex. & l. oratio. ff. de sponsal. Et intellige hanc regulam, cum aliquid prohibetur, habito principaliter respectu ad prohibitum, non ad viam, vel modum, quò prohibetur. vt in c. detestanda. supr. de concess. præb. & l. fin. C. si manc. ita ven. ne prost. tunc enim sufficit.

ficit, esse prohibitum vna via, vel modo, vt ad id in eius fraudem alia via, vel modo admitti non debeat. vt hic. Speciale tamen est in libertate, ob eius fauorem. vt ff. de inoffic. test. l. Papinianus. §. quoniam autem. Si autem prohibitio principaliter se habet ad viam, vel modum, non ad rem, tunc secus est. gloss. hic. vnde alteri ecclesiæ alligatus Episcopus, non eligitur, sed postulatur. c. fin. extr. de postul. præl. Item qui iurauit non accusare, bene denuntiat, quia sibi non est prohibitum deferre crimen, nisi per modum accusationis. c. quemadmodum. §. fin. extr. de iureiur. Item petendo rem, vna actione repellor, & per aliā admittor. c. examinata. extr. de iudic.

Cap. 85. Contractus.

***CONTRACTVS**, ex cōuentione legem accipere, dignoscuntur.*

QVIA pacta sunt seruanda. c. 1. extr. de pact. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quām ea seruare, quæ inter eos placuerunt? l. 1. ff. de pact. Et quoniam rei suæ quisque est moderator, & arbiter. l. in re mandata. C. mand. Ideo conuentio partium, legem inter eas inducit. vt in tex. & l. contractus. ff. eod. Et hoc intellige de conuentione honesta, & possibili; nam conuentio contra bonos mores, vel impossibilis non valet. gloss. hic. & d. l. contractus.

Cap. 86. Damnum.

***DAMNVM**, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare.*

QVIA effectus est attribuendus suæ causæ. c. cum cessante. extr. de appell. causa autem est, ad cuius esse sequitur aliud. Arist. 5. metaph. tex. 1. Et quoniam ex culpa aliena, regulariter nemo punitur. supr. c. sine culpa. Pœna enim, quod sit pro culpa infligenda, & quod nullus sine culpa puniri debeat, dictat ius naturale. S. Thom. par. 3. q. 52. art. 1. ad tertiū in addit. Ideo quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire; & sibi debet, non alijs imputare. vt in tex. & l. quod quis. ff. eod. hinc doctè dixit Petrarcha in triumpho castitatis;

Ma virtù, che dai buon non si scompagna,
Mostrò à quel punto ben, com'ha gran torto
Chi l'abbandona, e poi d'altrui si lagna.

Cap. 87. Infamibus.

***INFAMIBVS**, portæ non pateant dignitatum.*

QVIA ad dignitates illi sunt assumendi, quorum vita, & mores ita commendātur, vt eorum monitis, & exemplo, illis, quibus præsunt, proficere possint. c. cum in cunctis. extr. de elect. Et cum honor sit præmiū virtutis; illis sunt dandi honores, qui virtutibus florent, non autem illis, qui vitijs onerantur. l. 2. C. de dignit. lib. 12. Et quoniam infames despiciuntur. c. infames. §. porrò. 3. q. 7. Et cuius vita despicitur, restat, vt eius

prædicatio contemnatur. S. Gregor. homil. 12. in Euang. Matth. Et infamia est diminutio status alicuius, quæ incurritur ob aliquod graue delictum. glos. in d. §. porrò. Ideo opinio assumendi ad dignitates, in nullo debet vacillare, sed debet esse bonæ famæ, & illæsæ existimationis. vt in tex. & l. vnic. C. de infamib. lib. 10. Et cum vnumquemque criminosum non dignitas debeat, sed pœna comitari. l. ne quis. C. de decur. lib. 10. infames non solum non debent præfici. vt hic. Sed etiam remoueri debent à dignitatibus habitis. l. iudices. C. de dignit. lib. 12.

Cap. 88. Certum est.

CERTVM est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

QVIA ratio legis, siue intentio dominatur verbis in lege, sicut anima corpori. l. non dubium. C. de legib. vnde scire leges, non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem. l. scire. ff. de legib. verba enim debent seruire intentioni, tamquam fini. c. sedulò. dist. 38. & Arist. de interpr. cap. 1. Et quoniam finis est nobilior his, quæ sunt ad finem. Arist. 2. metaph. tex. 8. Et qui tantum verba sectatur, nihil habebit; qui autem possessor est mentis, diligit animam suam. Prouerb. cap. 19. & cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. supr. c. cum quid. Ideo contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. In fraudem verò legis, qui saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit. vt in tex. & l. contra. ff. de legib. Fraus enim lege fit, vbi id fit, quod fieri noluit; fieri autem non vetuit. Et quod distat, ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, idest, verbum ab intellectu, vel sentẽtia, hoc est significatione ipsius, distat fraus ab eo, quod cõtra legem fit. l. fraus. ff. de legib. Est ergo ad legis intelligentiam, eius ratio inquirenda. Quod ego Ioannes Baptista Viuianus animaduertens, vt dixi in prœmio huius mei Rationalis Iuris Pontificij, composui hoc opus, in quo ad singulas propositiones cuiuslibet Capitis quinque librorum, Decretalium, Sexti, Clementinarum, & Extrauagantium, rationes assignaui, & ne illæ possent insufficientes existimari, eas grauissimis auctoritatibus, ex quibus ipsas deduxi, comprobaui. Et sperans hunc meum assumptum laborem, non inutilem fore; me delectat, iuuentutem meam illi applicuisse, & hodie die 7. Iunij. 1616. Aetatis verò meæ 46. Deo dante, Opus Romæ compleuisse, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Explicit Liber Quintus, & Vltimus, RATIONALIS IVRIS PONTIFICII. Auctore Ioanne Baptista Viuiano.

INDEX

INDEX TITVLORVM
TOTIVS OPERIS

INDEX.

sub

Si-

INDEX

INDEX RERVM TOTIVS OPERIS.

A

B

C

Cam-

I N D E X.

quan-

inter

Paro-

Quia

INDEX.

Secun-

I N D E X.

Volun-

F I N I S.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

A a B b C c.

Omnes sunt Quaterniones, præter C c, quod est ternio.